DANIEL AULAE SPECULUM SIUE DE STATU, VITA, VIRTUTE AULICORUM...

Adam Contzen, Giovanni Battista Coccini

Digitized by Google

145.
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
41/C
30
14 - 31 - c - 8
Digitized by Google

Theologi Mystici

Person-
Pandag- } et Theologia Mystica
Arnoldi-

Virgo de Suso Oratio devota.
Virgo de Guyenne ad Cantica.
Joh: à Jesu Maria,-
Bonaventura- } Theol Myst
Persentig-
Peyeret de l'Amour Celeste
Dionysy carthusiani de Fonte lucis
Caspari Mauritÿ Besten weeg zur Vereinigung, Erleüchtung, Reinigung
Lutheri D. via unionis, purgationis, illuminationis
Francisci de Sales de Amore Divino.
Alvarez de perfecta contemplatione

Digitized by Google

XXIX·2.3.

Digitized by Google


Numine
DANIEL
AVLÆ
SPECVLVM
ſiue
DE STATV, VITA,
VIRTVTE AVLICORVM
atque
MAGNATVM
Auctore
R. P. ADAMO CONTZEN
E SOCIETATE IESV
S.S. Theol. Doct.
Cum Indice Capitum et
rerum copioso.
COLONIÆ AGRIPPINÆ
Apud IOANNEM KINCKIVM Sub
Monocerote.
ANNO MDCXXX
Super Permiſs et Priu

Digitized by Google

SERENISSIMO
PRINCIPI AC
DOMINO,

MAXIMILIANO,

COMITI PALATINO RHENI,
VTRIVSQVE BAVARIAE
DVCI,
SACRI ROMANI IMPERII
ARCHIDAPIFERO ELECTORI,

Domino meo clementiſsimo,

DANIEL regio genere, ſummo ingenio, innocentiſſima educatione nobilis, Chaldææ, Medicæ, Perſicæ monarchiæ Legiſlator, & præſes: quinque maximorum imperatorum, qui ſe iure merito reges regum vocabant, Nabuchodonoſoris magni, Euilmerodachi, Balthaſaris, Darij, Cyri collega, conuiua, comes Palatinus,

Digitized by Google

magiſter aulæ, propheta, monitor, vir deſideriorum, angelorum familiaris, experientia centum annorum aulam edoctus, omnium imperiorum ad ſupremum vſq; mundi diem ex oraculis præſcius, ſapientia ſupra omnes mortales eminens, ſanctitate Noacho & Iobo comparatus, ad Serenitatem Tuam maxime & prudentiſſime Princeps Elector affectat viam. Multa nimirum Danieli & Maximiliano communia, genus regium, ingenium par generi, in magno imperio dignitas, in comitatu imperatoris iudicandi facultas, quæque illis præſtantiora ſunt, ſapientiæ ſtudium, pietatis ardor, animi conſtantia, conſanguinitaſque virtutum, quæ nec locorum ſpatijs, nec ætatum interuallis affectus minuit. Æquum etiam eſt, vt

alter

alter alterum conciliet eadem gubernandi diſciplina, conſulendi in publicum beneuolentia, ſumptuum ac laborum impendia, quibus Rempublicam ad Danielis normam, recta ad Deum conſcientia, nulla priuati emolumenti, nulla dominandi, nulla glorię cupiditate, adminiſtras, tueris, exornas.

Merito igitur magnus, ac ſapiens ille tot monarcharum Comes Palatinus, Boici electoratus oſtia pulſat, & cum vitæ ſuæ heroico exemplo, ſimul imperatoriæ prophetiæ facilem ac moralem doctrinam defert, non incognitam, & nunc cœleſti auctoritate commendatam, integros aliquando, ſi Deo viſum fuerit, commentarios laturus.

In cruenta regum barbarorum aula, apud Babylonios proceres Di-

uinæ Danielis virtuti locus fuit: ſpero illius præconio etiam inter primores Boiorum, & Chriſtianorum Principum intra portas locum fore, nec infructuoſum Germanicæ nobilitati, quæ ea lege, & fine terrenis poteſtatibus aſſiſtit, vt cum rege regum, & domino dominantium regnet æternum. Danielis prophetia, vitaque à capite ad calcem vſque, à pueritia ad vltimam ſenectam tota regifica eſt, tota aulica, de regijs, aulicisque officijs, & vitijs, ipſe in aula, perpetuò tractat; qua de cauſa ex illo ad inſtruendam Procerum excitandamque virtutem documenta collegi, quæ Tuæ Serenitati lubens volens offero, dedicoque, vt tanto patrocinio fulta, alijs quoque prodeſſe valeant.

Quemadmodũ autem viri ſancti, qui ab omnibus mundi turbis ſecedunt,

Digitized by Google

dunt, vt propius ad eum, qui omnia condidit, accedant, & in ſolis deſertiſque locis numen impenſius colunt, Eliam, Ionadabum, Baptiſtam, Antonium, Baſilium, Benedictum, Brunonem priuatæ, atque in ſe collectæ pietatis profitentur auctores: ita magnatibus ac principibus in optimam mundi gubernationem ſemper intentis, per ardua periculorum euntibus, Daniel lumine coruſco ſapientiæ, quæ in eo plus quam in cunctis viuentibus erat, viam regiam ſignat, ſequenteſque normam exercitatæ virtutis è labyrinthæis flexibus nuſquam incertus anteceſſor educit, doctrina, exemplo, votis. Omnes qui Rempublicam capeſſunt, in mari magno, vt vocat Daniel, nauigant, conantur medijs aquilonibus ire per altum: ſiue in prora conſidant, ſiue temonem tor-

Digitized by Google

queant, ab omni latere verberantur procellis, viam illam Daniel centum annorum nauigatione decurrit, & nunc ſalutare cœlo fixum ſidus, multò quàm cynoſura, aut Helice felicius Palatinas rates dirigit, & innoxium per turbida liquentis elementi iter oſtendit. Danielem fidenter aſpiciant proceres: quicquid in vaſto balænarum, & delphinum regno, aut flatibus turbulentum, aut fluctibus vndoſum, aut malacia fallaciter blandum, aut ſyrtibus tenax, aut ſcopulis aſperum eſt, magno animo ille vicit, & proceres vincere docuit. Summa ſapientiæ Danielis eſt rectum de rebus humanis iudicium. In potentiſſima monarchia, in honoratiſſimo illius miniſterio omnes diſcriminum caſus, partem felicitatis nullam ineſſe. In palatio nullum æmulari, nullum metuere æmu-

Digitized by Google

mulum. Ad regnum illud aſpirare, in quo nullus ambitus inimicos, caritas omnes conſortes facit, nemo enim fulgore maieſtatis, ſed recto poteſtatis vſu felix eſt: eoque ſolo reges aulicique iuſti ab iniuſtis diſcernuntur, quod eleganter, ac Danieli conſentanee Hipponēſis antiſtes expoſuit, lib. 5. cap. 24. de ciuitate Dei, Neque enim nos Chriſtianos quoſdam Imperatores ideo fœlices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hoſtes Reipublicæ domuerunt, vel inimicos ciues aduerſus ſe inſurgentes, & cauere, & opprimere potuerunt. Hæc enim & alia vitæ huius ærumnoſæ, vel munera, vel ſolatia, quidam etiam cultores dœmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei, quò pertinent illi. Et hoc

ipſius miſericordia factum eſt, ne ab illo iſta, qui in eum crederent, velut ſumma bona deſiderarent. Sed fœlices eos dicimus, ſi iuſtè imperant: ſi inter linguas ſublimiter honorantium, & obſequia nimis humiliter ſalutantium non extolluntur, ſed ſe homines eſſe meminerunt: ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maximè dilatandum, maieſtatis eius famulam faciunt: ſi Deum timent, diligunt, colunt: ſi plus amant illud regnum, vbi non timent habere conſortes: ſi tardius vindicant, facilè ignoſcunt: ſi eandem vindictam pro neceſſitate regendæ tuendęque Reipublicæ, non pro ſaturandis inimicitiarum odijs exerunt: ſi eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem correctionis indulgent: ſi quod aſperè coguntur plerunque decernere, miſericordiæ

leni-

Digitized by Google

lenitate & beneficiorum largitate compenſant: ſi luxuria tanto eis eſt caſtigatior, quanto poſſet eſſe liberior: ſi malunt cupiditatibus prauis, quàm quibuslibet gentibus imperare. Et ſi hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, ſed propter charitatem fœlicitatis æternæ: ſi pro ſuis peccatis humilitatis, & miſerationis, & orationis ſacrificium, Deo ſuo vero immolare non negligunt. Tales Chriſtianos Imperatores dicimus eſſe fœlices; interim ſpe, poſtea re ipſa futuros, cum id quod expoſcimus, aduenerit. Hæc eadem omnia in regum adminiſtros planè conueniunt. Spectatiorem omnino in excelſo virtutem poſtulat, qui proceribus locum altiorem tribuit. Nunquam audiendi, qui vitia ſua moribus, aut legibus palatij excuſant. Segnitiem & impudentiam illis

Digitized by Google

illis Daniel exprobrat, in aula regis vltra omnem terram peſſimi, in palatijs Babylonis, hoc eſt Orbis vniuerſi proſtibulo, animum ac corpus incontaminatũ conſeruauit. Oſtendit contra veram virtutem nihil poſſe inſanientis imperij vitia: Danielis virtus inter malos ſpecioſior & probatior, procerum inter Chriſtianos aulicos tutior eſt. Prauę conſuetudini obluctandum, non cedendum magiſter ille docet. Nunc quoq; cauendus error ſtultorum exitiabilis, qui pręcepta virtutum ad ſacros homines relegant, ſibi velut mundanis, qua lubet, ire via, permiſſum inſtant. Quaſi non eædem omnibus & virtutis amandæ, & vitij deteſtandi de cœlo leges figantur. Non ignoro, & dolenter confiteor, eò lapſos quorũdam mores magnatũ, vt vſitata vitia pro legibus habeãtur. Madere vino, in-

indulgere genio, in purpura gēmaq́; tumeſcere, inimicari, iniuriam manu vlciſci, ſubiectos opprimere, maiorum vitijs adulari, de fama detrahere, fallere, irridere, inuidere, ſtolidis prudentia videtur, & viro nobili non indecora libertas. Hæc Daniel & ipſe fugit, & conſuetudinem delinquendi, continua conſuetudine puniendi abrumpi docuit, ſuo æuo illa minatus eſt, & cunctis regnis tum futuris, nunc magna parte præteritis, vaticinatus eſt. Palatiorum ſtudia, artes, fraudes, ſcelera, interitus, omnes euentus, etiam Heroum conſtantiam, pietatem, decora, precioſas in conſpectu Domini mortes, quaſi ex intimis conſilijs hiſtoricus deſcripſit, vt poſteri euentura credant, quæ nondum ætas attulit, cum facta legunt, & eâdem de priſcis & ſuis temporibus ſinceritate iudicēt.

Omnia ad Deum & prouidentem, & prędicentem referant, vt immenſitati omnipotentis ſeruiat hominũ qualiſcunque, certè breuis, magnitudo. Cœteri Prophetarum Iſraëlis, & finitimarum gentium fata prænunciarunt, & oraculorum veritatẽ nũquam ante ſatis creditam, euenta comprobarunt. Daniel omnes monarchias, etiam noſtram, omnem mundi ętatem, etiam noſtros annos, & actus complexus eſt. Teſtimoniũ illi Saluator dedit, cùm Chriſtianos viſuros affirmat deſolationem prædictam à Daniele propheta, ſtantem in loco ſancto.

Ne vero quiſpiam Danielis imitationem, aut diſciplinam difficilem eſſe cauſari queat, plurimorum regum, principum, procerumque exemplis oſtendo, in aulis non modo terrenæ dignitatis apicem, verum cœ-

cœleſtis quoque philoſophiæ culmen à Deo conſtitutum. Sanctiſſimi in Eccleſia Præſulum, glorioſiſſimi Martyrum de palatio venerunt: illud enim generoſos animos non corrumpit, ſed probat, & euehit. Danielem igitur audiant, Proceres, qui vera ſapientia, & virtute animos informat, contra omnia, quæ fortuita videntur, à Deo autem præuiſa, & prædicta fuerunt, mentem firmat. Omnes ille in ſublimi collocat, vt regnorum ortus atque occaſus, mũdique incendia ac ruinas intuiti, ne mirentur in cinerem abituras & opes, & dignitates; ſed animos parent creatori, iudicique ſuo, vt cum iudicium ſedebit, aut auferatur potẽtia, & conteratur, & diſpereat vſq; in finem. Regnum autem & poteſtas, & magnitudo regni, quę eſt ſubter omne cęlum, detur populo ſanctorũ al-

tiſſi-

tiſſimi;cuius regnum, regnum ſempiternum eſt, & omnes reges ſeruient ei, & obediēt. Quos inter Sanctos,& reges ſtationem honoratam Serenitati Tuæ,ex vita piè acta ſpero,voueo, & quotidianis precibus, ſacrificijsque expoſco.

Serenitatis Tuæ

Humillimus ſeruus

Adamus Contzen.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITVM
In hoc opere contentorum.

CAPVT I. *Scopus totius operis* fol. 1
CAP. 2. *Magnatibus, Aulicis, Nobilibus, ſenatoribus, ſcribere opera precium eſſe,* 4
CAP. 3. *Curiam ac Aulam ſacræ doctrinæ ac virtutis eſſe capacē,* 7
CAP. 4. *Danielem Aulicum, & Aulicorum principem, Curiæ doctorem eſſe.* 11
CAP. 5. *Summa Danielis experientia & dignitas.* 17
CAP. 6. *Danielis externus ſplendor.* 23
CAP. 7. *Danielis propheтiam omnino aulicam eſſe, Regibus proceribuſque primario ſcriptam; nec non toti nobilitati,* 26
CAP. 8. *Aulæ, procerum ac Curiæ mala,* 32
CAP. 9. *Aulæ defenſio,* 39
CAP. 10. *Quatuor in aula difficilia omnibus, pariterque in ſenatu;* 49
CAP. 11. *Rempub. & Aulam adeūti prima cura ſit placere Deo* 56
CAP. 12. *Fidelitas palatii & curiæ, illa principi & Deo præſtanda eſt,* 61
CAP. 13. *Fidum homini neminem eſſe qui Deo non credit,* 68
CAP. 14. *Improbos conſtanter Regibus caros non eſſe, nec principes malos habere amantes ſui,* 78
CAP. 15. *Bonos in aula euehendos, malis nihil committendum in Rep.* 86
CAP. 16. *De duplici ſpe aulicorum, & procerum, & errore ſperantium,* 95
CAP. 17. *Cauſa cur Magnates & Aulici vtraque ſpe ſæpè excidant, eam in ipſis hærere,* 103
CAP. 18. *Metus imminentium in aula grauis: atque omni Rep. moderatio illius & victoria,* 111
CAP. 19. *Magiſtratibus ac Palatinis feruenter orandum exemplo Danielis,* 120
CAP. 20. *Danielis imitatores omnes fideles, præcipue Palatinos, Magnates, nobiles, Tribunos & centuriones, eſſe,* 125
CAP. 21. *In aula eſſe pietati pericula, & in omni adminiſtratione publica;* 132

**

CAP.

CAP.22. *Cauſa cur in Aula pietas facilè intepeſcat, remedia & adhortatio,* 137

CAP.23. *Aulicæ impietatis ſingulari ſeueritate Deus vltor,* 144

CAP.24. *Obex virtute & conſuetudine & exemplis aulicis, & vitiis nobilitatis & Præſidum,* 153

CAP.25. *Ad bene in Aula ac Curia viuendum opus eſſe ſumma ſapientia,* 162

CAP.26. *Nullam hominis ſapientiam vitæ in Aula aut curia degendæ ſufficere,* 170

CAP.27. *Sapientiores fere regibus eſſe Conſiliarios & Familiares & de conſilio dando,* 172

CAP.28. *Ad ſapientiam diſcendam admonitio, de ſtudio nobiliū Palatinorum & exercitationibus,* 178

CAP.29. *Aſtutia & doli aulici ex Daniele coruq́; exitus,* 190

CAP.30. *De falſa ſapientia & dolo malo cauendo in adminiſtratione & cura publica,* 207

CAP.31. *Obſequiū in aula ſincerum & obedientia neceſſaria,* 217

CAP.32. *Laborioſa in Palatio obedientia & noxium otium,* 226

CAP.33. *Induſtriam, Diligentiam & celeritatē in curia atq; aula plurimum requiri, præcipitantiam fugiendam,* 229

CAP.34. *De palatinorum familia ſenatorumq; ac nobilium,* 235

CAP.35. *Oeconomiæ ratio in ædibus magnatum,* 241

CAP.36. *Aula accuratiſſimam verborum cautionem poſtulat, Maiorem ſenatus,* 247

CAP.37. *Contumeliæ, Calumniæ & obtrectationes in Aula, vrbe, Curia,* 253

CAP.38. *Contumeliæ & Calumniæ ferendæ omnibus in ſublimi poſitis & eorum ſeruis,* 259

CAP.39. *Accuſationem ciuilium aulicarum delationum, obtrectationum, calumniarum deteſtatio,* 263

CAP.40. *Adulationes Aulicæ & loquendi libertas in Curia,* 266

CAP.41. *Comitas Aulica, Vrbana, nobilitas, humanitas,* 274

CAP.42. *De fide ſecreti in ſenatu, Aulaq; maximè neceſſaria* 280

CAP.43. *Beneficia conſiderate petenda,* 282

CAP.44. *Ira & ferocia, Palatinorum, nobiliū, Patritiorū,* 286

CAP.45. *Contra iram remedia, & manſuetudinis præcepta magnatibus idonea,* 296

CAP.

CAP. 46. *Magnam Patientiæ palæſtram eſſe Palatium ac curiam,* 310
CAP. 47. *Conſtantia, fortitudo & generoſitas principum & magnatum familiaritate digna,* 315
CAP. 48. *Fortitudinem ac magnanimitatem veterum nobiles & palatinos noſtros imitari,* 326
CAP. 49. *Pertinacia conſtantiæ larua vitanda, eam potentibus periculoſam ſed conſuetam,* 330
CAP. 50. *Audacia aulæ & iactantia, Patricia arrogantia,* 335
CAP. 51. *De opibus in Aula parandis eorumq́ꝫ vrbana in curia ſtudio,* 338
CAP. 52. *Vſus opum, liberalitas, & qualis in magnatibus, In aula ſit neceſſaria,* 348
CAP. 53. *Iuſtitiæ & æquitatis in Aula tutela, & in ſenatu præſidium,* 366
CAP. 54. *Caritas, amicitia, concordia, odia, inimicitiæ, diſcordia in aula & in adminiſtratione,* 374
CAP. 55. *De aulæ temperantia, de deliciis, de abſtinentia, ſobrietate magnatum, nobilium,* 385
CAP. 56. *Sanitati & longæuitati conuenire temperantiam, copiam obeſſe,* 392
CAP. 57. *Alia mala ebrietatis aulicæ & procerum,* 397
CAP. 58. *Caſtitas aulica, nobilium, diuitum,* 403
CAP. 59. *Ratio ſeruandæ in aula, ac potentia, opibusque caſtitatis,* 412
CAP. 60. *Honeſtas & verecundia verborum in aula, turpiloquium fugiendum,* 418
CAP. 61. *Danielis modeſtia eiusque de ſuperbia magnatum & ambitioſis ſententia,* 423
CAP. 62. *Magnis vera humilitas ſuadetur, & de vitanda ſuperbia,* 433
CAP. 63. *De fama & honore, eoque vindicando,* 447
CAP. 64. *Humanas vitæ miſerias in proceribus ſpectabiles eſſe, & vnumquemque admonere modeſtiæ,* 451
CAP. 65. *Magnatum ac Aulæ felicitas vera, falſa, eius æſtimatio, moderatio,* 462
CAP. 66. *Nobilium virorum animos ad triſtia durandos, omni-*

uinque qui ad remp. accedunt, 466

CAP. 67. *Nobilitatis æſtimatio,* 475

CAP. 68. *De aulæ veſtitu, externis ceremonijs, atque errore nobilitatis, ac Diuitum,* 485

CAP. 69. *Conſcientiæ cura & innocentiæ commendata ante omnia magnatibus.* 496

CAP. 70. *Magnatibus, Palatinis, Magiſtratibus ſeria, & grauis pœnitentia conuenit,* 504

CAP. 71. *Iudicij diuini in aulis & nobilitate ac magiſtratibus conſideratio ex Daniele,* 510

CAP. 72. *Omnium rerum, quæ in mundo ſunt, aſpectu Iudicij extremi [illegible] ingeri,* 524

CAP. 73. *Omnibus hominum conatibus ac geſtibus extremi iudicij ſignaturam à Deo impreſſam,* 533

APPRO-

APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS GERMANIÆ SVPERIORIS, SOCIETATIS IESV.

HVnc Librum, cui titulus, DANIEL, ſeu de ſtatu, vita, virtute Magnatum atque Aulicorum, à R. P. Adamo Contzen, Societatis noſtræ Doctore Theologo conſcriptum, atque à deputatis ad id Theologis lectum & approbatum, Ego Gualterus Mundbrot Societatis IESV, per Germaniam ſuperiorem Prouincialis, conceſſa mihi poteſtate ab admodum R. P. N. Mutio Vitelleſcho, Societatis noſtræ Præpoſito Generali, Typis mandari permitto. 18. menſis Martii, Anno à Chriſto nato M.DC.XXX.

Locus ſigilli.

Gualterus Mundbrot.

INDEX RERVM MEMORABILIVM Danielis, de ſtatu, vita, virtute aulicorum atq; magnatum.

A

AAdias in aula impij regis vir ſanctus, 45

Abrahã liberalis in pauperes, 357

Abdallus Saracenus crudelis turri oppreſſus, 302

Abiectus animus eſt, qui ob leues cauſas magna pericula adit, 357. & ſeq.

Abſtinentia in palatio laudatior, 390.

A culpa auocare magna caritas eſt, 382

Adoratio ciuilis, 25

Adriani martyris fortitudo & conſtantia, 324

Adulatio dulce venenum, 266. grande aulæ malum, 269

Adulatorum ſtultitia, 270

Agnes hominem à diabolo occiſum vitæ reſtituit, 377

Ægypto inſidiatur Antiochus, 199. ob vinolentiam in prouinciam redacta, 400

Æqualitas inter amicos quærenda, 381

Æs alienũ non contrahendũ, 24

Africanæ humilitatis memorabile exemplum, 442

Albinus Carolum Franciæ regis filium laruatum ignorãs occidit, 337

Albinus in vxorem crudelis per eam occiſus eſt, 302. crudele votum reuocat, 306

Actiolinus immanis tyrannus quomodo perierit, 303

Alexandri martyris in tormentis conſtituti forte dictum, 139

Alexander Magnus ſuorum perfidia vexatus & necatus, 69. 203. eius efferata ira 288. vinolentus ſæuijt, 400. eius ſuperbia, 429 infœlicitas, 430

Alexandrini ob dicacitatem cęſi. 255

Alexandra imperatrix Deo & marito fidelis, 65. eius martyrium ibid.

Alphonſus Hiſpaniæ rex de choreis quid dixerit, 161. eius mãſueto, 305. liberalitas, 364

Amicitia impiorum breuis & cur, 82,

Amicitiæ veræ indicium, 377. 380

Amici veri rari, 381

S. Amator Germanũ ſibi aduerſarium ad Epiſcopatum promouit, 378

Amator proximi duplex, naturalis & ſupernaturalis, 82

Amor fictus & adulterinus in multis procis, 52

Amor humanus debilis, 83. donis fulcitur, 84

Amos de agro parabolas ſumit, 28

Anaxagoræ dictum, 109. ſtulta aſſertio de niue, 331

Andreas Chius fortis martyr, 66

Animi bona petenda, 143

Antichriſti aula potentiſſima & impiiſſima, 137

Antiochi Magni inſidus & ſceleratus animus, 79 & ſeqq 194. poema 195. de eo multa 199. & ſeq. eius nepotum miſeria. 454

Antiochus Epiphanes Antichriſti typus, 81. & 137. de eo multa 203. & ſeq. eius ſuperbia, 431

Anton'j Gueuaræ liber de aulæ vituperatione, 35

Antiocheni idolothytis veſcebãtur

tur cum gentiliũ irriſione, 1 2
Anthymi comitas, 277
Antichriſtus ſuperbiſſimus, 432
Antoninus Imp. magiſtris ſuis ſtatuas erexit. 187
S. Antonini Epiſcopi viſio, 362
Antonij Siculi fortè dictum ad Turcam, 272
Aphianus Martyr tyrannum offendit, 59
Aquæ potus commendatus, 395 eſt naturalis ibid.
Arabes crudeles in familiam, 259
Arceſilai eleemoſyna. 363
Ariſtidis dictum ad Dionyſium regem filiam nuptui petentem, 43
Artemij amor in Deum, 379.
Artemonis timor. 116
Aſclepiadis vanitas, 435
Aſſyrij equites, 180
Athanaſio gratiæ aguntur ob donatam viduam impatientem, 312. & ſeq.
Atheiſmi fructus, 73
Aſtutia ſapientiæ imitatrix, 190. in aulis regnat, ibid facilè puteſcit. 191. nihil prodeſt, 214
Aſtuti ſuo vitio plectuntur. 191. non apti ad diſciplinam, 214
Attali calliditas. 197
Auaritia procerum pernicioſa, 338 opibus creſcit. ibid communis vitium. 339. proceres longe infeſtat, 340
Auctoritas parſimonia quæritur, 244
Audacia eſt æmula fortitudinis 335. vel potius larua, ibid. vana iuuenum 336. magnorum malorum cauſa. ibid. eius turpitudo, 337
Audaces in malis in bonis ſunt timidi, 337
Aulici Chriſtiani in aulis impiorum principum. 47. quis eorũ debeat eſſe finis, 108
Aula à multis principibus purgata. 43. ei prudentia neceſſaria, 397
Aulæ impiorum pios habuerunt, 9. & 10.
Aulæ magiſter Daniel, 27
Aulæ vitia. 33. ſcandala. 34. ſeruitus. ibid.
ex Aula terrena iter debet eſſe ad cœleſtem. 2. Aula magiſtra impietatis, 136
Aulicorum peccata grauius punienda. 3. terror. 57. in mari viuunt. 121. ſe mutuo perdũt. 245
Aulicorum quorũdam dimidiata pietas, 139.
Aulicorum iuniorum officium, 187

B.

BAbylon quam magna olim, 452.
Babylon vrbs impia. 13. ebria periit. 388. meretrix 403. eius pœna, 405
Babylonicæ aulæ præfectus Daniel, 19
Babyloniorum furioſa ſtultitia. 332. poema, 369
Babylus martyr Apollinem elinguem reddit, 103
Balduini Solymorum regis caſtitas, 416
Balthaſar quid ſignificet. 13. & ſeq.
Balthaſar rex Babylonis Danielẽ ſpreuit. 20. hæres paternæ impietatis ſed non pœnitentiæ. 136. ſuperbia, 427
Bãbanus Vngariæ reginã occidit ob conciliatũ adulterium, 162
Barbara Imperatrix impia, 138
Barbaris grata imperitia. 187
Barnabas Dux Mediolanẽſis crudelis

delis & venator quomodo perierit, 33
Beatrix virgo occiſa propter prędium, 209
Baſilium iudicem ſe capere volentem liberat, 142
Belli iniuſti authores, pereũt, 370
Beneficia petentium errores, 272
Beniamin Diaconus Perſa martyr fortis & fidelis, 77
Beneficia paucos faciunt amicos, ſed multos ingratos, 382
Bernardini verecundia, 420
Bertholdi Marchionis impietas & ſacrilegium, 1.9
Beſtiæ mitiores hominibus, 291
Boleslaus Polonus Boleslaũ Bohemum occidit. 72. eius pertinacia & pœna, 334
Bonifacius Ferentinus Epiſcopus precibus ſuis vinum multiplicat, 109
Boſo rex Arelarenſis capite damnatus quod Epiſcopo alapam inflixiſſet inter ſacrificãdũ, 142
Braccius audita inimici morte ſibi quoq; interitũ prædicit, 462

C.

CAbades Perſarum rex vxores communes eſſe voluit, eiuſque pœna, 410
Calanus Indus rogũ aſcendit cũ ſpectatorum irriſione, 442
Callinicus martyr militibus ipsũ ducentibus pluuiam impetrauit, 303
Calliſthenes Bacchum fugit ne comitem haberet Æſculapium, 394
Caluini calumnia in Danielẽ, 24
Calumnia optimos ſternit, 253
Calumniæ aulicæ exempla. 253 mala, 258
Calumniator patitur calumniam. 254. pœna, 256. & ſeq.
Carantani quomodo facti Chriſtiani, 443
Caracalla patrẽ occidere tentauit & multos alios occidit, 85
Caroli Craſſi animi magnitudo, 313
Caroli Magni in orando ſtudium. 127. eruditionis cura, 188
Caſimiri patientia & benignitas, 306
Caſtrucius quomodo ſevltus, 302 mẽſarios inuictos ſuſpẽdit, 373
Cauſa deos negandi, 75
Cauſæ veræ, neglectæ pietatis in aulicis, 139
Celeritas Alexandri, 229
Cerealis dictum de vita, 464
Certamen inter diuitem & pauperem, 360
Chaldæi ſapientiæ amatores, 179
Chaldæorum regum potentia. 18
Charitas maior miraculis, 376
Chriſtiani veteres heroës. 318
Chriſtianorum pietas. 126
Chriſtianorum principum aulici meliori loco quam Ethnicorum., 162. & ſeq.
Chriſtianus nulli inimicus, niſi malus, 378
Cibus ſobrius ſalutaris. 393
Ciborum varietas noxia, 393
S. Ciliani Epiſcopi Herbipolenſis occidendi dictum, 120
Clementia homini propria, 309
Claudij & Anabij pertinacia, 334
Cleopatræ odium contra patrem Antiochum, 201
Clericorum auaritia taxatur, 340
Clericorũ ebriorũ olim pęna, 391
Cæcis ſimiles adoleſcentes, 179
Cogitationes cohibendæ, 227
Comitas ornat virtutes. 275. eius ſignum, 276. pauperibus exhibenda. ib. exempla, 277

Con-

Concordij martyris reſponſū, 1[illegible]o
Conſilij mali merces, 177
Conſiliarij regibus prudentiores, 173. 175. eorum officium, 175
Conſilium multi petunt, ſed non ſyncere, 177
Conſortium malorum periculoſum, 155
Conſalui Magni māſuetudo, 299
Conſtantini Imp. pietas. 125
Conſuetudinis vis in aulis. 37. 153 tauro ſimilis, 38
Contemptus à mundo, à deo honoratur, 435
Contumelia etiam in vero crimine fit. 2[illegible]5. nō inferenda ſed ferenda, 256
Contumeliæ & calumniæ omnibus principibus velint nolint, ferendæ, 259
Critiæ crudelitas ſingularis, 302
Crotildis oratione hoſtem profligauit, 128
Cupiditas menſuram neſcit, 344
Cupido laudis noxia, 34
Cyri Perſarum regis regimē quale. 18. [illegible] 21. crudelitas. 4[illegible] [illegible], 452

D.

DÆmonactis aurea doctrina. 251
Daniel aulicorum princeps. 11. eius nobilitas. 12. in virtute cō[illegible] [illegible] nomen, [illegible] [illegible] fuerit in [illegible] non [illegible] magnus fuit in aula [illegible] anos. [illegible] [illegible], ſapientia [illegible] præfectus aulæ [illegible] a Baltha-ſaro rege [illegible] eius magnificentia. 23. [illegible] a rege adoratus 2[illegible]. adorationē nō [illegible] 25. eius prophetia aulica 28. colloquia cum angelis aulica. 29. à Deo vocatus ad aulā. 40. [illegible] cauſam [illegible] bonos [illegible] 86. [illegible] ſeipſum regi commēdauit. [illegible] eius in rebus gerendis [illegible] 105. aſſiduus orator. [illegible] orationem ſuam latere noluit 122. eius ſapientia 163. ſcientia. 179. & ſeq. ſimplicitas. 1[illegible]2. regum [illegible] prædicit. [illegible] obedientia. 218. ſolertia. 219. eius familia inculpatiſſima. 235 inſignus œconomus. 242 cautè dicet. 248 eius libertas 249. co[illegible] 274 & ſeq. a [illegible] petens omnia accepit [illegible]82. parſimonia. 310. fortitudo. [illegible]17. iuſtitia 307. caſtitas [illegible]03
Damnatorum maxima pars detractores, 263
Dauidis abſtinentia, 390
Deſiderius rex ſimulata religione Romam ingreſſus. [illegible]9
Detractio [illegible] 1[illegible]0. 263 & ſeq.
Deus regi aulam dat, aulicos vocat. 44. reges conciliat. 58. in eum omnis ſollicitudo reijcienda. 99
Deo infidelis non eſt homini fidelis. 70. ab[illegible]q, eo res ſuas promouere velle [illegible] eſt, 98
Deum [illegible] qui impiorum [illegible] vtuntur, 93
Deus contumelijs afficitur, multo [illegible] homines 2[illegible]9 eius inimicum [illegible] ſtultiſſima audacia eſt, 335
Dei amor proximi amorem ſecum trahit, 378
Diligentia & celeritas laudabilis, 2[illegible]9
Diocletiani, licet impii, aula habuit viros ſanctiſſimos. 9. eius ſuperbiæ pœna. 409

Dioxippus per calūniam ad mortem adactus, 255
Diſcrimen ambitioſi & magnanimi, 449
Diues an amicos habeat ignorat niſi ad paupertatē veniat, 381
Diuitiæ bonis ſunt materia virtutum, 23
Diuitum remiſſior oratio & vnde, 140
Diuites difficillimè ſaluantur. 343. pauperum œconomi. 358.
Diuitū & pauperū differētia, 345
Doctrina ſacra audienda, 9
Docti multi futuri tempore Antichriſti, 184
Documenta vitandarum fraudum, 216
Doloſus capitur doliſ. 210
Doloſi ſemper ad nocendum intenti, 212
Dolus non diu tegitur. 212. niui ſimilis, 213
Domini mali amant ſeruos ſimiles, 241
Dorothei aulici virtus, 9
Duella & lites quærens Ethnico deterior eſt, 299
S. Dunſtanus aulicus Danieli ſimillimus. 54. & ſeq. eius nobile factum, 55
Dura non fugienda, 326

E.

EBroini obſtinata contumacia. 332. poena, 333
Ebrietas regna & reges perdit. 388. omnibus hominibus perniicioſa. 389. & ſeq. turpiſſima Eccleſiaſticis. 390. & ſeq. eſt cōtra naturam. 396. graue peccatum 398. furor. 399.
Ebrij imprudentes, 397. eorum pœna & cōtemptus, 398
Eccleſiæ lex contra ſcortatores clericos. 407. & ſeq.
Edmundi caſtitas, 421
Eduinus Angliç rex ipſo inaugurationis die relictis proceribus ad ſcorta diuertit. 55. pellitur. 56
Eleemoſyna ſuadetur regibus 348. Deo grata. 350. ſignū prædeſtinationis. 351. eius præceptum. 353. qualiter danda, ibid. cōtra eam euaſiones diuitum. 354. & ſeq. eius fons frugalitas 358. eſt neceſſaria. 359
Eliphius Danos à deprædationibus abſterrens occiditur, 339
Eleutherij marty. fortitudo, 380
S. Engelberti Epiſcopi iniuria vindicata. 258. eius clementia cum iuſtitia coniuncta. 309. martyrium, 310
Ennodij petulantia in S Gallum Epiſcopum. 257. pœna. ibid.
Epheſij Hermodorum expulerunt & cur. 53
Eraſmi de principibus contumelioſa ſententia, 37
Eudoxij martyris benignitas, 305
Euilmerodach rex Babylonis Iudæis eorumq; regi benignus, 20.
Euphemiæ virginis oratio & martyrium, 135
Euſebij amor in hoſtes, 377
Euſtachij varia fortuna & martyrium, 99
Eutropij auaritia & ſcelera, 91. & tandem probroſa mors, 156
Exempla comitatis. 277. iratorum, 291. & ſeq.
Exempla tam bona quam mala valde efficacia, 153
Exercitatio veterum, 180
Exteri non contemnendi, 14. ſed tamen examinandi, 15
Externa etſi ſplendida non faciunt hominē fœlicem, 464

Fabia-

F.

FAbiano Iudici quid Pótianus martyr reſponderit, 325
Fabula quæ in aulis agitur qualis 52
Facini tyranni dictum crudele & inhoneſtum, 244
Fælicitas in quo ſita, 463
Fallentem falli vſitatum eſt, 207
Falli nemo vult, multi fallere 207
Falſa amicitia, 79
Fama quomodo & quando defendenda, 261
Fama fauorem efficit, 55
Familiam honeſtam debet habere dominus, 35
S. Faro Epiſcopus Meldenſis, 174 eius prudētia. ib. clementia, 209
Fardulphus ſacerdos inſidias regi indicat, 6[illegible]
Fauor maiorum mutabilis. 78
Fatuitas fugienda, 215
Fauor hominum breuis & fallax, 384
Ferenda communia, 312
Ficto amore reges produntur, prouinciæ expilantur, 85
Fidelitas regi neceſſaria. 45. in aula prima virtus. 62. in quo conſiſtat. 63. in ſcelere non conſiſtit. 64.
Fidelis verus quis ſit, 65
Finis prophetarum & legis eſt ad Chriſtum adducere, 29
Finis medicorum quis eſſe debeat, 16[illegible]
Fliolmus Gothorum rex ebrius in dolium præcipitatus, 401
Fœda in ſacris viris intemperantia, 390
Fœneratoris cuiuſdam doloſitas, 212
Fons eleemoſynæ frugalitas, 35[illegible]
Fornicationis rara pœnitētia, 408.
eius cauſa, ibid.
Fortes aula non corrumpit. 46: in aula eſſe debent, 318
Fortitudo vera in quo ſita. 316. eius officium. ibid. non eſt ſola 317. eſt in terribilibus. 318
Fortitudo bellica laudata nobilibus, 327
S. Franciſcus monaſterio condendo mirabilem ſulcum ducit, 101
Fraus impia Antiochi & punita. 20 & ſeq.
Fraus aſtutiæ ſoboles in aulis regnat. 190. eius finis, 191
Fraudes quomodo vitādæ, 207
Fraudes aulæ Macedonicæ, 193 diuerſorum regum. 19[illegible]. & ſeq.
Fuga orationis ſignum eſt grauium peccatorum. 140. & reprobationis, 141
Frugalitas veterum, 391

G.

GAlæ gemmæ natura, vt igne non calefiat, 372
Galeazius præſtigiatorem ſtrangulari facit & cur. 211. ob crudele & petulans dictum propemodum occiſus, 302
Gallieno imperante miſera Ro. Imperij facies 40. eius tyrannis, 310
S Gallus Aruernenſis Epiſcopus patiens in contumeliis, 257
S Gallus quando vixerit, eiuſque prudentia, 174
Galli & Hiſpani an vnquam a Chaldæis inuaſi, 18
Gallicanus quomodo Chriſtianus factus eiuſq; caſtitas, 406
Gamelbertus ab angelo ad ſtudium inuitatur, 188
Geneſij martyris fortitudo, 319
Gentes delicijs deditæ, 394
Gentiles nomine tantum fortes, 320

Ge-

Genus hominum duplex aduerſis Eccleſiæ temporibus, 183
Gerardus vir nobilis iam ſenex ad ſtudia ſe contulit, 188
Germania ebrietati dedita dat pœnas, 398
Germanorũ principum modernorum tam bonorum quam malorum vitia & virtutes & pœna. 370.& ſeq.
Germani principes ob ebrietatẽ comitia fruſtra celebrant, 401
Georgius Martyr pro Chriſtianis perorat, 10
Gloria magnatibus non quærenda ſed virtus, 433
Gordiani Centurionis & martyris fortitudo, 3-2
Gratia Dei naturæ noſtræ concors, 27
Gratia & gloria à ſolo Deo, 91
Guarnerus prædator Auſtreg ſilum viuum & mortuum habuit obſiſtentem, 342
Gundacari impietas & pœna, 151

H.

HAraldus Daniæ rex crudelis à Tocone occiſus, 302
Hæreſis in atheiſmum deſinit, 73
Hannonis Epiſcopi Colonienſis iuſtitiæ tenacitas, 372
Hedvvigis pia & innoxia fraus, 215
Hermãni Pragenſis Epiſcopi iam morituri dictum, 7
Heroum filij noxæ & vnde. 37
Hiero ob turpiloquium amico ſuo grandem mulctam impoſuit. 421
Hieronymi Oligiati moritur; dictum ſtolidum, 436
Hilarius pecuniam accipiens ne idola tollerentur, punitus, 209
Hippacẽſes riſui ſacrificabãt, 277
Hiſpania ob libidines Mauris tradita, 410
Hiſtrionis cuiuſdam factum, 213
Homines quidam longæui. 459. & ſeq.
Honore delectari non eſt ſapientis. 436 cum tamen quærere per ſe non malum 448. non tamen faciendus. 450. quomodo eum optare liceat. ibid.
Hormiſda Perſa martyr inſignis & Deo fidus, 77
Hoſtem fallere difficile, ſed amicum facile eſt, 377
Humanus animus naturam violat 85
Humilitas Deo grata, 445

I.

IAcobus Interciſus aulæ Perſicę artibus deceptus Chriſtum negat, ſed poſteà pro Chriſto occiditur, 38
Iacobus Niſibeni oratione hoſtẽ profligauit. 128. ſaxo in partes diſſiliente iniuſtitiam arguit. 372. puellus impudicas quomodo punuierit, 416
Iaſon Apoſtata quomodo punitus. 81.& ſeq.
S. Ignatius prouectæ ætatis ad ſtudia ſe contulit. 188. amicum libidini deditum quomodo conuerterit, 382
Ignaui eſt petere mortem, 115
Ignoſcentium exempla, 304
Imbecillitas mentis humanæ in diuinis intelligendis, 26
Imperitia cauſa malorum, 185
Impietas duplex, 144
Imperia non examinanda, 218
Impius infidus eſt, 68
Impiorum breuis amicitia & cur, 82
Improbi infideles ſunt. 71. ijs nihil committendum, 91

Impudicitiæ ſtupor, 410
Ioachim rex Iuda carcere eductus, 20
Iugo Dux Carantanorũ quomodo ſuos fecit Chriſtianos 443
Ingenium ex [illegible] & locis applicandum, 188
Iuſtitiæ pœna [illegible] duplex. 371
Inobedientia aulici grande malum, 2[illegible]0
Innocentia Deo placet, 51
Inimicitiæ fugiendæ, 263
Iniurijs [illegible] obſtandum, 417
Inuidia ſequitur ex raptu rerum Eccleſiaſticarum, 152
Intentio dat operi nomen, 10
Ioannes martyr edictum contra Chriſtianos diſcerpſit, 59
Ioannis Bulæi liber de ſtatibus hominum, 4
Ioannes Angliæ regis præfracta malitia, 150
Ioannes Eremita Theodoſij conſiliarius, 176
[illegible] pœna. 423
Ioſeph Pharaonis aulæ magiſter. 11. [illegible] fauore [illegible] & quomodo 54. Chriſti figura, ib.
Iræ quibus ſimiles 289. a ſeipſis læduntur. 293 eorũ aliquot exempla. 291 & ſeq
Ira conſilij nocet. 289. eius impetus ſine cõſilio. 293. remedia, 306.
Ira magnatum pertinax, 292
Irarum leues cauſæ. 294
Iſaiæ propheta grauis, 27
Irene Imperatrix deiecta gratias agit, 313
Iſocratis morientis dictum, 116
Italia barbarorum præda, 3[illegible]0
Iudex quidã ob pecuniã puerũ in manibus Iudæorũ cruciandũ relinquit, 345. & ſeq.
Iudicium & ira reprimenda, 308
[illegible] heroicus animus. 329
[illegible] Britonum regis filiæ dictum, 61
Iulij [illegible] & [illegible] 189
Iuliani Cardinalis dictum. 180
Iulianus Sabæ Epiſcopum malũ precibus occidit, 184
Iuliani Apoſtatæ [illegible] in cibis idololatricis [illegible] Chriſtianis [illegible] prohibuerit, 189 & ſeq.
Iuſtus neminem fallit, [illegible]
Iuſtiniani Iunioris horrida & pertinax ira, 300
Iuſtitia regibus neceſſaria 366 eius præcepta, 367
Iuuenum imprudentia, 165

L.

Labor non delectatio quærenda. 222. eius neceſſitas ibid.
Labor manuum honeſtus. 224 & ſanctus, ibid.
Labori præmium datur, 228
Lacedæmonij ſecretorum tenaces, 280
Ladislaus Vngariæ rex precibus exercitui ſuo commeatum impetrauit. 127. eius in victos hoſtes clementia, 306
Laodice maritum veneno occidit, 195
Largitiones inutiles cauendæ, 246
Laurentius Dublienſis Epiſcopus percuſſori indulget, 304
Leænæ natura. 30. ei aſſimilatur imperium Chaldæum, ibid.
Lectio pia omnibus vtilis, 8
Leodegarius Auguſtudunẽſis Epiſcopus, eiuſq; prudentia. 174 martyrium, 175
Leonis natura, 30
Leopardus quale animal, 31
Leopoldus Auſtriæ præfectura donatus ab Imperatore ob ſolertiam. 303

Leſ-

Leſcus fraude regnum quærens diſcerpitur, 210.& ſeq.
Lex aulæ cœleſtis nullius probare crimen, 161
Lex Dei māſuetudinem requirit, 299
Liberalitas in pauperes ſignum prædeſtinationis, 351
Libertas quorūdā, 271.& ſeq 273
Libido legibus coercita. 407. eius rara pœnitent a 408. regna perdit, ibid.& ſeq.
Linguæ periculum in aula. 247. abuſus, 249
Linguæ maledicorum ſerpentibus cinctæ, 254
Lodoici Gōzagæ verecūdia, 426
Lodouicus Lādtgrauius ruſticū ſe vituperātē patiēter audit, 261
Lodouicus Pius apparet filio & petit ſuffragia, 233
Lodouicus xi. Galliæ rex medico ſuo obnoxius, 116
Lucia quomodo eleemoſyna dāda ſit, matrem docet, 363
Lucretius præſes ob occiſam Beatricem virginē vt prædio eius potiretur, à dæmone arreptus & occiſus, 309
Luxuriæ frenandæ rationes, 412
Lycurgus ignauiam vetuit, tanquā Reipub. proditricem. 223
Lyſandri filiæ pauperes à ſponſis relictæ, 347

M.

MAcedones in ſe mutuo crudeles, 32
Macedonicæ aulæ fraudes, 193
Macedoniæ clades, 456
Machabæi vltimorum temporū figuræ. 184. eorū ſcientia. ibid.
Magnetis natura conſuetudini aptata, 157
Magnatum peccata grauiora, & pœna acerbior. 3. mouitis offenduntur. 21. 35. eorum peccata latere non poſſunt. 42. quomodo familiam regere debeant. 236. eorum eſt ignoſcere. 301
Machometis II. truculentia, 294
Mali conſilij merces, 177
Malorum duo fontes & qui. 98. facilior imitatio, 158
Mamantis martyris humanitas. 278
Marci Aretuſij conſtantia in fide, 141
Manſuetudinem lex Dei requirit, 299
Martyrium non in ſola paſſione tormentorum ob idola conſiſtit, 319
Martyres multi mirabiliter in tormētis à Deo confortati. 102. eorum fortitudo, 322
Materia ſermonū in aula, 252
Matthathiæ fortitudo in aduerſis. 154. nō ſequitur aliorū ſcelera. ibid. prudentia, 184
Mauritius Imp. occiſus cum vxore & liberis, 302
Medi & Perſæ athei, 71
Memoria quorundam inſignis. 188. quibuſdam adempta. 189
Mendaci non credendum, 216
Metus futurorum malorum grāde malum, 111
Metus aulicorum eiuſque cauſæ, 113
Metus multa ſcelera efficit, 115
Mezentius vinolentus, 399
Militum quorundam ardor in profitenda fide, 66
Miniſtris principis ocioſis quid faciendum, 237
Miſer eſt qui placet malis, 385
Mœcenatis luxus & morbi, 395
Mora iratis adhibenda, 306
Morbi animorū magis cauendi quā corporum, 156.& ſeq.

Mors

Mors principis iniuſti populis læta, 71
Mors leui ex cauſa hominem tollit, 461. & ſeq.
Mulieres cur claues porrĕct, 2[illegible]0. Oeconomiam curent, 245
Multiloquium vitandum, 250
Mundani duplici ſignificatu dicũtur, 109 eorum & Monachorum idem finis, 110
M[illegible] ſui interitus exemplum, [illegible] poteſt ille æternus, 460

N.

NAbuchodonoſor exterius [illegible] interius infœlix, 111 duplici modo impius, 135 ſuperbus, 426
Nabuzardan templũ ſpoliat, 340
Narratio de quodam temere iurante, 3[illegible]5
[illegible] perfide occiſus à Phoca & quomodo, 3[illegible]1
Neglectus conſiliorum in aula, 15[illegible]
Negligentia [illegible] P[illegible] leue [illegible] poſt mortem punita, 2[illegible]3
Neronis aulici cæteris Chriſtianis [illegible] 40 eius ob Galbæ [illegible] timor, 116
[illegible] Epiſcopi & martyris patientia, 314
Nobilium ſacrilegia punita, 152
Nomina mutandi conſuetudo apud Perſas & alios, 40
S. Norberti comitas, 277
Notabilis viri nobilis querela. 107. & ſeq.
Nulli impunita fuit improbitas, 342
Numinis contemptores qui, 74
Nunquã male parta proſunt, 3[illegible]2

O.

OBedientia Danielis, 218 quænam optima, 219
Obediendum accuratè, 219
Oeconomia quid ſit, 241
Occaſio luxuriæ fugienda, 416
Occupationes prætendunt qui orare nolunt, 137
Otium fugiendum. 222. contra illud variarum gentium ſanctiones & leges ibid. & ſeq. natura ſua peccatum eſt. 225. origo malorum, 226
Otioſum verbum quodnam, 225
Otioſorum pœna, 2[illegible]7
Opprobria varia Antiochi. [illegible] & ſeq.
Oratio Deo grata. 129. eius fuga ſignum grauiũ peccatorũ. 140
Orationis neceſſitas. 1[illegible]0 perfectio in precibus Danielis 123 ab oratione omnia pendent. 125 ea [illegible] hoſtes profligarunt. 128 alij alia mala depulerunt. 134. ei humilitas adeſſe debet, 425
S. O[illegible] cum clerum ſuum corrigere non poſſet, Epiſcopatu ceſſit, 43
Otvvinus Northumbriæ rex oratione hoſtem profligat, 123
Otho Longus Brandeburgenſis Marchio perfidus tutor, 71
Othonis III. barbarum facinus 307 & ſeq.

P

IN Palatio quid diſcendum. 179
Pancratij pueri ſapientia Chriſtiana 171
Paris Helenã non amauit & quomodo, 52
Patientia neceſſaria. 310. onus leue reddit. 311. vtilis 312. læta, 313
Patientia multorum martyrum memorabilis, 321
Peccãs eſt dignus cõtumelia, 160
Pauperes cur Deus eſſe velit, 393
Peccati breuis ſauor. 161

Pec-

Perfidiæ inſignis pœna,149 &,150
Periandri crudelis timor, 115
Periculum faſtidientium ſacram doctrinam. 8
Perſecutoribus & hoſtibus ignoſcendum, 3[illegible]4
Perſæ cupiditate epularum pugnant, 389
Perſarum ſæuities.33. ingluuies 389
Pertinacia in peccato graui eſt propria reproborum, 331
Pertinaces omnia ruere cupiunt. 333
Petrus à nouo caſtro percuſſori indulget, 304
Petrus Vinea arrogans aulicus eiuſq; tandem pœna, 49
Phylarchi Arabis gratitudo, 307
Philæas martyr inſignis, 76
Phocas ob ſcelera populi imperator factus. 90. occiſus & quomodo. 302
Pietas ad omnia vtilis, 11
Pigmenius Iuliani Apoſtatæ præceptor ob Chriſtianã religionẽ in exilium actus. 60. eius dictum, ibid.
Pipinus oratione Saracenos vicit 12[illegible]. Placere ducibus volentes ſcurris ſimiles, 160
Pœna impietatis. 146. fallẽtiũ 2[illegible]8
Populus aliquando peior aulicis, 41
Populus bellua multorum capitum, 53
Popilius Antiochum circulo includit, 205
Poteſtas irata ſæuum malum, 190
Præcipitantia fugienda, 231
quid ſit. ib. eius incommoda, 232
Præfectura Auguſtalis quæ, 379
Præfecturæ non facilè dandæ, 89
Principum quorundã domeſtica parſimonia, 244
Priuatorum in reges imperia noxia, 220
Proceres tenentur dare operam ſapiẽtię. 181. ali plebe deteriores. 186. eorũ pertinacia grauis. 331. auaritia pernicioſa, 338
Procopij libertas, 272
Prophetia Ezechielis ſacerdotalis 28
Prophetia Danielis difficultas, 26
Prophetia Danielis aulica. 28
Ptolomæus cur dictus Euergetes 196. eius fraus. ib. auaritia, 341
Ptolomæus Lagi rex Ægypti vincitur a Seleuco. 194. moderatus & clemens præ cæteris. 297. potẽs fuit & diu regnauit. ib. & ſeq.
Ptolomæi Philadelphi fraudes 194
Ptolomæus Philopater patrẽ occidit. 196. tẽplũ vult ingredi & in Iudęos ſæuit. 197. occiditur, 198
Ptolomæus Philometor regno eiectus, 204

Q

QVerela de extincta libertate reprehendendi vitia principum. 2[illegible]4
Quirini martyris fortitudo & cõſtantia miraculo adiuta, 328
Quiſque ſibi tribuere debet quod in communi dicitur, 6
Quomodo fraudes vitandæ, 207
Quomodo loquendum. 251
Quorundam impatientia, 312

R

RAdbodi Friſij ſtulta ſuperbia. 443
Radegũdis reginę humilitas, 446
Radulphi clementia. 303
Ragenarij Normannorum Ducis ſacrilegiũ & inſignis pœna, 150
Ratio bona contra omnia peccata,

cata, 350
Recreationes cur permittantur. 225. earum peccata. 226. earum debet cõſtare vtilitas, ibid.
Regna de ſcelere ferè oriuntur, 30
Reges martyres, 320
Reges mali cur dētur. 89 & ſeq.
Regũ quorundam infelix exitus 451
Regum ſtultitia. 36. ſobriorũ exẽpla, 391
Regũ & nobilium eſt oratio. 129
Regibus cur cõſiliarij plerũq; prudentiores 175. eorũ officiũ, 176
Rex propter Deum diligendus. 84
Regæ liberalitatis exempla, 364
Regum ſtatus infelix, 454
Remedia iracundiæ difficilia & cur, 296
Regna & Imperia pleraq; perierunt, quando præſidum auaritia inualuit, 341
Religio humiles requirit, 443
Remedia ſeruandę caſtitatis. 421. & ſeq.
S. Richardi Liceſtrenſis Epiſcopi patientia, 269
Riſus decorus beneuolentiæ indicium, 278
Riſus indecorus quis, 278
Riſus immoderatus quis. 279
Roberti Normanniæ Ducis moderatio, 306
Robur corporis inane, 215
Romanum imperium per beſtiã deſcriptum, 32
S. Romualdus à ſuis monarchis vexatus & pulſus, 43
Roſimũda cogitur venenũ bibere ꝙ alteri propinauerat, 120
Romualdus filius regis Scotię orationi deditus, fit Epiſcopus & martyr. 138

S

Sabinianus mart. orãs à perſecutoribus non eſt victus, ſed vltrò eos eſt ſecutus, 134
Sacerdos Epiſcopo oranti inſultas cõcidit exanimis, 34
Sacrilegia nobilium punita, 152
Sacrilegi puniti. 147 & ſeq. &, 150
Sacros codices perſecutoribus tradere impium iudicabant veteres Chriſtiani, 142
Salomon quàm ſumptuoſus & ſplendidus. 386
Sanitatis cõciliatrix tẽperãtia 392
Sancti ſolum Deũ timent, 112. eorum in oratione dignitas, 134
Sapiens bonã temporis rationem habet, 179
Sapientia duplex. 166. falſa, 167. ſapientiæ vis. 165. antiquitas. 167. prodeſt, non nocet. 169. liberat. 172. eius dignitas. 180 iũgenda ſcientiæ. 181. vbiq; diſci poteſt, 182
Saturninus aulicus propter Chriſtũ præcipitatus, 38
Scientis animus nõ contaminatur ſed expolitur, 179
Secreta magnatũ periculoſa, 281
Secreta propria celanda, 282
Seianus Tiberio prius amiciſſimus, poſtea exoſus & occiſus, 82
Seleucus Ptolomæum Lagi Ægypti regem vincit. 191. latè regnat. ib. fraude vincit & fraude perit, 195
Senectus vera & vtilis quæ, 178
Senes à luxuria vinci turpiſſimũ, ſi eam vincat non glorioſum & cur, 406
Seruorum quorundam fides erga dominos ſuos, 67
Sibaritarum luxus, 401
Simplicitas innocens, 184
Simulator ſeipſum fugere non poteſt, 219

*** So

Sobrietas & caſtitas ſimul incedunt, 403
Sobriorum regum & principum exempla, 391
Solonis in docendo Cræſo prudentia, 6
Soſiſtratis Gnidij vanitas, 434. & ſeq.
Spartani auaritiam puniunt, 347
Spartanorum ſuperbia exteros contemnentium, 15
Spes vnicum bonum miſerorum. 95. ſæpe fallit, 104
Statuæ armatæ apud Spartanos, 223.
Status ratio non excuſat diuites à dandis eleemoſynis, 359
Stulti non ſunt apti miniſtri ſapientiæ, 183
Stultorum eſt omnibus velle placere, 160
Stultitia intemperantiæ, 401
Sumptus domeſtici inutiles, in Deum iniurij ſunt & in pauperes, 245
Superbia vilium eſt & damnandorum, 427. comitu Alexandri, 430
Superbiæ fons eſt rerum affluentia 344. eius duo genera, 440
Superbi ſeruari non poſſunt. 4. 8. eos Deus odit. 437. & homines, 438
Superſtitio timida, 115
Superborum cædes, 438
Suſanna fortitudinis exemplum, 317
Sylla conſulatum importunius petentẽ ſua manu occidit, 272
Syſiphus aſtutus eiuſque labor grauis & inanis, 210

T.

TArtari crudeles in familiam. 239 eorum ſtoliditas, 436
Templum domus orationis, 129
Temperantia Danielis, 386
Temperantia principum quorundam, 391
Tempora bona ſunt, ſed nos malè ijs vtimur, 118
Terra paulatim minuitur, & ad interitum properat, 461
Terentij Ducis conſtantia, 143
Terrena ſolatia ſanctis data, 105
Theodebertus rex contemptor iuris Eccleſiaſtici à dæmone confunditur. 148. & ſeq.
Theodori martyris cõſtantia. 105
Theodoſij Imp. pietas & orandi conſuetudo. 126. amor in hoſtes. 377. lex contra ſcortationes, 410
Timens vix viuit, 114
Timonis & Apemanti conuiuium, 279
Timor bonorum & malorum longè diuerſus, 111
Timor futuri, moleſtia eſt ſine emolumento, 117
Timor veri mali, vanum timorẽ excutit, 119
Timor nullus pios adigit ad crimina, 329
Timotheus & Maura nouem dies in cruce pependerunt, 321
Tiridates Armeniæ rex Neroni quomodo adulatus, 271
Tirinthij ridiculi & eorum ſacrificium, 279
Titi Imp. moderatio, 261
Traditores qui, 142. & ſeq.
Translatio regni doloſi ad ſyncerum, 198
Tres conditiones quibus Deo grati eſſe poſſumus, 129
Turpiloquium vitandum, 418, non audiendum, 421. peccatum mortale, 422
Turpitudo fraudum. 211

Ty-

Tyriorum ſerui dominos occiderunt, 239

V.

VAlentinianus ædituo Idolij colaphũ infregit ob aſperſionem aquæ luſtralis, 141. & ſeq.
Valentis Imp. dum Catholicos perſequitur infœlix mors, 98
Vectius Epagathus aulicorũ doctiſſimus, & martyr, 252
Venationes nimiæ & cum incõmodo ſubditorum principibus cauendæ, 303
Vera fidelitas quæ ſit, 65
Verbum turpe venenum eſt, 419
Victoris martyris fortitudo. 61 . dictum, 319
Vina morbos generant, 394
Vinolentia ſæua, 399
Vinum terræ ſanguis, 400
Vindices ſui Deus vlciſcitur, 301
Vindicta diuina in quoſdam obſtinatè malos, 332
Vir bonus eſt imago Dei, 88
Virtus vnicum aulæ decus, 1. via regia ad fœlicitatem. 5. ei in aula vix locus, ibid.
Vita fortior morte & quomodo, 50
Vita hominum miſera. 451. ſimilis piſcibus in mari. ibid. inſtabiles, 455
Vitia potentum nõ probãda, multo minus imitanda, 155
Volũtatis pertinacia peſſima, 315
Vrbes regnorum coronæ, 1
Vrbes nonnullæ aulis deteriores, 40
Vrcæi Codri inſignis impietas, 150
Vrſorum natura Perſico regno aſſimilata, 30 & ſeq.
Vſthazanes Perſa quẽ fauorem à rege petierit, 385
Vtilia diſcenda, 189
Vtilitas ſaxis molaribus ſimilis, 385
Vulgi dicta ſpernenda, 39
Walericus turpiloquium fugit, 422.
Wenceslaus Bohemiæ Dux oppugnatus in ſolo Deo confidens vincit, 100
Winoci eleemoſyna in pauperes angelorum miniſterio adiuta, 234

X.

XErxes Perſarum rex potentiſſimus, 45. eius arrogantia pluſquam humana, ibid. eius exercitus à Græcis cæſus. ibid. occiditur. ibid. eo vix vllus crudelior, auarior, ſuperbior & ſtolidior, 341

Z.

ZEnobij Epiſcopi in tormentis conſtantia & viſio, 102
Zeno philoſophus quem ſapientem dixerit, 219
Zeleuci lex pro ægrotis, 395
Zelus quorundam in principes delinquentes, 273

Errata beneuolus lector ſic corrigat.

PAG. 14. l. 16. erz. l. j. p. 17. l. 12. Tyri p. 18. l. 6. Chaldæorum interi-
tum p. 18. l. 7. à fin. tribuunt. p. 20. l. 9. à fine Baltaſſare. p. 23. l. 6.
appellat. p. 25. l. 16. Danieli. p. 25. l. 20. Daniel. p. 27. l. 14. à fin. Indidit.
p. 34. l. 3. a fine, fertur. p. 36. l. 7. Agapetus. p. 39. lin. 13. vtili. p. 49. l.
22. halitu. p. 52. l. 14. à fine procorum. p. 54. l. 10. à fine funus p. 59.
l. 16. edictum. p. 60. l. 1. offert. p. 61. l. 13. ablatæ. p. 82. fatum. p. 85. ex-
pilare. p. 87. Oolibamæ & Oolla. p. 90. Adrapus. p. 94. Numini. p.
98. l. 6. à fine deuoluunt. p. 100. l. 4. à fin. vnius. p. 100. l. 2. à fin. læ-
ti. p. 100. linea vlt. at. p. 101. l. 4. Factio. p. 102. l. 11. niſi qui. p. 102. l.
15. ex. p. 105. l. 17. cornibus. p. 108. l. 1. auitarum. p. 113. l. 10. à fine. relin-
qui. p. 113. l. 4. à fine. omnia in ſortem. p. 114. lin. 9. à fine æreus. p. 117.
linea. 17. à fine, omnia, ſomnia. p. 117. linea. 12. à fine premit. p. 150. l.
11. Deus. p. 159. linea. 17. facit. p. 168. linea. 4. à fine, mens. p. 177. lin. 7.
ſolet. p. 19. linea. 19. naufragum. p. 200. linea. 8. defenderunt. p.
218. lin. 10. à fine regnum, p. 219. linea. 9 à fine, ſummum p. 255 linea.
13. ſeuerum. p. 256. linea. 15. votent. p. 260. linea 8. mirari. p. 261.
linea. 14 reſtitutione p. 273. linea. 16. Thomas Cantuarienſis. p. 275.
linea. 16. dolus inducatur. p. 275. l. 7. à fin. miſcet. p. 276. l. 18. gratui-
tæ. p. 276. l. 10. à fin. inopia. p. 294. l. 15. balneum. p. 344. l. 8. vilas. p.
367. l. 5. ſuum. p. 373. l. 12. definiuit. p. 406 l. 6. contumeliam. p. 422. l.
. à fin. exemplum. p. 427. l. 17. vilitate. p. 431. l. 12. omiſſum eſt annos.

DANIEL

DANIEL,

Seu

DE STATV, VITA, VIRTVTE MAGNATVM ATQVE AVLICORVM.

CAPVT I.

Scopus operis totius.

§ 1.

CORONÆ regnorum ſunt vrbes, vrbium porro gemmæ, palatia; horum ornamenta principum procerumq; virtutes: Quicquid enim vel materia precioſum atq; auguſtum, vel arte eximium ac rarum regia mirantium oculis oſtentat, præ virtute lutum eſt, ludicrumq;. Vaſtæ marmorum moles, ſaxorum colores, textra periſtromatum, lucentes per aurata laquearia vniones, ludentes in Serum vellere Smaragdi, fulgentes ex omni ceruice pyropi, gemmati calices, aurataq; lances, oculorum oblectamenta ſunt, breuia, inania, aſſuetudine vileſcunt, aduenis ſpectaculo ſunt, incolis faſtidio, neutros iuuant. Non enim, niſi errantium iudicio vera ac ſolida bona ſunt, quæ contemnere, ſumma ſapientia eſt. at virtutum fulgor ab animo eſt, precium è cœlo, fructus in cœlo. illa expers periculi iuſta cunctos admiratione rapit, detinet, ſine ſatietate *Virtus vnicum aulæ decus.*

A dele-

Digitized by Google

delectat, ſine fraude paſcit, familiaritate vſuq; iucundior: nunquam inueteraſcit, ſenecta formoſior, ſemper vt noua ſuſpicitur, atq; amatur. Nimirum æterni numinis ſententia verum eſt, vnicumque humani generis bonum, ſcopus & meta noſtri laboris, bonum quod quæri ſolum debet, & ſolum non quæritur. Quicquid abſolutum aut natura produxit, aut ars expoliuit, quod aliqua dote virtutis præſtantiam adumbret, ideo æſtimari debet: omnium enim rerum precia, in ſumma virtutis maieſtate incluſa ſunt, quæ nobis non ad vanitatem luxumve, ſed ad doctrinam ad pietatem collata ſunt, [a] vt ex auro, & lapidibus preciosis, architecto Jeſu Chriſto, domum ædificemus quam ignis probet, non abſumat. [b] *Scimus enim* (inquit Apoſtolus) *quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cœlo eſt ſuperindui cupientes: ſi tamen veſtiti, non nudi inueniamur. Nam, & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati: eo quod nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri; vt abſorbeatur quod mortale eſt, à vitâ.*

a 1. *Cor.* 3. 12.

b 2. *Cor.* 5. 1.

¶ 2.

Ex aula terrena ad cœleſtem uter.

Hæc aula, ô principes ac Palatini, meæ ſcriptionis argumentum eſt: in qua virtus pietasq; cœlo deuecta candidatos æterni regni ad originem ſuam reducat, mentem inſtruat, conſilia animet, imperia regentium, obedientiam ſubiectorum gubernet, ex qua prudentia, iuſtitia, temperantia, fortitudo innocentia ac fœlicitas tanquam è terreſtri cœlo in omnem prouinciæ plagam deſcendat. Vt apud animos veſtros ſolliciti cogitetis, quâ via de luteo palatio ad cœleſte ſit eundum. ad quod non pedum greſſu, ſed rectæ voluntatis affectu ducimur. Etenim ſi vos faſtigia turrium, ſplendor atriorum, ſi rerum ſpecies dignitasque delectat: non committendum eſt tamen, vt in limo, fucoq; nobilitas veſtræ mentis acquieſcat: ſed excitandus animus,

Digitized by Google

mus, vt in auguſtiſſimam cœli regiam cogitationes ac deſideria transferat. Nihil ſublime, nihil ſua magnitudine dignum arbitretur, quod humi iacet, quod de puluere concreuit.

Anxios vos habeant, ac terreant innumera aulicorum exempla, qui poſt toleratas in regum obſequio ærumnas graues & periculoſas, poſt geſtos ſæuiore periculo honores, ſæpe etiam poſt rerum omnium, famæq; naufragia, poſt mortes cruciatu ac contumelia acerbas, arcano Dei, iuſto tamen iudicio, ignibus Barathri excipiuntur, cum potentibus potēter torquendi. aulicis enim, ſi officium deſerant, pœna ſuperincubat aſperior. Quemadmodum fidelis, ſi peccet, fidem negauit, & eſt infideli deterior, ita magnates quoque plebe ſunt nequiores, poſtquam Deum, à quo magni ſunt, ſpreuere. Judices quidem huius mundi magnis grauiſſima, paruis vix minima delicta condonant: Non ita ille, qui non veretur magnitudinem cuiusquam, quia magnum fecit, & paruum. Nec enim magis opus ſuum timet plaſtes omnipotens poſtquam fecit, quam ante mundum conditum, cum nihil eſſet. Impenſius igitur nobis illa mala fugienda ſunt. Triſtior futura pœna eſt teneris & glorioſis, ſi eos aliquando vaſtum chaos à beatitudine ſecludat, ſi regali opulentiæ ſemper aſſuetos perpetua ſitis vrat: acrius enim poſt gloriam dedecora cruciant, & poſt delicias tormenta. Acerbior autem pœna, quia longe lateque patens malum eſt, peccatum aulæ. Nautæ ac remigis inſcitia leue damnum adfert, error naucleri pernicies eſt nauigantium. In republica cum ſubditi delinquunt, ſibi quisque nocet, cum rectores, & eorum domeſtici, & ſibi, & cæteris detrimentum adferunt, vt egregius principum doctor Agapetus demonſtrat. Ab his malis ad illa bona, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, duce ac comite gratia Dei tranſibitis.

Delicta Magnatū grauiora, & pœna acerbior.

Hic finis eſt meæ ſcriptionis. Vtinam etiam veſtræ

ſeruitutis & vitæ, ſeruitutis ſplendidæ, vitæ ærumnoſæ. Interim hoc meditemur, quicquid ſumus, peregrini ſumus, genus, dotes corporis, ſpem noſtram, dignitatem, mentem habemus in cœlis, ſi Chriſtiani ſumus.

Cap. II.

Magnatibus, Aulicis, nobilibus, ſenatoribus ſcribere operæ precium eſſe.

§ I.

Singulis hominum ſtatibus præcepta dare conuenit.

NEc vero labor meus inter librorum centurias, quibus ad virtutem hominum inſtruitur ruditas, & infirmitas manuducitur, ſuperuacuus debet videri. Virtus in publico poſita eſt, bonum commune, eodem in circo virtutis doctrina, eadem omnibus, vna omnium norma voluntatum, quam æterna ſapientia direxit: non in omnibus tamen idem virtutis eſt modus, eædemq; in ſingulis leges. Hinc aliis laudi datur, quod cum reprehenſione alij faciunt, non quia non vna ſit vbique honeſti natura, & diuinæ legi conſentiens virtutum rectitudo, ſed quod circumſtantiarum varietas diuerſam poſtulet amuſſim. Vinum cado, aurum libella metimur: illud guſtu, hoc lydio lapide, gemmas ſcalpro probamus & pondere, adamantem incude, & malleo, Smaragdum ſole. Quod in rebus eſt natura, hoc in hominibus eſt vitæ conditio ſiue ſtatus. Ea cauſa bene meriti ſunt de vniuerſis, qui ſingulis hominum ſtatibus leges, ac viuendi rationem præſcripſerunt, vti meus præceptor Joannes Bulæus inſigni opere de hominum ſtatibus. Hinc tam multa de coniugum, de cœlibum vita, de iudicibus, de magiſtratibus, militibus, ſacerdotibus, religioſis, concionatoribus, Epiſcopis etiam, Cardinalibus & Pontifice. Non quod non omnibus multa communia, ſed quia multa quoque cuique propria, & ſuo quodam modo per-

Ioannes Buſæus de ſtatibus hominũ.

Digitized by Google

peragenda. Quod cum in vita Palatina præcipue cernatur, mirari potius oportet, cur nemo de illa integre ſcripſerit, quam ex me quærere, cur illud oneris in humeros ſuſceperim.

§ 2.

Occurrere non nemo poſſet: Communibus vitæ Chriſtianæ præceptis ſatis inſtrui mores aulicorum, nihil opus eſſe ſingulari tractatu. at illa ratiocinatione cunctos de diuerſis hominum ſtatibus libros amoueris. De publico ſumunt omnes, quod fructuoſe ſingulorum ingenio, negociis, periculis, ſaluti accommodent. Ad felicitatem quam omnes exoptant, pauci aſſequuntur, vna via regia virtutis eſt: at vero iter agentibus, ſua cuique natura, propenſio, mores, conſuetudo, vitia, ſtudia raro eadem, exitus diuerſi, vt plurimum calamitoſi. via ipſa inæqualis, & ſibi diſpar, lata, anguſta: flexus inobſeruabiles, loca ardua, prona: aſpera, lubrica: æſtuoſa, vliginoſa: amœna, triſtia: nulla ſine diſcrimine, omnia cum labore. Quapropter ſua quemque pericula & præſidia cognoſcere neceſſe eſt, occaſionesq; & tempora ſine noxa tranſeundi. Nuſquam maior, quam in aulis adhibenda cautio. Hic conſpectior eſt innocentia, vberrima virtuti materies, exercitia laborioſa, anxia, Dei colendi ingens occaſio. Inſunt tamen difficultates, non niſi pectore generoſo exuperabiles, vitia non ſuis magis illecebris, quam contubernalium exemplis valida, duplici violentia, velis & remis in exitium raptantia, vt verbo dicam: Virtuti in regia deliciarum ſedes haud opportuna. Vbicunque Sirenes voce mulcent, ibi frangunt & ſcopuli, ſæuit mare, blandis vocibus horridum immurmurant procellæ. Præter vſitata itaq; bene agendi præſidia, ſingulatim quædam aulicis conueniunt, & contra morbos animorum remedia, & ad honeſta proſequendum incitamenta: quæ breui ſcripto comprehenſa etiam aliis profutura confido. Præcipue tamen Palatinis ſcribo, atque hoc quicquid operis eſt

Singulis accommodanda præcepta communia.

Digitized by Google

Efficaciſſima doctrina in ſingulari.

conſecro. Quemadmodum enim horarum indices, Sphæræq; & Machinæ eruditorũ Mathematicorum tum demũ vſus ſuos habẽt, cum pro ſitu climatum ſtatuuntur, & ad immobiles cœlorum axes diriguntur, ita doctrina quoq; virtutis vtiliſſimæ traditur, cum ſingulis in ſtatione ſua excubantibus vis illius, ratioq; ſingulatim exponitur: theſis ad hypotheſin reuocatur, vt velut ex propinquo penitius eius maieſtas inſpiciatur atq; diligatur.

¶ 3.

Sibi quiſque tribuere debet, quod in communi dicitur.

Qui ſuſpicionibus indulgent, omnem ſermonem, nutumque ad ſeipſos referunt, & cum vitia publica carpuntur, in ſuam contumeliam accipiunt verba monitoris, praua animi inductione, deſperationique ſimilima: Inter deſperatos namque æger cenſetur, qui medico iraſcitur; & nullum mortis indicium certius eſt, quam nolle ſanari. Hoc imitari debet, qui bonos adhortatur, ac ſingulis applicare ſermonem, vt ſibi quisque, non aliis, dictum arbitretur, qui proficere velit: Multi enim ſunt, qui peccatis fieri conuitium gaudent, nec in ſuam tamen conſcientiam deſcendunt, latebrasque, & receſſus explorant, non vitia emendant. In Palatio autem multa ferenda ſunt, quædam laudanda, quæ in cœtu ciuium, ſtudioſorum, ruſticorum reprehenſioni ſunt obnoxia. Prudentiſſime Solon, Athenis profectus Sardeis ad Crœſum, cuius nunc quoq; in prouerbio ſunt opes, Philoſophatus eſt. Regi illi vt nihil opum, & potentiæ deerat, ita ſplendor aulæ, ſatellitij multitudo, magnatum pompa ipſas ſuperabat opes, Solon ipſe toto orbe celeberrimus accipiendus erat ea magnificentia, quæ vtrunque deceret. Primum igitur amplo ornatoq; comitatu Satrapas occurrit, quem regem Solon exiſtimabat, ſubinde alius atque alius auguſtiore ſplendore, in quibus eundem errorem errabat, donec ad ipſum Crœſum veniens toties deceptus dubitare cœpit: indicauit ſe tamen magnus rex maiori hoſpiti, & de ſua maieſtate, ac feli-

Solonis in docendo Crœſo prudentia.

Digitized by Google

felicitate quid ſentiret, comiter interrogauit. Solon etſi inopinato in tantum faſtum incurriſſet, & nouitas admirationem feciſſet, non tamen reprehendit, gnarus alio modo reges procedere, alio Philoſophos Athenis ire obſonatum: ſatis habuit oſtendere non eſſe in opulentia, & oſtentatione potentiæ ſummũ hominis bonum. Non eſſe felices quibus iſta affluant, nec eos miſeros quos tam oneroſa familia, ſarcinæque non premunt. Tantumque effecit, vt Crœſus inter opes ſtultus, captiuus deinde ob ſapientiam Cyri conſilia rexerit. Hoc in aula quoque obſeruandum, nec omnia culpanda putemus: quod alibi ſuperfluum, hic neceſſarium: quod in ciue ſuperbum, in aula decorum videtur. Sola vitia reprehendenda, ſuadendæ ſunt virtutes, cæterorum liber eſt, ſed moderatus vſus. Plerunque tamen peccatur exceſſu, etiam à viris ſacratis. Hermanni Pragenſis antiſtitis iam morientis extremas voces recenſet [a] Dubrauius. Plus temporis operæque ſe Palatio, quam templo impendiſſe, luxum & vitia aulæ, quæ corrigere debuiſſet adiuuiſſe, auxiſſe, atque ita multo peccati dolore, trepida ſpe diuinæ clementiæ, plurimo aſtantium horrore, anceps ſui anima æternitatem ingreſſa eſt.

a L. 11. *hiſt. Boh.*

Cap. III.

Curiam ac Aulam ſacræ doctrinæ & virtutis eſſe capacem.

§ I.

Euntem tamen iniecta tragula retrahit, atque admonet amicus. Incaſſum iſta ſtrui, oleum, operamq; perdi. Scribere ſapientibus aſſeuerat eſſe ſuperfluum, officium ſuum illi norunt, nec ignoratione, ſed affectu labuntur. Quid prodeſt, in ſyluas frondes, in

mare aquas ferre? ſoli lucernam accendere? Docere autem ſtultos infelicis eſt magiſtri, diſciplinam non capiunt. Viuendi leges figere felicibus, inutile. Regi prudentia nolunt res nimium proſperæ. cùm pleno ſinu ſecundos flatus excepêre vela, nulla vi nauem, nulla arte ſiſtas, etiam in ſcopulos verticesq; ituram. Nec diſcrimen eſt, ſiue vere felices, ſiue opinione ſua cenſeantur, idem vtrinque tumor, ex falſo tanto maior, quanto vanior. Cum igitur ſapientia vitæ lux alieno ductu non egeat, ſtultitia monitiones non capiat, felicitas non admittat, arrogantia contra docentem excandeſcat, in irritum caſurus labor videtur. Me tamen illa incitant ad ſcribendum, non deterrent. Sapientes legendo proficient, imprudentes ignorationem ponent, felices in ſecunda fortuna aduerſam meditabuntur, inflati veritatis aculeo confixi detumeſcent, adhortatione enim boni redduntur optimi, mediocres vero boni, ex æreis aurei. Nec optimis infructuoſa lectio, virtutis enim conſeruatio haud minus ardua eſt, quam acquiſitio. nam quotidiana de eius poſſeſſione dimicatio eſt, & noua bella faſtus inferre ſolet, qui ex gratia oritur.

Omnibus vtilis pia lectio.

§ 2.

Tædij maioris eſt cum faſtidioſis certamen. Haud facile paratu eſt, quod delicatis allubeſcat, quicquid nauſeanti offertur, intempeſtiuum eſt, horrori ſunt ſalubria. nocitura petuntur, morbis enim ſunt affinia, finitima morti. Talium animus, & palatum non diſpare ægrimonia fatiſcunt. Regum ſunt conuiuæ, quorum menſis miniſtrat orbis, in illo tamen cupediarum aggeſtu vix inuenitur, quod languentem ſtomachum excitet, nihil ad leuanda faſtidia tot hominum flagellati ventres, tot attritæ manus proficiunt, manet viſcerum langior, & tabes, ſic animus corruptus & væcors ſalutem faſtidit. Neque ex tot eruditis, diſertis, ſanctis reperiri poteſt vllus, cuius ſcripta cum profectu voluant, quomodo illi loquantur non quid facere

Periculũ faſtidientium ſacram doctrinam.

ipſas

Digitized by Google

ipſas conueniat, ſuperciliosè iudicant. Audiunt, legunt, diſputant, nonnunquam etiam mouentur, nec ad ſcopum tamen perueniunt, ſed in circuitu ambulant, veluti cum gyro trochus exercitus celerrime voluitur, in eodem tamen loco permanet, ſic multi tot annos monita concionesq; audiunt, in priſtinis tamen vitiis, & in illis vitia perſeuerant. Facit hoc contemptus ſacræ doctrinæ, atq; incuria ſalutis, triſte æternæ reprobationis præſagium, non modo ſanctorum iudicio, ſed diſerta iudicis noſtri ſententia. Qui enim verba Dei non audit, non eſt ex Deo. Audiebant verba Dei Judæi, ſed aure carnis, non obedientia cordis, ad damnationem, non ad ſalutem. Audiendus enim eſt Dominus, quod eſt plurimorum; obtemperandum audito, quod eſt electorum. Inuitat redemptor; *Venite ad me omnes.* Non vacat audire inuitantem? audies expellentem: *Ite maledicti in ignem æternum.* Hæc ergo nauſea febrientis animi, hæc mollities excutienda eſt, roborandus eſt intelligentiæ ſtomachus, vt obuios cibos admittat & in vegetabiles ſuccos decoquat.

Audienda doctrina ſacra.

§ 3.

Non ſunt ignominia notandæ fidelium principum aulæ, vt negemus in illis virtuti, innocentiæ, pietati locum eſſe; in regum tæterrimorum palatiis ſemper aliquorum integritas & iuſtitia eluxit. Diocletiano nemo fuit in Deum iniurioſior, in homines innocentes ſæuior, aula tamen illius ſanctiſſimos viros ſemper habuit. Dorotheus [a] Palatij præfectus Gorgonium collegam, cœteroſque & rerum, & cubiculi miniſtros, in feruentiſſima perſecutione erudiebat, in fide confirmabat, deinde animi conſtantiam non ſpe veniæ, ſed exſpectatione mortis patefecit: cum enim martyrum quoſdam exquiſitiſſimis tormentis lacerari, vrique ſpectaret, glorioſæ mortis conſortium feruenter ambiuit, ſeque Chriſtianum profeſſus per omnia, quæ ſunt in natura triſtiſſima diu tortus cœleſte regnum violentus occupauit, aulicorum omnium

Aula impiorum pios habuerunt.

a *Ado. Surius Martyrol. Rom.*

Dorothei aulici virtus.

exemplar, & nunc patronus. Illa quoque aula Cæſaris inſanientis Georgium nobis exhibuit virum nobilem, ſenatorem, tribunum militum, inter comites primum, qui contra crudeliſſimi tyranni furorem ſumma libertate, pleno ſenatu pro Chriſtiana religione perorauit, nec vultum inſtantis beluæ, nec Senatus inimici offenſam veritus, quo minus ingeminaret: [b] *Quouſque perſequimini innocentes? idola non ſunt dii.* Illum nec Conſul Romanus in ſenatu diſputans, nec Imperator vel tanquam filio inſidioſe blandiens, vel tanquam miniſtrum imperioſe territans à generoſa confeſſione abducere potuit, ſanctiſſimo igitur obitu per cruciatus magnos in vitam beatam tranſiit, & valuit eius pietas inacceſſa blanditiis, inuicta tormentis, ad religionis, multorum acceſſu, creſcentis augmentum.

Georgius pro Chriſtianis perorat.

b *Surius. Ado.*

§ 4.

A Palatio excludi virtutem, qui iudicant, vehementer errant, in regia eius tutela præcipuè conſtitit, nobiliſſimi martyrum ex aula venêre. Julianus apoſtata ſubdolam, immanemque perſecutionem à Palatinis inchoauit, quod familiare omnibus perſecutoribus fuiſſe docet Greg. Nazianzenus. [c] Neq; enim externos aggredi ſe poſſe putabant, ſi domeſtici diſſiderent, quemadmodum ab Imperatore diſſidens exercitus in hoſtem duci non poteſt. Studium ergo illis fuit, illos vel ablegare, vel è medio tollere, militum ſimplicitatem fallere. Si igitur Palatia ſæuiſſimorum tyrannorum, aulæ Buſiridum, Phalaridum, Diomedum, Neronum, Domitianorum, Diocletianorum, ferarum luſtra, & ſyluæ virulentorum fructuum feraces, tam nobiles plantas tulêre, & poſita feritate manſueſcere potuerunt, vt poma ferrent dulcia, in odorem ſuauitatis Deo.

Religioni in aula præſidiū.

c *Orat. 3.*

In aulis impiorum pii.

Sic Deus inſerens nouos ſurculos, ſuccos emendat acerbos,

Ferre nouus cogit frondes, & non ſua poma,

vt ex

Digitized by Google

vt ex horridis illis reſquis, & triſtibus arbuſtis,

Carpat adoptiuos inuito ſtipite fructus.

Si iſti in arido ligno flores, cur non in bene conſtitutis arcibus regum Chriſtianorum coli, & perfici virtus queat? Exemplo nobis eſt Daniel, omnium viuentium ſuo tempore ſanctiſſimus, & ſapientiſſimus, à quo diſcere ſapientes, quem imitari omnes debent. Ille ex cultiſſima terra, nobiliſſima & regia ſtirpe translatus in aulam regum barbarorum, pulcherrimos fructus protulit, *Daniel aulicorum princeps.*

——— Nec longum tempus, & ingens
Exiit ad cœlum ramis felicibus arbos.

Ædificium ſpiritale in media Babylonis arce fundauit, multò elegantius, firmiusq; turri, quam eum in Suſiana eduxiſſe narrat Joſephus, [*d*] quam nec ſuo quidem tempore nouitatis amiſiſſe gratiam affirmat. Lapidum & cæmentorum quamuis concinna, & expolita congeries ruinas ſuas metuit, & experitur, virtus ætate nō marceſcit, auctoritatem ſenectute firmat, pulchritudo eius longæuitate floreſcit: non enim ad interitum deficiendo, ſed ad immortalitatē creſcendo iter facit, par quodam modo cœleſtibus corporibus, quorū eſt immutabilis, atq; inſcia ſordium natura, cætera quæ durare perhibentur, ætatem non ferunt, [*e*] aurum ipſum tardiore quidem, æuo tamen putreſcit.

d Ioſeph. antiq.

Zabarella de metallis.

CAP. IV.

Danielem aulicum & aulicorum Principem, curiæ doctorem eſſe.

¶ I.

PRæſtantium igitur virorum indoli, & virtutibus aula non obſtat. Joſephus Pharaonis aulæ magiſter, ſumma poſt regem poteſtate annos octoginta Ægypto imperauit. Annorum triginta erat, cum de carcere eductus oracula regi panderet, [*a*] *Triginta autem erat annorum, quando ſtetit in conſpectu regis Pharaonis.*

a Gen. 41. 46.

b Mor-

b ..... [b] *Mortuus eſt expletis centum decem vitæ ſuæ annis.* Aula non preſſit ingenium viri excellentis, ſed prouexit, vt & factis ſuis, & ad figurandum redemptorem Saluator mundi diceretur. In eodem Mempheos palatio, inter barbara pyramidum miracula, ſuperbiæ regnantis trophæa educatus eſt annos quadraginta Moſes, in omni ſapientia, & opibus nobilis, quibus protulit improperium Chriſti, à Deo ad exitium tyranni, ad libertatem populi Iſraëlitici prædeſtinatus. Ephebus aulicus, Saulis armiger, tribunus militum, gener regis fuit Dauid, & inter illa officia, non deſiit eſſe vir ſecundum cor Dei. In aula Aſſueri dominatus eſt Mardochæus, qui Iſraëlem ſublato in crucem Amane liberauit. Aulicus Artaxerxis & pincerna Nehemias fuit, Perſis Atherſata dictus, alter conditor Jeroſolymorum. At nunc de Daniele mihi ſermo eſt, omnium aulicorum principe, atque exemplo, cuius ex virtutibus, factis, ſcriptisq; aulam inſtruendam ſuſcepi.

Sanctiſſimi in aula viri.

¶ 2.

Illibata Prophetæ, quæ prima dos aulæ putatur, nobilitas fuit. Regium illi genus Epiphanius tribuit, [c] ex Iſaia propheta teſtimonio vſus. [d] Agnatum Sedeciæ Dorotheus in Synopſi aſſerit. Verum vtcunque illa habeant, ſane de tribu Juda genus duxit, ex qua & ille ſanguis, qui precium mundi fuit, & in quo nos dealbamur, profluxit. Ita ipſe teſtatur: [e] *Et ait rex Aſphenez præpoſito Eunuchorum, vt introduceret de filiis Iſraël, & de ſemine regio & tyrannorum.*

c *Hæreſ. 50.* d *c. 39. 7.* e *c. 1. 3.*

Deinde [f] *Fuerunt ergo inter eos de filiis Iuda, Daniel, Ananias, Miſaël, & Azarias.*

f *c. 1. 6.*

Laudi fuit Danieli non probro nobilitas, quam nullis infectam vitiis proſapia virtutis impleuit. Ieroſolymis patriis, quamuis illo æuo corrupti mores exitium gentis vrgebant, ſancte atq; innocenter educatus eſt: inter impios pius, inter noxios inſons, cum rege conſanguineo, Ioakimo Babylonem deductus calamitatem exilij pietate penſauit. vt principio ipſe teſtatur:

Nobilitas Danielis.

Digitized by Google

ſtatur. [g] *Anno tertio regni Ioakim regis Iuda, venit Nabuchodonoſor rex Babylonis in Ieruſalem, & obſedit eam: & tradidit Deus in manu eius Ioakim regem Iuda, & partem vaſorum domus Dei: & aſportauit ea in terram Sennaar in domum Dei ſui.* g *Dan.1.2. & 3.*

De maiorum igitur vrbe, & templo, in arcem ſæuiſſimi tyranni translatus, ſuper flumina Babylonis ſedit, & in contritione lumborum

Iudaa cineres, exciſa buſta Sionis
Fleuit, & Aſſyriâ diruta templa manu.

Nec legem tamen Dei ſui in obſequio deterrimorum regum, inter elatos, crudeleſq; idolorum cultores neglexit. In illa ſcelerum officina, turpitudinum cloaca, verbo dicam: Babylone, qua quicquid toto mundo dirum erat, atq; horrendum, cum imperio confluxit. Babylone inquam, Danielis innocentia incontaminatis fulſit honoribus, &

Firma ſtetit virtus ipſis animoſa periclis.

¶ 3.

Nomen illi duplex, Daniel à parentibus nominatus eſt, hoc eſt, Iudicium Dei. Illo enim naſcente, & in captiuitatem abducto, in domum exaſperatricem Deus iudicium exercuit, & ipſe aureæ Monarchiæ ſupremus iudex orbem adminiſtrauit, ſententiam Dei de regibus & tyrannis etiam futuri temporis edixit, & fata naſciturorum, quæ ipſi ignoraturi erant, conſcripſit. Alterum nomen ab Aſſyriis & Chaldæis inditum Baltaſſar, cuius ipſe quoque teſtis eſt, [h] *Danieli Baltaſſar*, & [i] *Daniel, qui cognomento Baltaſſar*, priore notior eſt Iudæis & Eccleſiæ, altero gentibus. Illo enim in ſententia pronuncianda, & edictis vtebatur. Nec nomen illud ſine oraculo, ſine numine inditum, Nabuchodonoſor hoc ipſum agnoſcit. [k] *Donec collega ingreſſus eſt in conſpectu meo Daniel, cui nomen Baltaſſar ſecundum nomen Dei mei, qui habet ſpiritum Deorum ſanctorum in ſemetipſo: & ſomnium coram ipſo loquutus ſum.* Varia nominis eius interpretatio. Hieronymus; *de locis Hebrai-*

Danielis nomen.

h *c.1.7.*
i *c.10.*
Nomen Baltaſſar.
k *c.4.5.*

Digitized by Google

Hebraicis. Capillus capitis. Hugo Brugthonus, *dator opum, abſcondite theſaurizans, in malleatore theſaurizans, occulte ferens anguſtiam.* alij, *Dominus occulte ferens anguſtiam,* alij, *cordis occultus theſaurus.* aſperior eſt Chaldæa pronunciatio, dicitur enim Baltaſchatſar, & ſæpe Baltatſar, quod malo interpretari, *Dominus occulti theſauri.* cum enim rex Chaldæus dicat nomen illius eſſe ſecundum nomen Dei ſui, non ſit autem dubium, quin nomen Chaldæum ſit Bel, ſeu Bal, quod Hebræis Baal, hoc eſt, *Dominus.* alii Beal, & Beil, primæ ſyllabæ non eſt dubia ſignificatio, *Taſch* vero *occultum, atſar*, ſeu *azar theſaurum* ſignificat. Magnus omnino, in Daniele theſaurus auro & lapide precioſo præſtantior ſapientia, prophetia vero mundi ad finem vſque fata complectens: quæ etiam ſententia eſt, viri doctiſſimi, præceptoris meis, Baltaſaris Ettolij Danieli cognominis.

Bel, Bal, Baal, Beal, Beil, Beel, Deus Dominus.

¶ 4.

Studia Danielis. Nunc cum Daniele aulam ingrediamur, in ea triennio ſtudiis operam dedit: [l] *Completis itaq; diebus, poſt quos dixerat rex vt introducerentur: introduxit eos præpoſitus eunuchorum in conſpectu Nabuchodonoſor.*

l *c.1.18.*

m *Dan.1.17.* Magnos progreſſus fecit: [m] *Pueris autem his dedit Deus ſcientiam & diſciplinam, in omni libro & ſapientia: Danieli autem intelligentiam omnium viſionum & ſomniorum.*

n *Dan.2.42.* Inter honoratos poſtquam ſomnium expoſuit haberi cœpit. [n] *Tunc rex Nabuchodonoſor cecidit in faciem ſuam, & Danielem adorauit, & hoſtias, & incenſum præcepit, vt ſacrificarent ei.*

Exteri nõ contemnendi. Laudabile prorſus regis barbari inſtitutum, qui victæ gentis nobilitatem miſeratus eſt, nec modo opibus peregrinis, ſed ingeniis etiam vti voluit, eaque excolere, nam indolem diſciplina, & eruditio, vt terram, aratrum aperit, quo fruges ferat, talis enim ager, *Cultus ingeniorum.* qualis cultus, talis ciuitas, qualis educatio iuuentutis. Ludibrio ſunt, qui tantum ſua mirantur, & ingenia

genia ſuis mœnibus metiuntur, quibus nihil niſi domeſticum probatur. Vitium olim illud erat Spartæ, ſolos ſe hominum numero cenſebant, ſolos liberos, Ageſilaus non oratores, non Philoſophos audire, eorum ſe diſcipulum duntaxat profiteri, quorum & filius eſſet, [o] ſtulte prorſus, cum nec à ſolis parentibus veſtiantur, nec armentur. Nec tamen absque examine admittendi peregrini. Quemadmodum enim extera pharmaca, ita & ingenia impoſturam faciunt, profecto transmarini frutices, lapides, ſanieſque terrarum ſine fraudulentia precium non haberent. Verum omnia longinqua miramur, ſolam ſapientiam peregrinam odimus. Sed ad Danielem reuertamur.

o *Plut. in Ageſil.*

Peregrini examinandi.

§ 5.

Vitam in Palatio egit omni tempore captiuitatis Judæ, hoc eſt, totos ſeptuaginta annos, ſi illius initium ſumas à captiuitate regis Joacimi. Si autem à capta & deleta ciuitate, ſeu anno vndecimo Sedeciæ, etiam plures annos. Nam Joakim pro fratre victo rex conſtitutus eſt, & victus in Babylonem ductus eſt, ſed in regnum remiſſus, anno tertio rebellauit, cum eo ductus eſt Daniel [p] & filij principum. annos vero vndecim [q] regnauit. Abiectus deinde eſt poſtquam captus ſecundò eſt, Jeremia teſte; [r] *Cadauer eius proiicietur per diem ad æſtum, & ad gelu per noctem*, [s] vt prophetauit Jeremias. Porro Joacimum in Babylonem ductum docemur ex Paralipomenorum libris. [t] *Contra hunc aſcendit Nabuchodonoſor Rex Chaldæorum, & vinctum cathenis duxit in Babylonem.*

Tempus Danielis in regum obſequio.

Ioacimus.

p 4. *Reg.* 23.
q 2. *Par.* 36. *v.* 3. *&* 4.
r *c.* 36. 30.
s *c.* 22. 18.
t *c.* 36. 6.

Cum regnare deſiiſſet Joacimus ſucceſſit Joachin filius eius octo annorum, qui tribus menſibus & diebus decem regnauit, & malum fecit, & ductus ille quoque eſt in Babylonem. [u] Deinde ſecutus Sedecias ſub quo vaſtata terra eſt, templum deſolatum, ab hoc igitur ſi annos captiuitatis inchoamus, iam ante Daniel

Ioachin, ſeu Iechonias.

u 2. *Paral.* 36. 8.

Daniel in aula Babylonica vixerit, eſt neceſſe, nimirum annos vndecim, quibus regnauit Sedecias, tres menſes & decem dies Iechoniæ, quia vero Ioacimus anno quarto aut quinto regni ſui ductus eſt in Babylonem, deinde remiſſus ſeptem regnauit, efficientur anni octo & decem, qui efficiunt annos, octoginta octo additis ſeptuaginta, vſque ad annum primum Cy-

x c.1.21. ri, quo ab exilio remiſſi ſunt. Ita Daniel ipſe: [x] *Fuit autem Daniel vſque ad annum primum Cyri regis.*

c.2.49. Et porrò *Daniel autem poſtulauit à Rege; & conſtituit ſuper opera prouinciæ Babylonis, Sidrach, Miſach, & Abdenago: ipſe autem Daniel erat in foribus regis.*

Iungendi his annis tres quibus cum Cyro vixit. vt

y c.10.1. habet Scriptura. [y] *Anno tertio Cyri regis Perſarum, verbum reuelatum eſt Danieli cognomento Baltaſſar, & verbum verum, & fortitudo magna: intellexitq́; ſermonem: intelligentia enim eſt opus in viſione.*

Nonaginta igitur & vnum annum in aula vitam egit, ſi hanc temporis rationem teneamus. Cum Zorobabele in Iudæam profectus non eſt, ſed cum Cyro manſit, Cyri imperio, Iudæorum precibus, Dei voluntate, vt nimirum populo Dei procul diſſito, Satraparum, & finitimorum iniuriis obnoxio in regia eſſet aduocatus, manentibus in Chaldæa doctor & conſolator. Sane non peccaſſe eum manendo, docet eius ſumma cum Deo & angelis familiaritas, reuelationes, inter quas gratiſſima, de eius in vitam æternam ele-

Non rediit Ieroſolymam.

z *Electio Danieli reuelata.* ctione. [z] *Tu autem vade ad præfinitum: & requieſces, & ſtabis in ſorte tua in finem dierum.*

Poſt illa non diu vixiſſe probabile eſt, nihil de eo legitur, finis Prophetiæ eſſe dicitur, ad æternam quietem inuitatur. mox etiam Cyrum à Iudæis calumniatores abalienarunt, ædificationem templi impedierunt, quod viuo Daniele potuiſſe obtineri credibile

a *l.1. c.1. & 2.* non eſt, qua de re conſulendus Eſdræ liber. [a] Magnus ergo Daniel in aula, & longo tempore, ſumma experientia, qualem nunc vix vllius vita capere poteſt.

Expe-

Experientiæ diuturnæ coniuncta fuit ſumma prudentia, de qua Spiritus Sancti teſtimonium tenemus; [b] *Cumque eis locutus fuiſſet rex, non ſunt inuenti tales de vniuerſis: vt Daniel, Ananias, Miſaël & Azarias, & ſteterunt in cōſpectu regis. Et omne verbum ſapientiæ, & intellectus, quod ſciſcitatus eſt ab eis rex, inuenit in eis decuplum ſuper cunctos ariolos, & magos, qui erant in vniuerſo regno eius.* *Danielis experientia.* b. Dan. 1. 29.

Daniel ipſe non iactator bonorum ſuorum, ſed gratus auctori Deo confitetur, ſe cunctis ſapientiorem eſſe, [c] *Mihi quoque non in ſapientia, quæ eſt in me plusquam in cunctis viuentibus, ſacramentum hoc reuelatum eſt: ſed vt interpretatio regi manifeſta fieret, & cogitationes mentis tuæ ſcires.* *Sapientia.* c Dan. 2. 30.

Ezechiel [d] quoque regem Cyri increpat, quod ſibi videretur Daniele ſapientior. Nec impar ſapientiæ ſanctitas, ſine qua Sapientia fere aſtutia eſt, noxia & indecora. De ſanctitate teſtimonium dicit per Ezechielem [e] Deus. *Et ſi fuerint tres viri iſti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob: ipſi iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas, ait Dominus exercituum.* d 28. 3. *Sanctitas.* e c. 14. 12. & 20.

Omnibus igitur in aula degentibus magiſter, & dux, proponitur Daniel, ſanctiſſimus, ſapientiſſimus, expertiſſimus.

CAP. V.

Summa Danielis experientia & dignitas.

¶ I.

NOn omnis terra fert cedrum, oleam, aut vites, non omnis aula abſolutū perfectumq; palatinū. Sunt aulæ regulorū, quæ in arce parua, nec facere, nec ferre poſſunt magnos. At vero nec in maximis experientia omnium eſt; maximis in caſtris lixæ & calones non euadunt bellatores, Cæſarum in palatio aquarij & ciniflones laborū ſordidorum duntaxat norunt obſequia. *Non omnes in aula aulici.*

Digitized by Google

Daniel ſapientiæ, & virtutis ſuæ theatrum maximum conſecutus eſt, Monarchiam Chaldæorum, deinde Perſarum & Medorum.

In vtraque ſupremo poſt Monarchas faſtigio ſtetit. Inſignes etiam temporum varietates, rerumque expertus eſt commutationes, Chaldæorum, interitum, Perſarum concuſſo mundo exortum. Monarchas quinq; ſeruitio enixus tulit, Nabuchodonoſorem crudelem, ſuperbum, iracundum, deinde manſuetum, & diuinæ potentiæ præconem, Euilmerodachum moderatum: Balthaſſarem ſæuum, luxurioſum, qui in ſumma poteſtate, quid ſumma vitia poſſint, & quid mereantur, oſtendit. Darium Medum iam rebus gerendis imparem æquitatis amantem. Cyrum populo Dei per Iſaiam promiſſum, & omnium gentium ſcriptis celebratum, cuius initia, vt fere ſolent, lenia fuerunt, media plena crudelitatis & faſtus, exitus cruentus.

Reges domini Danielis.

¶ 2.

Potentia Chaldaa. *a c.2.37. & 39.*

Quæ fuerit regni illius potentia ac maieſtas Daniel ipſe demonſtrat. [*a*] *Tu rex regum es: & DEVS Cœli, regnum, & fortitudinem, imperium, & gloriam dedit tibi. Et poſt te conſurget regnum aliud minus te argenteum: & regnũ tertium aliud æreum, quod imperabit vniuerſæ terræ.*

Reges ſe regum etiam Perſæ vocabant, vt de eorum Monarchia Briſſonius oſtendit. [*b*] Alexander quoque accepto imperio regem ſe terrarum omnium, ac mundi appellari iuſſit, auctore Iuſtino, [*c*] imitatus ſuperbiam inclytam Chaldæorum. Ingentem huius regni latitudinem faciunt Ioſephus, [*d*] Euſebius [*e*] teſtes producit Beroſum, Philoſtratũ, Megaſthenem, qui immenſos terrarum tractus illi tribunt ab India ad Æthiopiam vſq;, Abydenus ex Megaſthene Lybiam adiicit & Iberiam, ne vero de Iberis orientalibus, ſeu Aſiaticis accipiamus, obſtat Strabo, qui eiſdem auctoribus [*f*] Iberos occidentales & Celtas nominat, eosque translatos ait ad Pontum, Colchidem, & fluuium Araxem. Mirari illud de Celtis & Hiſpania magis libet,

b l.1.p 2.

c l.11.

d l.1.contra Appionem.

e l.9.de præp. Euang.

f l.1.

Digitized by Google

libet, quam credere, Illo tempore Seruius & Tarquinius Romæ tenebant regnum, nec de Chaldæis metuiſſe videntur, cum tantæ claſſes in Hiſpaniam & Africam ſine Italiæ conſternatione proficiſci non potuerint. Ieremias eos potentiſſimos fore prædicit [g] *Gens autem & regnum, quod non ſeruierit Nabuchodonoſor regi Babylonis, & quicumq; non curuauerit collum ſuum ſub iugo regis Babylonis, in gladio, & in fame, & in peſte viſitabo ſuper gentē illam, ait Dominus, donec conſumam eos in manu eius.* g c.27.8.

De gentibus illis, quæ monitæ fuerunt, vt ſe Chaldæo ſubderent, intelligo. Nam ad intimam Æthiopiam, & occidentales eos veniſſe, nemo dixerit. In nobiliſſima igitur aula, ſeu capite aureo verſatus eſt Daniel, deinde venit ad regnum minus, pectus argēteum, hoc eſt regnum Perſarum, & Medorum. Non tamen inficiabor, inſulas maris, Afros, Græcos, forte alios Europæos magno regi aut vectigales fuiſſe, aut fœderatos, deteriore tamen conditione, quod amat fieri in amicitia impare, vt comiter potentiorum maieſtatem obſeruare iubeantur imbecilliores. Nam reges ſubiectos habere, non euertere ſolitos, Scriptura nos docet, niſi extrema meruiſſent. Itaq; Joacimo victo regnum reſtituit, & Sedeciam deinde regnare iuſſit.

§ 3.

In auguſtiſſima quoq; aula honoratiſſimus fuit locus Danieli. Quæ dignitas exponitur, ab ipſo Daniele. Poſtquam enim dixiſſet locos ſuos poſitos ſuper opera Babylonis, hoc eſt ſuper omnia negocia Monarchiæ, ſubdit, [h] *Daniel autem erat in foribus regis.* *Daniel præfectus aulæ.* h c.2.49.

Chaldæus Bithragh, *In porta*, qua loquendi ratione ſummum aulæ præfectum, iudicemq; prouinciarum, & conſiliorum præſidem ſignificabant: in porta enim tribunalia erant, & ſenatores. A porta vt primaria Palatij parte, tota regia nomen accipit. Manet conſuetudinis priſcæ in aula Turcica veſtigium, Palatium enim

portam excelſam nominant. Rex magnus, rex regum collegam illum appellat [i] *Donec collega ingreſſus eſt Daniel.* Quod quidem verbum ab editione Septuaginta interpretum abeſſe & Origenes, & Hieronymus queritur [k] Tres tamen Græcas editiones habere, atque etiam Theodotionem conſtat. Chaldæus habet Acharim, quod alium, ſocium, collegam ſignificat. Honoris illius ſpecies apud Perſas deinde in illis quos vocabant ὁμοτίμȢς, perſeuerauit. Hoc eſt, eiuſdem honoris participes.

i c 4.54.

k hom. in 4. Dan.

§ 4.

Euilmerodach.

Nabuchodonoſoris ſucceſſor Euilmerodach clemens & æquus erga Iudæos, patris monitu, & Danielis inſtitutis Ioachimum è carcere, nec dubium quin prophetæ rogatu, eduxit, regioq; cultu habuit, ex quo duces, & deinde natus eſt ille, in quem omnes Monarchiæ erant deſituræ, vt ſcriptura docet. [l] *Factum eſt vero in anno trigeſimo ſeptimo tranſmigrationis Ioachim regis Iuda, menſe duodecimo, vigeſimaſeptima die mẽſis: ſubleuauit Euilmerodach rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Ioachim regis Iuda de carcere. Et locutus eſt ei benignè: & poſuit thronum eius ſuper thronum regum, qui erant cum eo in Babylone. Et mutauit veſtes eius quas habuerat in carcere, & comedebat panem ſemper in conſpectu eius cunctis diebus vitæ ſuæ. Annonam quoq; conſtituit ei ſine intermiſſione, quæ & dabatur ei à rege per ſingulos dies, omnibus diebus vitæ ſuæ.*

l 4. reg. 25. 27

§ 5.

Balthaſar Danielem ſpreuit.

Regnãte Balthaſare minor Danieli honos. Siue corruptiſſimam aulam, in qua monenti nemo parebat, propheta fugiebat, ſiue rex perditiſſimus, cui nulla honeſti cura, virtutem tacite ſcelera exprobrantem oderat. Sane velut ignotum allloquitur [m] *Tu es Daniel de filiis captiuitatis Iudæ, quem adduxit Pater meus Rex de Iudæa.*

m Dan. 5 13.

Regina tamen nouerat matrona meliore marito digna. [n] *Regina autem pro re quæ acciderat regi, & optimatibus*

n Dan. 5 10.

tibus eius, domum conuiuii ingreſſa eſt: & proloquens ait: Rex in æternum viue: non te conturbent cogitationes tuæ, neq; facies tua immutetur. Eſt vir in regno tuo, qui ſpiritum Deorum ſanctorum habet in ſe: & in diebus patris tui ſcientia & ſapiẽtia inuentæ ſunt in eo: nam & rex Nabuchodonoſor pater tuus, principem magorum, incantatorum, Chaldæorum, & aruſpicum conſtituit eũ, pater, inquam, tuus, ô rex: quia ſpiritus amplior, & prudentia, intelligentiaq; & interpretatio ſomniorum & oſtenſio ſecretorum, ac ſolutio ligatorum, inuentæ ſunt in eo, hoc eſt in Daniele: cui rex poſuit nomen Balthaſar: Non mirum in aula iam morientis monarchiæ, & â priſcis etiam vitiis degenerante prophetæ locum non fuiſſe. Xenophon ſane regem Babylonis ſceleroſiſſimum fuiſſe narrat. Studio procerum atque inſanientis aulæ fraudibus, honoris ſpecie in Suſianam prouinciam, **Daniel Suſis.** quæ tum Chaldæo parebat, ablegatũ crediderim, fuit & Perſidos illa portio, Elymais vocitata. Anno tertio ſe fuiſſe in caſtro Suſis dicit Daniel. [o] *Anno tertio Regni Balthaſſar regis viſio apparuit mihi. Ego Daniel, poſt id, quod videram in principio, vidi in viſione mea, cum eſſem in Suſis caſtro, quod eſt in Ælam regione: vidi autem in viſione eſſe me ſuper portam Vlai.* **o c.8.1.& 2.**

Nec priuatus viuebat, ſed negocijs præerat, [p] *Et ego Daniel langui, & ægrotaui per dies: cumq; ſurrexiſſem, faciebam opera regis, & ſtupebam ad viſionem, & non erat, qui interpretaretur.* **p 8.27.** Occaſionem abſentiæ quæſitam Prophetæ fuiſſe non dubito, vt qui ex ratione temporis, & morum, videret aurei capitis ruinam, toto orbe ingenti fragore ſonaturam? Regi etiam & purpuratis ſana conſilia, monitaque fuiſſe moleſta nemo dubitare poteſt. **Monitis offenſi magnates.** Nec omittere tamen Daniel illa potuit: qui enim pereuntem periculi non admonet, perinde facit, atque is, qui venena non tollit ab eo, quem vipera momordit, aut aculeo ſcorpius fixit. Magnum hac in cauſa bonis viris certamen: fides poſtulat, vt de periculis moneant, pericula deterrent.

Nec modo in regno dæmonum, lubricoque vitio-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

rum dominatu, ſed in illorum quoq; palatiis, quorum in frontibus, & turribus Chriſti inſignia fulgent. Acerba ſunt plurimorum exempla, vt Lamberti, Friderici, aliorum, cœpere â cæde præcurſoris deſinent in morte Enochi & Eliæ. Viri ſancti ferre regum vitia coguntur, Deo tamen vindicanda relinquunt.

§ 6.

Babylonis tamen excidio illum adeſſe Deus voluit, vt ſuis ipſe vaticinijs frueretur, regem moneret, & nobili prophetia Dario commendaretur, ex primis enim principibus illius fuit, & conuiua regis. [p] *Placuit Dario, & conſtituit ſuper regnum ſatrapas centum viginti, vt eſſent in toto Regno ſuo. Et ſuper eos principes tres, ex quibus Daniel vnus erat: vt ſatrapæ illis redderent rationem, & rex non ſuſtineret moleſtiam. Igitur Daniel ſuperabat omnes Principes & ſatrapas: quia ſpiritus DEI amplior erat in illo: porro rex cogitabat conſtituere illum ſuper omne regnum.*

q *Dan. 6. 1.*

Sed breuis honor; annuum enim Darij fuit imperium, quod ille ſuſcepit natus annos ſexaginta duos [r] At quomodo Danielem bis captum, neglectis illis per quos vicerat, inter initia ad ſupremum apicem dignitatis extulit? Nemo ſane mirabitur, ſi perpendat Danielem in celeberrimo regno notiſſimum, tot annos rerum moderatorem, fœderum, belli, pacis arbitrum, cui apud omnes gentes

r *Dan. 5. v. vlt.*

Daniel natus Dario.

—— *Maxima rerum*
Verborumq́; fides. ——

Dario Cyroq; vti vicinis regibus, quibuſcum etiam pacis tempore multa peragenda erant (multæ enim inter finitimos lites) notus, atque etiam familiaris fuit.

CAP-

Cap. VI.

Danielis externus Splendor.

§ I.

DAnielem Joſephus totius regni ἐπίτροπον mode- *Principum dignitas, & opes.*
ratorem, præſidemq;, ſacræ Scripturæ conueni-
enter appellā̄t. Erat eorum plane regia dignitas, ſplen-
dor, opes, ſane legatus Sennacheribi Ezechiæ expro-
brat, non poſſe eum vel vni ſatraparum, ex ſeruis do-
mini ſui minimis obſiſtere. Holofernes quam ambi-
tioſa pompa regis ſui maieſtatem repræſentarit, Judi-
thæ nobis aperit hiſtoria. Eadem erant inſtituta Aſſy-
riorum, Chaldæorum, Perſarum, creſcente ſemper, ꝙ
pronū eſt, magnificentia. Perſis belli dux erat Surenas,
idem in pace inter proceres ſummus. Perſica Monar-
chia ad Chaldæam, quam optimis legibus & conſiliis
Daniel adminiſtrauit, attemperata fuit, Daniel inter
Megiſtanas Babylonios ſeu maximates principatum
tenuit, & Darij tempore apud Perſas. De Surenæ ma-
gnitudine multa Marcellinus [*a*] & Plutarchus [*b*] ſu- a *l.* 24. & 30.
pellectilem eius memorat mille camelis vectam, pelli-
ces ducentis curribus, in obſequio habuiſſe decem e- b *In Craſſo.*
quitū millia, ex his mille cataphractos, cætera ad eum
modum. Danielem ad tutelam ſui, ad auctoritatem, & *Danielis magnificentia.*
decus imperij, ad coërcendos improbos forti fidoq; ſa-
tellitio vſum, magnificos etiam ſumptus feciſſe nō du-
bito, nam multa & magna illi munera rex dedit: Pelli-
ces & inſtrumenta libidinum ab aula viri ſanctiſſimi
prorſus remoueo. Hæc dignitas Baltaſſaris, atq; opu-
lentia, cui nemo ex aulicis noſtratibus, ne regibus qui-
dem par fuerit. Nec per hæc tamen ille magnus, aut
fœlix, eo ſolum laudandus, quod nec deliciæ ani-
mum eius emolliuerint, nec honos in altum extule-
rit. Honor & opes cum à ſanctis poſſidentur, mate- *Diuitiæ quid præſtent.*
ria ſunt virtutum, æternæ felicitatis typi & ſymbola,

 con-

contumeliæ, paupertasque ad virtutem eos exercent. In exilio tam honorato animæ puræ patria Deus erat, illa ſedes ſapientiæ, corpus pro ſepulchro, omnem pompam pro cypreſſo, & funerali inſtrumento habebat, efferri ſe non procedere iudicabat. Non mirabatur iſta, quaſi magna, ideo verè magnus. Nihil enim in mundo magnum, niſi animus mundi contemptor, Deo plenus, qui rerum affluentia ad miſerorum egeſtatem ſubleuandam vtatur.

§ 2.

Honor procerum. Magno igitur in honore regnorum proceres, quos etiam συγγενεῖς, cognatos vocabant reges, conſidebant illi coram rege, venientem oſculo excipiebant, non figebant veſtigiis baſia proſtrati. Tales quinque millia Darium habuiſſe, auctor eſt Curtius, [c] & Diodorus Siculus. [d] Horum princeps Daniel, adeo, vt illum rex adoraret. *Tunc rex*, [e] inquit Scriptura, *cecidit in faciem ſuam, & Danielem adorauit, & hoſtias, & incenſum præcepit, vt ſacrificarent ei.*

c *l.3.*
d *l.17.*
e *Dan.2.46.*

Qua de re non vna eſt interpretatio, ideoque pauca pro Danielis defenſione dicenda. Porphyrius adoratum negat. *Noſtri temporis Hæreſiarcha aulicis moribus corruptum, paſſum ſe adorari affirmat,* vt docet Maldonatus, [f] ſed illa calumnia eſt, quam etiam hæreſiarchæ comites Junius & Tremellius à Propheta amoliuntur. Hieronymus [g] triplicem expoſitionem adducit, vt in ſingulis tamen excuſet Danielem. Prima interpretatio: Regem communi errore adoraſſe tanquam Deum, vt in actis Apoſtolorum Lycaones Paulum, & Barnabam: nec inuſitatus in rege error: Paulo poſt ſtatuam adorandam proponit. Altera: Regem ſignorum magnitudine turbatum, neſciſſe quid ageret. Tertia: A rege non Danielem, ſed in Daniele Deum eſſe adoratum; coram Daniele, non Danieli, ſed Deo hoſtias oblatas. Hanc ſententiam ſecutus eſt Theodoretus. Nam rex cauſam adorationis ſubiungit. [h] *Vere Deus veſter DEVS Deorum eſt, & Dominus regum, & reuelans*

Caluinus.
f *lin.2. Dan.*
g *Eodem loco.*
Daniel adoratus.
h *c.2.47.*

lans myſteria: quoniam tu potuiſti aperire hoc Sacramentum. Daniel quoq; omnia ad Deum retulit,[*i*] *Sed eſt Deus in cœlo reuelans myſteria, qui indicauit tibi rex Nabuchodonoſor, quæ ventura ſunt in nouiſſimis temporibus.* i c. 2.28.

Adorare Danielem rex potuit ſine ſcelere, vt Abrahamus populum terræ, Dauidem Bethſabæa: cultus enim ille ex adorandi cauſis ſpectatur Menander reges adorari dicit, vt viuas Dei imagines: Principem enim dat Deus, qui erga genus humanum ſua vice fungatur, vt vere teſtatur Plinius, [k] Ea cautela Perſarum reges adorari Artabanus diſputabat, velut imaginem cuncta ſeruantis Dei: ita Plutarchus. [*l*] Poſtea tamen creſcente faſtu, alimenta ſuggerentibus paraſitis adoratio ciuilis in diuinum conuerſa: Briſſonius. [*m*] Hoc modo Nabuchodonoſor excuſari potuit, quia tamen ſacrificia iubet offerri Daniel vitioſam etiam adorationem, & victimas idololatricas fuiſſe exiſtimo à turbato, & errante rege præceptas: quemadmodum Lycaones Paulum Mercurium, Barnabam Iouem credebant. Nec tamen illa Danieli, admiſit, verum omnibus modis obſtitit, etſi id ſcriptura non commemoret, ſatis enim ex aliis factis colligi poterat, Quomodo enim ſe pro idolo proſtitueret, qui ne regio quidem cibo contaminari voluit? quomodo aulicis moribus corruptus tam ſubmiſſa prece ſomnij cognitionem, & interpretationem diuinitus acceperat? regem inſtruxerat, non eſſe illa virium humanarum, at vero, cur non indicauit ſe repugnaſſe? Neminem tam ſuſpicacem exiſtimauit, vt putaret honores diuinos à ſe admiſſos. Quod ſi cauillis eiuſmodi locum damus, Paulum Apoſtolum eadem argumentatione infamabimus: Melitenſes enim cum excuſſa vipera innoxium vulnus cernerent, Deum eſſe dicebant. [*n*] *At illi exiſtimabant eum in tumorem conuertendum, & ſubito caſurum & mori. Diu autem illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri, conuertentes ſe, dicebant eum eſſe DEVM.* Nec tamen ſe Paulus errorem illum refutaſſe tradit. An ergo

Adoratio ciuilis.

k *in panegyr.*

l *in Themiſt.*

m *l. 1. in Perſicis.*

Daniel adorationem nõ admiſit.

n *Act. 28.6.*

diſſimulaſſe credendus eſt: nullo modo; præſtabat morſu eius interire corpus, quam praua taciturnitate animos ſpectantium in errore confirmari. Hunc igitur in modum res contigit: Danielem rex Deum arbitratus in faciem cadens adorauit, & ſacrificia offerre imperauit. Daniel ſumma modeſtia regem ſubleuat, ſe hominem, Dei miniſtrum, non Deum eſſe docet, adorationem & ſacrificia cum magna obteſtatione deprecatur, tum rex ad ſe reuerſus, & Prophetæ credens, in verba illa prorupit. [o] *Verè Deus veſter DEVS Deorum eſt, & Dominus regum, & reuelans myſteria: quoniam tu potuiſti aperire hoc Sacramentum.*

o Dan. 2. 47.

Cap. VII.

Danielis Prophetiam omnino Aulicam eſſe, regibus, proceribusq; primario ſcriptam, & toti nobilitati.

§ I.

Difficultas Danielis.

DEterret multos à lectione Danielis magna difficultas. Legunt in eo ſtatuas, montes, arbores, ventos, beſtias, maria, angelos, hebdomadas. Diuina eſſe credunt, tot autem obtecta velamentis, vt poſt lectionem pluribus, quam antea pulſentur quæſtionibus, & ſcientiam labore partam, nouos ſemper parturire labores experiantur. Neque mirum, qui fixo obtutu ſolem aſpectant, nec diuturno viſu radios diſtinctius notant, & telis illis verberati hebeſcunt, memoriaque vacillant. Mens noſtra ad arcana Scripturarum lucemque diuinitatis inacceſſam obſtupeſcit, & niſi certo ordine modoque Scripturarum Sacramenta ſcrutetur, à gloria increatæ maieſtatis

Imbecillitas in diuinis intelligendis.

tis opprimitur. Recondita ſunt, multisque allegoriarum inuolucris circumcincta Danielis oracula: nec pauca tamen veniunt primo intuitu intelligenda, & moribus bene formandis ſponte ſe offerunt, vt diuinæ legis amor, Danielis abſtinentia, eiusdem & ſociorum conſtantia, contemptusque mortis, imperiorum orbisque in ſe colliſi commutationes, ſuperbiæ, auaritiæ, fraudum pœnæ, rerum omnium inſtabilitas, Chriſti regnum & beatorum æternum, pereuntium ſine fine duraturi cruciatus. Etiam prudentia, comitas, doli fraudumq; euitatio, factorum verborumq; cautio.

Aula magiſter Daniel.

Danielis enim Prophetia plane regia eſt, & Palatina, quicquid bene aut male in aula geritur, in Daniele exemplum, & doctrinam habet. De moribus igitur & pietate ex illo Propheta documenta hauriam, integros Commentarios etiam aliquando, ſi DEO viſum fuerit, daturus. Hæc quo ab omnibus percipi poſſunt, ſi legantur, ad ſecretiſſima quoque Prophetæ myſteria manu ducent.

§ 2.

Gratia naturæ concors.

Admiranda ſane eſt naturæ quam nobis creator indit, & gratiæ quâ illam ornauit, in ſingulis conuenientia ac conteſſeratio. Quamuis enim ab inſita natura, ac conſuetudine gratiæ dignitas efficientiaq; non dependeat,, quæ ſupra naturam eſt, & operatur; non tollit eam tamen, ſed expolit, & perficit, propenſiones promouet vitioſitate correcta, quod cuique proprium, aut conſuetum eſt; ad virtutem excitat, atque accommodat, quod tum in Daniele, tum aliis prophetis cernimus. Iſaias regij ſanguinis inter Magnates educatus, graue, ſonorum, neruoſum orationis genus habet, naturæ & educationi conſentaneum. Jeremias ſacerdos odoramenta & victimas cum multis lacrymis immolare ſolitus, flebiliter clades prædicit immi-

Iſaia Prophetia grauis.

nen-

nentes, & deplorat illatas; ipſe populi & procerum odiis agitatus perpetua in triſtitia vixit. Ezechiel quoque de templo, Cherubim & Seraphim, de animalibus, de quibus ſacerdos erat meditatus, loquitur, Prophetiam illius de altari & ſanctis ſanctorum ſumptam merito dixeris. Quin Amos de paſtoribus Thecue vellicans ſycomoros, de rure ferè loquitur, numine hominis ingenio, & conſuetudini dona ſua atremperante. Ille Prophetiam ab agro orditur. *Dominus de Sion rugiet, & de Ieruſalem dabit vocem ſuam: luxerunt ſpecioſa paſtorum, & exiccatus eſt vertere Carmeli.* Hinc illud: *ſtridebo* [*a*] *ſubter vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno.*

Prophetia Ezechielis ſacerdotalis.

Amos de agro parabolas ſumit.

a c.2.13.

b c.4.

Et: *Audite* [*b*] *verbum hoc vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis.*

c c.5.& 6.

d c.8.

e c.7.

f c.9.

Hinc pluuias, ventos, ſiccitates, planctum in vinea, arationem, aliaque agricolis triſtia commemorat. [*c*] Hinc vncinus pomorum. [*d*] Deum ipſum vocat fictorem locuſtæ, beſtiolæ vilis, ſed ruſticis formidatæ. [*e*] Hinc felicitatem vitæ æternæ, regni cœleſtis opes terrarum vbertati comparat, [*f*] *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & comprehendet arator meſſorem, & calcator vuæ mittentem ſemen: & ſtillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt. Et conuertam captiuitatem populi mei Iſraël.* Atque illam prophetandi rationem tenet, exempla & ſimilitudines de agris & paſcuis, tanquam de proprio ſumit, diuinis autem reuelationibus ſecundum ingenium ſuum delectatur, qui profeſſus eſt coram impio rege. [*g*] *Non ſum Propheta & non ſum filius Prophetæ: ſed armentarius ego ſum vellicans ſycomoros.*

g c.7.14.

Danielis Prophetia aulica.

Non quod ille, quem ad arcana conſilia rex mundi vocauit, parum idoneus ad pereuntis aulæ negocia tractanda videretur: ſed quod is, qui virorum ſanctorum operâ vtitur, etiam ſecundum illorum ingenia, indolemq; vſurpet. Quapropter cum Danielem ad periculoſas regum barbarorum amicitias euexit, eumq; alto in culmine dignitatum collocauit, animum eius pietate,

pietate, conſtantiaq; ſolidum atque immobilem politica regiaq; prudentia imbuit, eoq; propenſiones flexit, vt ex aula cognata veniẽs, in aulica diſciplina educatus, de regnis, Monarchiis, rerum conuerſionibus, malis iuxta ac bonis Magnatum artibus perpetuo loquatur, & quemadmodum regum clypei, vexilla, palatia, leonum, vrſorum, tigrium, monſtrorumque formis inſigniuntur, ita ille his quoque vtitur hieroglyphicis. De ipſis angelis non alio modo quam regnorum reſpectu loquitur, alium Perſarum, alium Græcorum principem vocat, Michaëlem ducem populi Dei agnoſcit. Quin angelorum etiam cum illo habita colloquia de regnis, geſtis, & moribus aulæ tractant Chriſtum ipſum, ne à politia recedat, ducem vocat.* Ille in aureo capite ſtatuæ, diuitem Chaldææ potentiam, in argenteo pectore Perſarum durius imperium, in ventre æneo Macedonum fœdiſſimæ gentis auaritiam, atque ingluuiem, in tibiis, & pedibus partim ferreis, partim luteis Imperij Romani foris inuictum robur, domi diſcordiis fragilem, ſibiq; inſociabilem rempublicam deſcribit. [h] Regia etiam prophetia eſt, quâ miſerabilem Nabuchodonoſori Metamorphoſin [i] Baltaſari exitium prædicit [k].

Danielis cũ angelis colloquia aulica.

* *c.9.25.*

h *c.7.*
i *c.4.*
k *c.5.*

§ 3.

Nimirum finis Prophetarum eſt, & legis, vt ad Chriſtum deducant electos, illud modo à Dei ſpiritu præſcripto quiſq; facit. Daniel per imperiorum euerſiones, & exortus, per purpureas tyrannorum mortes, per omnium interitum, quo auferuntur ſicut puluis, vt regnum Chriſti & ſanctorum creſcat in montem excelſum. *Quod autem*, inquit, [l] *vidiſti ferrum miſtum teſta ex luto, commiſcebuntur quidem humano ſemine, ſed non adhærebunt ſibi, ſicuti ferrum miſceri non poteſt teſtæ. In diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit DEVS cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem & conſumet vniuerſa regna hæc: & ipſum ſtabit in æternum.*

Nullum

Digitized by Google

Mundus ſui interitus eſt exemplum. Nullum enim mundi perituri argumentum euidentius, aut triſtius documentum, quam mundus ipſe ſeſe perpetuo premens, in ſua viſcera ſæuiens, ſeſe enim impetit, & à ſe diuellitur, nunquam quietus. Hoc quatuor venti in mari magno compugnantes figurant, qui cient in æquore fluctus, ex motu turbulento tanquam de ſpuma naſcuntur quatuor beſtiæ, quæ feritate originem produnt ſuã, oriuntur de ſcelere inſanientis mundi, & eiſdem de cauſis occidunt: nuſquam maior iniuſtitia, quam in aditu nouorum imperiorum. Videt Daniel [m] Leænam alatã, mox implumem, regnũ Chaldęorum, ad cuius clauum ſedebat dignitate ſecundus, conſiliis primus. Leænæ minor audacia, maior eſt, quã Leoni ſæuities ira præceps, pili criſpi, oſſa dura, magna, ceruix vno oſſe rigida, torua facies, pupularum vis ignea, ſerrati dentes, lingua aſpera, ſanguinis ſuctu in rabiem irritatur feritas, oculi in ſomno patentes. Hoc encomio beſtiam deſcribit Ariſtoteles, [n] Plinius, Polybius, [o] Ælianus, Strabo. [p] Quam ſimilis Chaldaicæ Monarchiæ illa belua? Rex vinctis ſuis non operuit carcerem, *quos volebat, occidebat, & quos volebat, viuificabat.* [q] Leænum eſſe imperium illud teſtatur Abacuc. [r] *Quia ecce ſuſcitabo Chaldæos, gentem amaram & velocem, ambulantem ſuper latitudinem terræ, vt poſſideat tabernacula non ſua. Horribilis, & terribilis eſt: ex ſemetipſa iudicium & onus eius egredietur.*

Regna de ſcelere fere oriuntur.

m c.7.

Leonis natura.

n l. 2. de partib. animalium, l.3. hiſt. c. 20.

o l.13.

p l.16.

q Dan.5.

Leæna imperium Chaldæũ.

r c.16.

ſ Thren.4. 19.

Jeremias aquilis Chaldæos comparat. [ſ] Hæc igitur Leæna cuius rabiem quâ poterat Daniel temperabat, duobus ex fortiſſimis, & rapaciſſimis animalium conflatum erat portentum, ad genium etiam terræ Propheta alludit, Chaldæa robuſtiſſimos leonum, Suſiana maximas aquilarum nutrit, vt conſenſu docent auctores.

¶ 4.

Vrſorum natura. Accurate etiam Perſici regni, morumque crudelitatem, in vrſa Leænæ victrice depingit. Vrſorum fœdus aſpectus, nulla generoſitas, cruda ſæuities, Vrſi Perſici vltra omnem rabiem ſæuiunt, teſte Marcellino, & Apol-

Digitized by Google

Apollonius apud Philoſtratum affirmat, omnes belluas ab illis ſæuitia ſuperari. Caput illis infirmum, oculi hebetes, ſumma laborum tolerantia, fortia brachia, tarditas, ita Ariſtoteles, [t] Ælianus. [u] Miris modis iſta in Perſicum regnum, vrſis ſuis non diſſimile conueniunt. Darius caput infirmum, cui nihil ex regno, niſi titulus maieſtatis in ſepulchro. Cyrus quidem forte caput, ſed prudentia minore: iactatur omnium ore *Cyri dementia Gyndes*: Tempora belli in amnis pœna conſumpſit, nec facilè maiora vſquam regum deliria mihi lecta ſunt. Alioqui Perſici reges hebetes, ſtolidi, alienis imperiis obnoxij, ſeruorum ſuorum famuli, in ſummis opibus inopes. Vrſæ dentiũ ordo triplex, tria regna: Medicum, Perſicum, Chaldæum. Vrſæ dicitur: *Surge, comede carnes plurimas.* In Perſis ſanguinis inſatiabilis ardor. Leæna carcere, ærumnis, laboribus captiuas nationes attriuit, ſanguinis parcior, ſeruitio gaudebat: nam

t l.2. hiſt. c.3.
u l.5 c.5.
Darius infirmus.
Cyri dementia.
Perſarum ſæuities.

> *Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni,*
> *Sed lupus & turpes inſtant morientibus vrſi.*

de crudelitate Perſarum Herodotus, [x] Juſtinus, [y] Xenophon, [z] Heliodorus, [a] Plutarchus, [b] Diodorus, [c] Ariſtides, [d] Marcellinus, [e] Strabo, [f] Seneca. [g]

Quanta fuerit Vrſæ venantis immanitas, cum ſagena militari integras inſulas peruaderent, puberesque trucidarent, explicuit [h] Plutarchus.

x *l.6.*
y *l.1.*
z *l.3.*
a *l.3. Æthiop.*
b *In Artaxerxe.*
c *l.18.*
d ....
e *l.30.*
f *l.16.*
g *l.3. de ira.*
h *l. vtra animalia, ſapientiora.*

¶ 5.

Belluæ ſupra omnes ſæuæ, & voraci dentes Leopardus excuſſit, ſeu Pardus, ſeu Panthera cognatæ enim naturæ ſunt, generis Leonini: ſed degeneris, Macedoniæ ſymbola. Beſtia eſt odora, mobilis, impetu valens, doloſa, vinoſa, fruſtrata in magiſtrum vertitur. Hæc apud Ariſtotelem, Plutarchum, Pollucem, Ælianum, inuenies. Alexandro, Ptolomeis, Seleucidis, mirificè conueniunt; & paſſim in hiſtoriis obuia ſunt. Hoc ſingulare, quod in Alexandrum, & diuiſo imperio in progeniem eius beſtia verſa eſt. Nam intra annos quindecim

Leopardi natura.

Macedones in ſe mutuo crudeles. decim poſtquam Alexandrum magiſtrum veneno ſuſtulit, matrem eius, filios, vxores, fratrem, totam domum extinxit, duces eius & commilitones mutuis vulneribus concidêre, quorum poſteri ſuperfuerunt; in continua lanienâ vixerunt.

§ 6.

Romanum imperium. Quarta beſtia Romana eſt, omnibus diſſimilis, etiam ſibi ipſi diſcors, ſub regibus, conſulibus, tribunis, patritiis, plebeis, Auguſtis, Monarchis, Ariſtocratia, Democratia, fortior, aliis diuturnior, comedens, & pedibus conculcans, quę integris voluminibus Romani ſcriptores exponunt. Quæ vero c. 9. 10. 11. 12. prædicit tanta breuitate & veritate proponit, de Perſide, Græcia, Romanis, Antichriſto, vt regibus naſcituris intimus Conſiliarius, & arcanorum omnium particeps fuiſſe videatur. Sane conſilia, dolos, euentus, ſcelera, ipſe tot centenos annos, & millenos ante cognouit, quam fierent, non experientia modo: ſed etiam futuri cognitione præſtans. Daniel igitur aulicus eſt nõ vnius ſæculi, neque ſui tantum temporis, ſed omnium ætatum, donec vniuerſum hoc in cineres abibit, libri aperientur, & iudicium ſedebit, in quo & beſtiæ exurentur, & regnum populo ſanctorum dabitur: quæ nunc etiam in imperio geruntur deſcribit, vt talem nemo magiſtrum dedignetur, qui maximorum monarcharum, magiſter ſupremus aulæ, imperia rexit: & quæ poſt futura erant, melius quam reges ipſi, proceresque perſpexit.

Cap. VIII.

Aulæ mala, & procerum, curiæq;.

§ 1.

VTinam in reliqua parte mundi tam deeſſent mala, quam in aula ſuperſunt. Facile eſt carpere mores palatiorum, & benigna materia in vitia dicere: quod vtinam

vtinam cum Nazianzeno faciant omnes, vt aliena peccata lugeant, non vt exprobrent. Vtinam tam vera eſſet aliorum in vrbibus, in Eccleſiis, in Cænobiis viuentium laudatio, quam promptum eſt regiæ vitupe- rium. Contra aulicos tamen dicere quid vetat? Daniel ipſe aulicorum Princeps & Doctor, de aula quod narraret boni, niſi regis Nabuchodonoſoris pœnitentiam, nihil habuit. Omnia plena fraudibus, flagitiis, corruptelis. Solus Daniel & tres eius ſocij, profanis cibis non polluebantur, cæterorum puerorum infirmitas turbam ſequebatur. Malaſuri pietas Danielis, furti cauſam præbuit, [a] *Porro Malaſar tollebat cibaria & vinū potus eorum: dabatq; eis legumina.* Mox quam ſæua regis ira ſine diſcrimine etiam innoxios ad cædem deſtinans? [b] *Quo audito, rex in furore & in ira magna præcepit, vt perirent omnes ſapientes Babylonis.* Quanto diræ calumniæ procerum collegas Danielis accuſantium? [c] *Sunt ergo viri Iudæi, quos conſtituiſti ſuper opera regionis Babylonis, Sidrach, Miſach, & Abdenago: viri iſti contempſerunt, rex, decretum tuum: Deos tuos non colunt, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adorant.* Et deinde Medorum & Perſarum optimates omnes impium conſilium ineunt, & conſpirant in Danielem, [d] mons ille nebuloſus, mons Peſtifer, Babylon, inclyta illa Babylon, vt pœna ſua legem Dei ſanciret, quam factis violarat, omnium gentium erat ſceleſtiſſima. Exitij tamen cauſam in regem & aulicos Daniel confert, non populi peccata, [e] *Idcirco ab eo miſſus eſt articulus manus, quæ ſcripſit hoc, quod exaratum eſt.* Deinde vero beluæ omnes ſæuæ, iniquæ, libidinoſæ. [f] Quæ deinde de regnis prædicit, ſcelera tantum regum & procerum, virtutes nullas continent. [g] Erat enim reſpublica malorum, & cruentæ regiæ, in quibus nihil laudabile Propheta præuidebat. In oppidis crimina committuntur, in palatio regnant. Omnia in Monarchiis ſunt exempla, in Chaldæa illuſtriſſimum: Magnatum ſanctæ Eccleſiæ, & captiuæ quidem, perſecutio; proponitur ſtatua au-

In aula grauior pugna.

a *Dan.* 1. 16.

b *c.* 2. 12.

c *c.* 3.

d *c.* 5. 6.

e *c.* 5. 24.

f *c.* 7. & 8.

g *c.* 10. & 11.

Digitized by Google

rea, victis populis & victoribus adoranda, tubæq; & litui, omnia inſtrumentorum & vocum delinimenta, atq; ad idololatriam incitamenta, inde fornax ardens, ignibus ſuis minax tanquam Æthna inſontes hauſtura. Grauis & periculoſa tentatio, non niſi adiutorio cæleſti vincenda. Sed aulicis formidoloſior: cæteris ardebat fornax vice ſimplice, viris illis quos rex poſuerat ſuper opera Babylonis, ſeptem gemina flamma ſuccenditur, [h] *& præcepit vt ſuccenderetur fornax ſeptuplum, quam ſuccendi conſueuerat*. Itaq; maior vis flammæ, [i] *& effundebatur flamma ſuper fornacem cubitis quadraginta nouem.* Non faciebat hoc ad cruciatuum augendam atrocitatem, quo illa acrior, eo dolor breuior, ſed vt appareret, in aula ſeptem dæmoniis innocentiam expugnari, in aliis vno duntaxat.

In aula grauior tentatio.

h c.3.19.
i c.3.47.

¶ 2.

Ratio porro notior eſt, quam vt negari queat. Palatini aureis vincti catenis, vt in ambitioſis etiam pœna honoretur, ad ærumnoſos labores in amplo latoq; ergaſtulo educantur, in eminentiſſimo mundi loco ſtationem habent: hinc illorum vtraq; latera perpetes verberant procellæ.

In alto poſiti procellis obnoxii.

Æſtiuaq; niues vrunt, atq; inſcia veris
Frigora conſtringunt ſcopulos.

Quiſquis ſe turbis inſerit, turbas patitur: & queri non poteſt, ſi eliditur, vt fieri cōſueuit, cum ad ſpectacula venitur, & de loco pugnatur: quem ſibi quisque commodiſſimū quærit. Aditus ad ſuperna limina periculo plenus eſt; ignobili ſeruitute, probroſis ſordibus emunt viri magni, vt aliquando fulgeant. Quot arrogantium ſupercilia ferre coguntur, vt aliquando ipſi imperēt? quo cum venerunt, hinc vitæ, inde innocentiæ periculum intētatur. quorum illud magis timetur, hoc magis timendum eſt, illo nocentius. Bona fluxa, bona fugientia perſequuntur, ſua quisq; cupiditate & ſpe ferūtur ad illa bona, quæ ſperant omnes, adipiſcūtur pauci, atq; illi ipſi aut partis excidūt viui, aut mortui deſeruntur, dum ad hæredem transfugiunt opes.

Seruitus aulæ.

Quem-

Quemadmodum regem in ſummo Carcheſio curantem violentæ feriunt auræ, ſic aulicos illi proximos vexat Eurusq;, Nothusq;, creberq; procellis *Aula mala*

Africus, & tumidas voluunt ad tartara mentes.

Non ſic Lybicis Syrtibus æquor *Seneca in Agam.*
Furit alternos voluere fluctus
Vt præcipites aulæ caſus
Fortuna rotat.

Sic DEVS voluit, qui in præcipiti *dubioq; excelſa locat.* Hinc *alia ex alia cura fatigat vexatq; animos noua tempeſtas.*

Licuit Senecæ dicere in media aula, & aula cruenta,

———iura pudorq;
Et coniugii ſacrata fides, fugiunt aulas.

Quid igitur in locum fugientis boni ſuccenturiatur?

ſequitur triſtis
Sanguinolenta Bellona manu,
Quæq; ſuperbos vrit Erynnis,
Tumidas ſemper comitata domos,
Quas in planum qualibet hora
Tulit ex alto.

Omnium in ore eſt illud eminentis aulici. *Lucanus.*

Exeat aulâ, qui volet eſſe pius.

Hoc etiam impij vſurpant.

De aulæ vituperatione librum conſcripſit Antonius Gueuara vir doctiſſimus, qui in aula vitam penè contriuit. *Antonius Gueuara.*

§ 3.

Illud porro non minimum aulæ malum, quod difficile remedium mali vehementis: non capiunt monita magnates. Quos arthritis vrit, aut vlcera cruda, & flammata excruciant, ad ſuſpicionem tactus exclamant. Tanta vis in ſummâ morbi atrocitate, plumulam, & mulcentem manum tanquam ſaxa, & vngulas exhorreſcunt, non alius animus eſt, qui poteſtate & honore inflatus, & vitiis grandibus eſt labefactus, nihil magis horret, quam medicum. Nec tamen à monitione ceſſandum.

Digitized by Google

Peccare, & non cohibere peccantes iuxta æſtima: ſi quis enim in ciuitate vitam quidē ipſe traducat, æquè toleret autem viuentes iniquè, ſocius malorum apud DEVM iudicatur, quod ſi velis bifariam approbari, pulcherrima quæq; gerentes honora, ira teterrima patrantibus ſuccenſe, vt prudenter Juſtinianum monet Ægapetus. Et monendi etiam cum periculo: quamuis extrema expectentur. Exempla nimium ſunt multa: Clitus, Calliſthenes, Parmeno. Maximè Joannes Epiſcopus, cuius ſalutaria, ſed flagitiis inimica monita Junipertus cum ferre nollet, iratus equo indomito inſontem iuſſit imponi, quod oſtenderet, non magis ſe bonis conſiliis, quam beſtiam ferocem frenis, compeſci poſſe: atque ita moleſtum cenſorem excuteret ac perderet. Sed iumenta domari poſſunt, peruicax arrogantia frena perrumpit. Obſtinatio autem ſignum eſt mala voluntaria, ab habitu, & non per ignorantiam fuiſſe. Qui reprehenſus iraſcitur, culpam maiorem non tam agnoſcit, quam celare non poteſt. Quod in aula fit. Correctionem autem ferre abſq; commotione & excandeſcentia, argumentum eſt, quod aut victus, aut ignorans fuerit.

§ 4.

Malis omnibus vitam & vigorem ſuppeditat regum ſtultitia & malitia, improbitasque, non nouum eſt, vt ſub furioſo capite diſtorti, ac monſtroſi membrorum oriantur motus. Neſcio quam ſapienter, hiſtoricè profecto locutus eſt, qui dixit: *Aut regem, aut fatuum oportere naſci*, Acerbe ſane Romanus ſapiens, Claudium tam ſtultum fuiſſe, vt regnare poſſet, ſed blandiens Neroni, dixit. Quid porro aliud hiſtoria generis humani, quam

Regum ſtultitia.

Stultorum regum & populorum continet æſtus?

Ex regibus Chaldæorum, Perſarum, Græcorum, priſcisq; Romanorum, furentibus plures, quam prudentibus ſimiles fuere. Nolo iſta ad Chriſtianos principes aut reges traducere. Nimium contumelioſe Eraſmus

in A-

Digitized by Google

in Adagiis: *Si annales veterum, & neotericorum euoluantur, vix ſæculis aliquot vnum alterumve exſtitiſſe principem, qui non inſigni ſtultitia maximā perniciem inuexerit rebus humanis.* Chriſtianis temporibus fuere plurimi principes prudentiſſimi, & optimi cladibus amoliendis nati: in comparatione tamen improborum, pauci. Alioqui & laudatorū principum ſunt errata, & ex illis populorum ſtrages. Regum facta primum familiares corrumpunt, per hos plebs in vitia trahitur, celeriter in magnates peſtis tranſilit, populus quaſi extra teli iactum contra primos impetus ſecurior eſt, aulici in prima acie periclitantur, populus poſt præſidia ſubſidit. Ea cauſa eſt, cur heroum filij noxæ, non occulto naſcendi fato, ſed aulæ, & domus opulentæ corruptelis. *Eraſmi de principibus contumelioſa ſententia.*

§ 5.

Auctoritati regiæ, quam etiam criminum patrocinia vrgentem profaniſſimi hominum ſacroſanctam eſſe iusq; fasque cenſent, iungitur conſuetudo, quam merito Iuſtinus martyr turbulentam appellat. Plerumque violenta trahit, in aula violentiſſima rapit inuitos, propellit reſiſtentes, veritate ipſa valentior. Illa efficit, vt grandia ſcelera, quæ ne in mentem quidem hominis venire poſſe, viri boni putant, ne pro delictis quidem habeantur. Honeſtum eſſe iudicant, quod fit à multis & magnis, Tyrannicum eſt conſuetudinis imperium adeo vt ſi quis illius flagitiis legem Dei opponat, pœna dignus iudicetur. In aula vero maior regis eſt, quam Dei auctoritas, vt regi placeant, inimicitias cum Deo ſuſcipiunt: ne vitia inolita deſerere cogantur, cum cœtera deficiunt, conſuetudine ſe tuentur, quaſi id quod more peragitur, etiam iure fiat. Duabus igitur anchoris vitia Palatina firmantur, potentia regnantium, & conſuetudine ferrea peccantium, cui etiam impar eſt dominatus. *De religione Chriſtiana.*

Quantum principis mores officiant, inſigne documentum præbuit, ſed longo poſt Danielem interuallo aula Perſica. In illa primum dignitatis & gratiæ locum

viceris. Fermenti pugillus ingentem maſſam acidam efficit, mactra plena fermento acorem non minuet. Flumini ruptis aggeribus obſiſti non poteſt, violentia ſua obices ſecum rapit, malis fortibus & magnis quicquid opponitur, magnitudine obruitur, ruenti turri nemo opponit humeros, vt caſum ſiſtat, fuga melius declinantur, quæ corrigi non poſſunt. aulæ igitur mala fugienda ſunt ipſa vitanda, quæ ſine tot malis non regitur.

Hæc ſunt capita eorum, quæ contra vitam palatinam, & mores aulicos declamant, ac concludunt vitam aulicam nulli ſuadendam, ab aula deterrendos omnes. Quibus tamen adeo nihil efficitur, vt maximos quotidie ad ſplendidam miſeriam concurſus fieri animaduertamus.

Cap. IX.

Aulæ defenſio.

§ 1.

NEq; nihil, neq; omnia ſunt, quæ contra principum familiam dicũtur. multa iactat rude vulgus, plura regum miniſtri in ſua probra diſerti, Populi voces facile ſapiens contemnit; maledici ſunt enim ciues, & fortuna ſpectatior ciet inuidẽtiam, vt Pindarus canit. [a] In plebe plurimum obtrectationis eſt, etiam cum vera narrantur. Miſer illi animus eſt, cui vicina felicitas figit vulnus: quo cœco pectore latens viſcera depaſceret, niſi maligna voce proderetur. In aula, inquiunt, omnia ficta, turbulenta, in aula deliciæ, ambitio, inuidia, doli, fraudesq; ſtabulant.

Vulgi dicta ſpernenda

a 1. *Pyth.*

Per magna diſcrimina aſcenditur ad maiora, per iſta ad ſumma vt longius audiatur ſonitus ruinæ. Non eſt meum iſta negare, non eſt prudentis inficiari, quæ experientia probantur. plus famę credendũ eſt, quam ſingulis, ſunt vtique iſta in palatiis regum. Sunt vtique

Digitized by Google

[illegible] vbiq; vbi ſunt & homines. Sæpe etiam extra aulam deteriora, adeoque in vrbibus, vbi nulla eſt aula. Athenas, Corinthum, Epheſum, Sybarim, Capuam, Tarentum, Alexandriam, Cyrenas aſpice: noſtris vrbibus parco, ne vera dicenti diem dicant. Multæ ſunt vrbes & Reſpublicæ deprauatiores, quam aulæ principum maior ambitio, quamq; hæc ſemper parit, inuidia. At mihi omnium inſtar eſt Daniel, & collegæ Danielis, viri ſancti, nobiles, martyres, numinis ſanctiſſima prouidentia ac voluntate, non Barbarorum nutu Daniel in aulam teterrimam in aulam Babylonis adlectus eſt, DEVS cuius in manu cor regis erat, ad hoc eum impulit, vt benigne captiuos haberet. [a] *Et ait rex Aſphenez præpoſito Eunuchorum, vt introduceret de filiis Iſrael, & de ſemine regio & tyrannorum, pueros, in quibus nulla eſſet macula, decoros forma, & eruditos omni ſapientia, & doctos diſciplina, &, qui poſſent ſtare in palatio regis, vt doceret eos literas, & linguam Chaldæorum. Et conſtituit eis rex annonam per ſingulos dies de cibis ſuis, & de vino vnde bibebat ipſe, vt enutriti tribus annis, poſtea ſtarent in conſpectu regis. Et impoſuit eis præpoſitus eunuchorum, nomina; Danieli Balthaſſar; Ananiæ, Sidrach, Miſaëli, Miſach; & Azariæ Abdenago.*

Daniel à Deo vocatus ad aulam.

a c. 1. v. 3. 4. 5. 7.

Nomina mutata.

Noluit curam tacere regis Spiritus ſanctus, qui vt plane faceret Chaldæos, etiam nomina mutauit. Fecit id in Joſepho Pharao, Romani libertis nomina ſua imponebant. Duplicia fere Aſſyriis & Chaldæis nomina Julius Scaliger Baladan priuatum, Nabonaſſorem regium nomen affirmat. [b] Sic Pharao Joacimum nominat, qui ante Eliacimus vocabatur. Nabuchodonoſor Matthaniam vocat Sedeciam, poſtquam regem conſtituit. Manſit ea in Perſide conſuetudo, vt Cteſias teſtatur. [c] Ea lege Nehemias Atherſata, Zorobabel dicitur Saſſabaſar. [d] Cauſa regi erat, vt ſic plane in patrios regni mores abirent, ne peregrinitatis odio, quod nomen ipſum indicaret, premerentur: Dei autem voluntas, vt potentia inclyti, ferociam Barbarorum coërcerent, & populum ſanctum defenderent. Ananias Hebræ-

b *De emēd. temp. l. 6.*

c. *In Dario Codomāno.*

d *Eſd. 1. & 2.*

Digitized by Google

Hebræis dictus, quod à Deo donatus, item quod Jochanan, ſiue Joannes; à Chaldæo vocatur Sidrach, præda tenera, miſeratione credo ætatulæ, mox à cunabulis in ſeruitutem abactæ. Miſaël, à Deo ablatus, in Meſachum conuertitur, quod deducentem, aut ſepiẽtem aquas ſignificat. Azarias, auxilium Dei, vocatur, Abdenago, ſeruus claritatis, ſeu clariſſimus. atque hæc omnia Dei nutu acta, vt fide & pietate retenta Chaldæis ſimiles euaderent. Voluiſſe Deum vt ſtarent illi in conſpectu regis, & Daniel in foribus regis, ex eo cognoſcitur, quod ſapientiam, & dotes idoneas contulerit. [e] *Pueris autem his dedit DEVS ſcientiam & diſciplinam, in omni libro & Sapientia: Danieli autem intelligentiam omnium viſionum & ſomniorum.* *Daniel vocatus ad aulam.* e c.1.17.

Hoc ſi negaſſet, ab aula facile indoctos, & ſtupidos remouere fuiſſet. Daniel quoq; diuinæ voluntatis conſcius, Socios ad dignitates promouit. [f] *Daniel autem poſtulauit à rege; & conſtituit ſuper opera prouinciæ Babylonis, Sidrach, Miſach, & Abdenago: ipſe autem Daniel erat in foribus regis.* Ipſe quoq; regnante Balthaſare quamuis honorem non ambiuit: oblatũ tamẽ recepit. [g] *Tunc iubente rege indutus eſt Daniel purpura, & circumdata eſt torques aurea collo eius: & prædicatum eſt de eo quod haberet poteſtatem tertius in regno ſuo.* Sub Dario quoque & Cyro in magiſtratu vixit, nihil veritus improborum æmulationes. f c.2.49. g c.5.29.

§ 2.

Quæ contra aulicos antiqui ſcripſerunt ad regum impiorum atq; infidelium palatia pertinent, quorum tamen inſolentiam ſæpe ciuium nequitia adæquauit. Daniel exemplum nobis exhibet. Senum ac iudicum captiuorum in conſeruas libido exarſit, amore deinde fruſtrato, in odium ac ſæuitiem conuerſi Suſannam cõdemnant, calculum populus præcipitat, innocentem tuetur Ephebus ex aula. [h] *cumq; duceretur ad mortem, ſuſcitauit Dominus Spiritum S. pueri iunioris, cuius nomẽ Daniel: Et exclamauit voce magna: Mundus ego ſum à ſanguine* *Iſrael peior aula.* h Dan.13.45.& 46.

huius. Pares hic non Babylon, & aula, ſed Iſrael & aula imo hæc melior, populi ſeruientis correctrix. Si crimina accuſamus, vbiq; abundant, & ſanguinem tangit ſanguis. Non ideo noſtra religio culpatur, quod eam fures, adulteri, latrones profitentur; quorundam ſcelera non contaminant famam omnium. In aula vt in templo imo in adytis ac ſacrariis boni ac mali miſcentur, antiquitus virtutes & vitia iuxta aluntur. Omnia mala fugienti, homines etiam ipſi fugiendi ſunt, loca ſola petenda, & forte tibi ipſi à te ipſo exeundum. Non maiora ſemper crimina palatiorum ſunt, ſed videntur quia conſpectiora.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto maior, qui peccat, habetur.

Magnatũ vitia in conſpectu ſunt.

Regiæ ſplendor, perſonæ magnitudo latere peccantem vetat. in partem populus venit, qui libẽter magnatum vitia traducit. Illuſtris fortunæ materies obtrectationibus eſt. præpoſterum malitiæ ingenium eſt; contra illos loqui amat, à quibus timet. maledicẽdi incitamẽtum eſt periculum ſermonis. Interim fora, compita, vici, theatra, cauponæ, fornices, priuatorum ædes malis inundãt; ſed peſſimus quisq; ſua vilitate ſecurus viuit, infamia circum alta capita volitat. Multa in porticu millia deambulant, ſoli magnates in ſe oculos, atq; ora ciuium conuertunt, veſtitu, equis, ſatellitio, aliave re conſpicui. Ornatus eorum, vultus, inceſſus, comites, vitia quoq; & virtutes in fama ſunt, florent arentque pro vulgi fauore aut malignitate.

§ 3.

Aula honeſta.

In aula, inquiunt, bonis legibus praua exempla pręualent. Vtinam negare fas eſſet. Verum illa non cogunt nolentes, & crebro emendantur à principibus, etiam non optimis. Julius ſenatum indignis impleuit, Auguſtus purgauit, Tiberius reiculos quoque venire vetuit; Seuerus nomina eorum edebat, quibus erat magiſtratum mandaturus, vt ſi quid obiici poſſet, mature accuſatio inſtitueretur; ſi accuſator non probaret, erat

pœna

pœna talionis. Alexander Seuerus aulam ſuam magna ſeueritate correxit, turpes, atq; infames eiecit. Vlpianũ iuriſconſultum purpura protexit, quod innocentem iudicaret. Grauior Armuzienſium regũ coërcitio, Luſitanæ claſſis præfectus quindecim inuenit reges, qui malè geſta republica oculis priuati à regiis procuratoribus alebantur. [*i*] Nec tamen ſola aula, ſed mundus totus prauarum legum, & morum tenax eſt. In Epiſcopiis, in Canonicorum collegiis, in monaſteriis religioſorum, quoties Chriſtianæ pietatis non res modo, ſed etiam ſpecies amiſſa eſt? Sane lego in ſacris geſtis, & S. Benedicto, & S. Godefrido venenum à ſacratis hominibus, quorum mores ad normam Diuinæ legis exigebant, oblatum, S. Godefridus Præſul Ambianenſis bis Romam proficiſci coactus eſt, vt monachos S. Walerici compeſceret, qui vitiis ſuis canonum prætextu & Romanæ ſedis auxilio, patrocinia quærebant. Wilhelmus quoq; vir nobilis & ſanctus, nec canonicos ad Genoueſæ, nec monachos in Dania ad frugem reducere potuit, vtrosq; hoſtes grauiſſimos expertus. [*k*] Romualdum ſummi generis, prudentiæ, Sanctitatis religioſi quos ad vitæ integritatem, perfectionemque religioſam hortaretur, occidere conati ſunt. [*l*] Ille idem à ſuis fratribus ex monaſterio, quod ſuo ſumptu ſtruxerat, ac fundarat fuſtibus, ſudibusq; expulſus eſt. Oſwaldus epiſcopus Wigornienſis cum commiſſum clerum, nec corrigere, nec deponere poſſet, ſponte ceſſit, adultis vitiis impar. Atque vtinam non plura eiuſmodi exempla ſæculorum fæces proferrent. [*m*]

i *Oſorius de geſtis Emman.*

In Eccleſia deprauatio.

k *Cranzius Surius.*

l *Dam in eius vita.*

m *Hiſt. Anglic.*

¶ 4.

Plurimum itaque aberrant, qui nemini ſine culpa poſſe ſuaderi vitam aulicam arbitrantur, & ipſi omnibus conſulentibus diſſuadent. Ariſtidem aiunt Dionyſio filiam petenti reſpondiſſe: malle illam ad libitinam, quam ad arcem tyranni ire. [*n*] at ille tyrannus erat, qui regnum iniuria partum, iniuſtiſſimè adminiſtrabat. Neroni Cæſari multi Chriſtiani in aula ſeruierunt,

Sancti in aula impiorũ.

n *Plutarch. in Ariſtide.*

runt, nemo illi vim intentauit, quanquam multi gentilium in eum conſpirarint, inter quos Sulpitius Aſper interrogatus cur conſpiraſſet, aſpertimè reſpondit, aliam ſcelerum eius finiendorum ſe rationem non vidiſſe. [*o*] At potius audiēdus Daniel, qui regibus impiis nō negauit obſequiū, nullius criminis ſuaſor, aut adminiſter. Etiam Cyro, quem Suſis nondum regem nouerat, operam præſtitit. Beluina tamen erat in Cyro crudelitas, qualem ſupra in Perſico verſu deſcripſi: adeo, vt ex vrbibus Joniæ ſæuitiem eius veriti, multi è portu in altum nauigarent, atque in mare conſenſu ſe præcipites darent, horridum elementum animo tyranni mitius arbitrati. Quæ erat illa ſeruitus, quæ ſupplicia, quæ vrbes integræ ita formidabant, vt fluctibus mergi mallent, & cibi eſſe monſtris marinis? Nec tamen cum iſta partim futura ſciret, partim præſentia videret Daniel, negociis ſe abdicauit, ſed monuit, aſpera mitigauit, & Politicen ſuam ex lege Dei, quæ eſt ars artium, exercuit.

o Ta.

Daniel aulam Cyri non fugit.

¶ 5.

Prudentes anxiè & lentè conſilia tribus de rebus dare conſueuerunt: de bello, nuptiis, aula: in his enim offenditur. In bello pœnitentiam Mars ſolet anteuertere, & querelas vno ictu præcidere. In coniugio ſunt nimium crebræ. In aula ſibi ipſis contrariæ, vitam ſuam miſerantur & amant, cum libitum eſt queruntur, bene & male contenti viuunt, auctori ſuo ita gratias agunt, vt exprobrent. Non minus tamen quam alia, ita & regum obſequia ſuaderi viris fortibus poſſunt. Ad illa namque Reipublicæ munia ſapientes, atque viri integris moribus Dei vocatu ducuntur. Regnum à Deo eſt, *cuicunq; enim vult, dat illud*, vt Nabuchodonoſor confitetur. [*p*] Regibus addidit potentiam & maieſtatem Rex regum: Vtrumq;, vt tuendo ſubiectos, debellando ſuperbos, in dignitate mortali immenſam maieſtatem repræſentent, mundo tranquillitatem præſtent. At regum potentia ſine conſilio ſapien-

p c.4.22.

Deus regi aulam dedit, aulicos vocat.

Digitized by Google

ſapientium, ſine auxilio fortium nulla eſt. Rex ſine fidelitate miniſtrorum infra mendicum eſt. Multa videre oculis, plura animo complecti debet, omnia non poteſt ſolus, proinde multis illi manibus, oculiſque opus eſt, præcipuè multorum mentibus, induſtriaque, ſine quorum fida ſolertia manuum atq; oculorum auxilia ſunt inualida. Cum igitur illum regendi ac parendi ordinem DEVS ipſe conſtituerit, etiam præſidia atq; adiuméta dedit, quibus imperia retineri, mundus gubernari poſſit, præſtantes viros excitauit, qui in parte gubernarent, & regnantibus adeſſent. Sua cuique animanti arma, ſuas homini artes tribuit, ducibus milites, naucleris remiges, architectis fabros: An reges quorum eſt ſuprema in terris dignitas & maieſtas, deſeruit? An in illorum obſequio culpa cogitari poteſt? ſi reges à DEO, igitur & illi, ſine quibus regnare nequeunt. Regna dat, & regnorum columina, in regno viros ſapientes, fortes, alios ad regnum, alios ad regum obſequia vocat. Joſephum Pharaoni, Regibus Iſraëlitis Prophetas, leg ſperitos. Nabuchodonoſori, Euilmerodacho, Baltaſari, Dario, Cyro Danielem, Nehemiam Artaxerxi, Mardochæum Aſſuero, adeoque Heſtherem coniugem non ad inſanas Barbari libidines, ſed exulantis populi ſalutem. Exortes criminum agebant legitimi duntaxat imperij, & legum adminiſtri. Qualis erat Abdias in aula Achab, ſummus in familiaritate regis, qui venditus erat vt faceret malum, in aula Jezabelis, Sidoniæ Medeæ, veneficæ, & ebriæ de ſanguine Prophetarum, nihil tamen ſancto viro obfuit Dominorum impia crudelitas, ſed virtutem exercuit, & perfecit. *Nunquid*, inquit, [*q*] *nõ indicatum eſt tibi Domino meo, quid fecerim cum interficeret Iezabel Prophetas Domini, quod abſconderim de Prophetis Domini centum viros, quinquagenos & quinquagenos, in ſpeluncis, & pauerim eos pane & aqua?* q 3. reg. c. 18.

§ 6.

Naturam atque exemplum mirifici lapidis nobis

Phyſici

Digitized by Google

Fortes aula non corrumpit. Phyſici proponunt. [r] in quem acus adacta, acpoſtea infixa corpori, non ſentiatur. Acus illa acuta, cuſpide de radice Chalybis indurata omnia tela dæmonis ignea, penetrantia, ſpes, timores, exempla, iuſſa impia ſignificat, quæ in aula impia, ſine noxa, ſine doloris ſenſu excipiunt fideles, vt non ſit illis ad mortem aculeus, ſed medicũ ferrum in vitam. Itaque & Christiani ſanctiſſimi in aula belluæ portentoſæ, hoc eſt Neronis, fuerunt. Teſtis Paulus. [s] *ſalutant,* inquit, *vos ſancti, maxime autem, qui de Cæſaris domo ſunt.* Non modo in Cęſaris domo ſancti, ſed externorum præ cæteris amantes, ſed comitate & affabili charitate præſtantes, maxime eos ſalutaſſe Philippenſes S. Spiritus nos ſcire voluit, vt certo conſtaret, eos cæteris Romanis ſancta vrbanitate & humilitate prælatos. Sanctis igitur in aula monſtri illius de luto & ſanguine concreti locus erat, tenuerũt illi fidem & conſtantiam, obitaq; per cruciatus morte coronati ſunt & familiares quidem Neronis. [t] Inter illos Torpes, Euellius, aliiq; quorum certamina legimus. [u] Nec deinceps ſine Sanctis aula Veſpaſiani & Titi; Domitianus quoſdam ſenatores familiariſſimos habuit. Tam carus illi fuit Flauianus Clemens conſularis, vt filium eius ſucceſſorem deſignaret Imperij, ſed odio Religionis, cognito Christianos eſſe, & ipſum & totam domum oppreſſit, fecitque vt felicius in cœlo, quam Romæ regnarent. [x]

r Cardanus de ſubtilitate Scaliger Exer. 131.

ſ Phil. 4. c. 22.

Aulici Neronis cæteris Chriſtianis prælati.

t Bar. anno 9. & ſeq.

u Martyrol. Rom. 2. & 27. Maij. Ado Beda.

x Baron. vltimo anno Domit.

Perſeuerarunt alij in acerba perſequutionũ procella in aula Traiani, Adriani, Antoninorum, nec Diocletiano quidem defuerunt. [y] Serena Imperatoris coniunx, Heſthera Romani generis, pietate ſua mariti impietatem, & conſtantia ſæuitiam, tolerata pro Chriſti fide morte triumphauit. hoc ipſo felicior Hebræa Heroide, quod ſceptrum dominantis non ſignum clemẽtiæ, ſed crudelitatis experta eſt. Nobiliſſimi viri Petrus, Dorotheus & Collegæ cubiculo præfecti in ipſo fano impietatis, & ardore perſecutionis inter miniſteria intima Cæſaris, Chriſtum colebant, & prædicabant, fideles

y Ado Vſuard Surius.

Chriſtiani in aula Diocletiani.

Digitized by Google

deles impio domino, & cum ille ſcelera imperaret, cõtempto iuſſu, ad mortem fideliores Chriſto perſeuerarunt, vt Euſebius, aliiq; teſtantur. [z] Nec minus Flauianus, [a] qui in Cæſaris flagrãtiſſima gratia, ſummos honores, & Romanæ Vrbis præfecturã geſſit, Diocletiano ab intimis conſiliis; hunc, aliosq; plurimos habuit aula illa in Chriſtiano ſanguine natans, nec tamen exeundum ſibi aula putarunt, ſed in aula pro Chriſto moriendum. Aulici profectò Martyres erant genere & virtute clari Sergius & Bacchus, quos de Chriſtianiſmo cum accuſaſſent æmuli, inuidia magis ob gratiã Cæſaris, quam Religionis odio, iuſſi ſunt immolare idolis; illi ne templum quidem adire dignati, Imperatori generoſa libertate reſponderunt: *Nos, Imperator, ſola terrena militia tibi obſtricti ſumus, in animas nullum tibi ius eſt, illarum dominus eſt ſolus* DEVS. Fortibus verbis facta fortiora fuêre: Poſtquam muliebribus veſtibus per Vrbem atq; ora hominum circumducti (hoc contumeliarum genere infamare viros fortiſſimos voluit tyrannus) & tormentorum omnium victores, mortem conſtãtiſſimè tulerunt, magnoq; triumpho comitantibus Angelis in cœleſte palatium deducti ſunt. [b] Dalmatius toga, ſagoque nobilis, ſenator, aulæ decus, Adautus per omnes aulæ dignitates ad ſummam euectus, in ſtatione ſua perſeuerarunt, aulam non deſeruerunt, donec ex ea in æternam aulam Martyres abierunt. [c] Apollonius quoque cum Chriſtianorum ſanguis funderetur, nec curiam, nec regiam vitauit, ſed crudeles ſententias arguit, & pro religione nobile volumen cõpoſuit, cui auctoritatem auctoris nobilitas, conſtantia, virtus fecit. Pietas Chriſtiana barbarorum quoque palatio impleuit, Dada Saporis Perſæ conſanguineus, Coſroa vxor, Gabdela filius, fidem in conſpectu regis impij propugnarunt, donec in carcerem & vincula conjecti, dein obtruncati ſunt. [d] Sancius adoleſcens regij ſtemmatis in aula Saracenica educatus, Religionem innocentiamque coluit, donec diadę-

z *Euſebius l. 8. hiſtor.*

a *Martyrol. 8. Ianuarii.*

b *Euſeb. Ado. Surius.*

c *Euſeb. l. 8 c. 19. Niceph. l. 7. c. 10.*

d *Niceph. Beda.*

diadema regni cœleſtis, pro fide mortuus accepit. [*e*] Saraceno Principi Damaſcenus, Genſerico Wandalo Armogaſtes martyr ſeruiuit. Nunquam viri ſancti ſine fructu in medio etiam ſcelerum regno manent, quædam iuſta ac recta efficiunt, grandia mala impediunt: multos ad virtutem conuertunt, quod omnes quos modo memoraui fecerunt. Pontius ſanè Philippum Imperatorem à dæmonum cultu ad Chriſti Eccleſiam fidemq; deduxit. Cui præmium, quo dari maius non potuit, Valerianus perſecutor rependit, pro Chriſto tormenta, mortemq;. [*f*] De S. Lamberto Traiectenſi, Brunone, & Annone Colonienſibus Præſulibus, de Arnolpho Metenſi, qui regi Dagoberto magiſter aulæ fuit, de Leodegario, aliisq; ſuo dicam loco.

c *Eulog. l.1.*

f *Martyrol. Tom. Euſeb. Beda. Ado.*

¶ 7.

In aulis Chriſtianorum præſtantes viri.

*S*i igitur ſanctiſſimos viros Monarchis impiis, & abominandis tyrannis, æternus mundi rector adiunxit, dubitare fas non eſt, ad regum Chriſtianorum conſilia gubernanda, labores ſubleuandos, ad populorum credentium pacem, ad commoda publica, iudicio ac voluntate Diuina vocari viros præſtanti virtute ac ſapientia, qui ſummo principi aſſiſtant, tutela imperij ſint, patriæ columina, pietatis & Religionis aduocati, per quos à ſummo faſtigio ſalus in ſubiectos deſcendat: quos operi ſuo inſtare, non domi deſides reſidere oportet. Daniel ſanè ſocios ſuos in labores ac pericula eduxit, non ſua vtiq;, ſed DEI voluntate. Hominum ſunt illa, quæ in aulis vigent, non locorum & culminum delicta. Vitanda inprimis magnatibus, quos regnandi duces, & ſocios dari videmus regibus, quos

——ſupremo culmine rerum
Maieſtas æterna locat.——

Nolo aulam immunem à vitiis prædicare, ſed illa dedocere; vtinam proceres ſtudioſè, aut ignota non diſcant, aut nota dediſcant. Fateor in aula circumueniri etiam ſapientiſſimi principis vigilantiam, lenta illic bene-

beneficia, præcipites iniurias, plura dari immeritis, improborum in altum aſcenſus, ſubitas ruinas. Fuerunt hiſce annis exempla, & vt ſe mores dant, breui erunt. Sed nolo viuentium vigentia narrare ſcelera, quæ totus mundus & nouit, & odit. Vetera audire placet. Petrus Vinea Frederici ſecundi rector, & pene Dominus, abuſu honoris & potentiæ, quæ ſolo Imperatoris arbitrio nitebatur, tandem accuſatione detectis criminibus conuictus, damnatus, excæcatus eſt, & violentas manus ſibi intulit. homo enim arrogans & barbarus ſpecie iniuriæ perculſus in furorem agebatur, ſæculi ſui nobilis hiſtoria, poſteris exemplum, ne vnus plus poſſe velit, quam omnes. Non igitur aula, præſertim Chriſtiana, quemquam arcebo, ſed omnes hortabor, vt ea cautione reges, & regna colant, quo ſemper ob oculos animoſque regnum Chriſti verſetur, quod eſt ſanctorum: omnia enim alia regna exurentur; Meminerintque florem humani generis in aula eſſe, ſed florem eſſe caducum, florem ſanctitatis in pauperum tabernis, florem odoratum, cœleſtibus aris adolendum. Sed tamen ſunt & aulæ flores illibati, & inter ſpinas aſperiores ſuauiore habitu fragrantes. quorum in odorem currere debet, quisquis ad aream Domini feſtinat.

Mali in aula.

Petrus Vinea.

Cap. X.

Quatuor in aula difficilia omnibus, pariterq; in Senatu.

§ I.

NOn commendo vitam aulicam, vt propere & abſque matura deliberatione ambiatur. Multa ſunt, quæ magnetis inſtar ad illam trahunt, ſed eadem ipſa aliâ ſui parte abigunt: rara eſt, atque ardua vitæ ratio, rariſſima eſt ætatis ſine culpa tranſigendæ perfectio,

Digitized by Google

eoq; difficilior paratu, quo pluribus officiorum partibus illa conſtat, ac muneribus abſoluitur. Qui ſoli Deo viuit, qui in ſolitudinem conceſſit, vnum quærit, in cõtrarias curas nec animum ipſe diuidit, nec à negotiis diſtrahitur: vnum illi negocium eſt placere creatori, probare ſe ſuo remuneratori, ſentẽtia ſui iudicis abſolui, iudicio agonothetæ coronari. At Palatini, qui medio in ſtrepitu iactantur, negocia ſibi adſciſcunt, atque obruuntur: fines plures obtinere, & nectere laborant: quamobrem plurimis quoq; malis onerantur. Argutè porro Indus Philoſophus Alexandro in nobilium corona reſpõdit, quærenti: Vita, an mors robuſtior videretur? vitam reſpondet, quæ tot mala, tot labores ferre poſſet: regi ſtolido ærumnas & vulnera non obſcure exprobrans. Hoc in circo tota aula deſudat, vt Deo, regi, collegis, populo placeant. vni omnia iſta propoſita, quæ ſingula prudentiam virtutemq; eximiam poſtulant. Omnium concurſus vitam anxiam, trepidam, inquietam, laborioſamq; efficit, irritosq; perſæpe conatus. Nabuchodonoſori placuit Daniel, & ſocij, proceres Chaldæos ſenſerũt inimicos. [a] Nemo ſatisfacere poteſt omnibus, ſicut pedes ſtatuæ partim lutei partim ferrei erant. [b] *Ex parte regnum erit ſolidum & ex parte contritum.*

Difficilis aula.

Vita fortior morte.

a Dan. 3.

b Dan. 2. 42.

Sic in palatio nemo omnibus amicus, nemo tam diuerſis coaleſcere poteſt, metalla calore ſoluuntur, lutum dureſcit, contraria proſunt, atq; obſunt. Dario Daniel placuit, Medos & Perſas habuit inimiciſſimos. [c] Dario, placuit, à Babylonis coniicitur in lacũ Leonum. Procerum liuore, populi tumultibus petitur. Ita curſus eſt dignitatum: vbiq; offenditur, vbiq; obices. Dauid principes Iſraëlis & populum, ipſum adeo filium regis habuit amicum, Saulis iram ſenſit implacabilem.

c. Dan. 6.

§ 2.

Omnibus placere arduum.

Voluntates horum omnium ita aliquando inter ſe diſſident, vt quamuis omni opera annitaris, non tamen

Digitized by Google

men. expedire te queas, quo minus in alicuius offenſionem incurras, Deo quidem viuere omnes debent, non omnes faciunt. Placere principi omnes ſtudent non omnes poſſunt, Deo placere omnes poſſunt, non omnes ſtudent. Sola innocentia Deo placet, quisquis placet, & cum illa deſiit, pœnitentia. Principi bono ſemper grata eſt integritas, malo vt plurimum: non quia virtutem ſectetur, ſed quia commodam rationibus ſuis arbitratur, damnaturus vbi detrimento fore putabit, nec regi tamen bono innocentia ſatis eſt: vigilantiam, induſtriam, obſequia, honorem, affectum deſiderat. Ea cauſa ad fauorem conciliandum plus valent ſæpe malorum ficta obſequia, quam fida miniſteria innocentium. Diuerſi ſunt regnantium affectus, alius quadam libertate ſeruientium gaudet, vt Auguſtus [*d*] iocandi licentiam exigens, atq; imperans. Alius venerationem ſui ſilentio miniſtrorum augeri exiſtimat: vt Ageſilaus. [*e*] Alius quæ vbique aguntur inquirit, gratos habet curioſos, vt Gallus Juliani frater. [*f*] Non deſunt, qui ſibi noua referri indignanter ferunt, qu ſi exprobraretur, quod neſciſſent. Locrorũ magiſtratus, ſi quis peregre rediens, quæſiſſet: Quid noui? multam dicebant. Suſpectum enim de ſeditione, & nouitatis ſtudio habebant. [*g*] Deo tamen placere, & principi, qui & ipſe ſit ſeruus Dei, non admodum eſt operoſum. Non imperabit ille quod Deus vetat, non puniet virtutem, iuſtitiæ viam ſuo monſtrabit exemplo.

Deo placet innocentia.

Diuerſi principum affectus.

d *Suet. in Aug.*

e *Plut. in Ageſ.*

f *Marcellin.*

g *Plutarch.*

¶ 3.

Simul autem cum principe proceres habere amicos non multis, nec diu conceſſum. Multi ſibi reges, pauci collegas demereri, nemo oẽs potuit. Adeo res lubrica eſt, vt hoc ipsũ regi placere, amicis regis reddat inuisũ. Nõ n. in palatio amicorũ amici ſunt cões, liuor ſemper reperit odiorum cauſas, odium ſui fœcundum, ex quauis cauſa ſæuit. propter diſſentiẽtiũ varietatem in aula

Socios demereri difficile eſt.

Digitized by Google

maximè verum eſt, nulli eſſe amicum, qui omnibus ſit amicus. Vigent æmulationes, malæq; tectæ ſimultates faciuntq; vt creſcẽtium commoda ſuam calamitatem exiſtiment. Cum in altum quiſpiam euehitur luminibus infra ſtantium obſtruit, & moleſtus eſt. Placere regi laborant, fauorem ambiunt, atq; id ea riualitate, ſtudioq;, quo ſe oſtendunt principem nòn amare. Proci, quorum eſt impetuoſa, ardens, & per gladios itura riualitas, non ſponſam ipſam amant ſed ſuas quisq; quas ex illa ſperat, voluptates. Nunquam Paris amauit Helenam, non Hercules Omphalen, non Abſolon ſororem. Non enim illis, ſed ſibi ex illis bene eſſe voluerunt illas ipſas oderunt, quia ſui cauſa in multas calamitates miſeras coniecerunt, atq; infamarunt. Si Helenam amaſſet Paris, domo regia, à marito illius amantiſſimo, ex Græcia in barbaram terram non abduxiſſet, non omnium execrationibus obieciſſet, & quod caput eſt, non feciſſet adulteram. Amoris falſi improbitas ex cõparatione veri intelligitur. Parentes filiam natura & inſtituto vehementer diligunt, nuptias feliciſſimas, virum honoratum, excellentem, beneuolum exoptant, deteriori nubere vetant, vbi melioris eſt copia. Filiæ nimirum optimè eſſe volunt, illam agere ætatem in matrimonio felicem. At procerum alia mens eſt, ſibi eam poſtulant, quamuis alij locatam credant fore feliciorem, ſecum per labores & inopiam viuere, quam in re lauta cum riuali. Hæc fabula in aula continuo agitur, rarus eſt principis amator, gratiam ambiunt, ſe primos omnium, alios excluſos eſſe cupiunt, etiam meliores, prudentiores. Multis commodis principem fraudulenter priuant, cum amouent, quos ſe præſtantiores cognoſcunt. Oderunt reges, quos ope magnorũ virorum deſtituunt. Quis enim in aula etiam dignioribus cedere paratus eſt? Si vere principem colis, ſi non ad oculum ſeruis, de gratia & fauore ſecunda cura ſit, aut nulla, prima de vtilitatibus Domini tui. Athenienſes, cum in acie Arcades honoratiorem locum obtinuiſ-

Amor fictus.

Parentum amor.

Riualitas aulæ.

nuiſſent, Lacedæmonum iniqua diſpoſitione, de loco periculoſam contentionem omiſerunt, ſe vbiq; fortes viros fore proteſtati. [h]

h *Xenophon. Plutarch.*

§ 4.

Populo placere & facilius eſt, & magis neceſſarium. Principum enim familiares quos vulgus exoſos habet, ipſis quoq; odium & periculum creant. Et cum auctor eſt, leui momento deficiunt, cauſati per improbos regem, à iuſto, & legibus abduci. Eaque ex cauſa olim plurimas legimus, & noſtro æuo videmus ſeditiones, rebellionesque. Populo placere facilius dixi, graui ſcilicet bono, & mediocriter malo; quia belua eſt multorum capitum, quæ vna caſſide integi non poſſunt. prudenterque diſputat Nazianzenus; curare beluam quæ ex multis, diuerſisque conſtet naturis, quæ diſpare cibo ſit alenda, eſſe difficilimum. Talis eſt belua populus corruptus, & bonus, in quo multitudo maleuolorum magna eſt, qui malos mali oderunt, bonis inuident. Ex tot millibus plurimi in eo ſolo conueniunt, vt ſibi bene eſſe velint. Peſſimorum exemplum fuerunt Epheſij, ciuitas illa Hermodorum in exilium egit, quod nullum ſecum bonum pati vellet. Siue ille ſimulatè, ſiue verè vir bonus fuit, illi certe tanquam bonum mali expulerunt; quo facinore omnes necem meruiſſe Heraclitus cenſuit. Eiusmodi in Ariſtide, Phocyone, Socrate Athenienſes fuere: vt Laërtius, Plutarchus, aliique referunt. Inter Chriſtianos tam improbus vniuerſim populus nusquam eſt, quocirca facile illius fauorem obtinet, cui fama eſt integra: etſi enim plebis ſit temerarium iudicium, non tamen odiſſe ſolet, niſi quos improbos ſuſpicatur. itaq; populi odium ſemper antecedit infamia, quam facile tuentur boni viri. verum proceres & æmuli etiam ex ſecunda fama dolorem, ac proinde odium concipiunt. Famam igitur ſollicita cura tuebitur palatinus, Ne regibus exprobretur, quod Auguſto eques falſo accuſatus obie-

Populus belua.

Epheſii Hermodorum expulerunt.

Fama fauorem efficit.

Digitized by Google

ctabat: *In poſterum cum de honeſtis inquiris, honeſtis mandato.*[i] Porro plurimum aberrant, qui popularitate quadam, & lenitate conciliare plebis animos conantur. Non amantur illi, ſed delectant, viles habentur, & hiſtrionibus ſimiles. Amabili grauitate, & virtute placeat aulicus. Non quæruntur in leone blanditiæ, ſed regia grauitas, in vultu, verbis, factis, qualem in Baſilio Nazianzenus laudat.[k]

i *Dion. in*

Popularitas.

k *Orat. de Baſilio.*

¶ 5.

Qui Dei, regis, principum, populi amorem conſtanter tenuerit, vnum Joſephum lego: fecit hoc beneficij magnitudo, potius tamen Dei prouidentia, qui ſanctum virum poſt fraternam inuidiam, plagiumq;, poſt dominæ ardentis, & ſæuientis inſidias, poſt carceris ærumnas, ſolatio ſolido, non interrupta lætitia frui voluit; Chriſti enim reſurgentis & regnantis typum geſſit dum vixit, & dominatus eſt in vniuerſa terra Ægypti. Non contingit hoc aliis, nec neceſſe eſt. Nimis verum eſt: placere multis, eſt diſplicere bonis. Non eſt hoc admodum laudabile, ſed *placere*, vt Paulus monet, *in bonum.* Quod ſi omnium te odia premant, ſufficit illius amor & fauor, qui Paulo dixit: *ſufficit tibi gratia mea.* In ſolo Deo ſatis præſidij eſt ad aliorum alienationem vel compeſcendam, vel mutandam, vel certè tolerandam. Qui ſanctis ſuis leones, tigres, vrſos, vt S. Humberto, ſeruire iuſſit, [l] etiam animos hominum ad manſuetudinem inclinabit. Moriturorum plauſus ſine Deo flunus eſt, & quaſi funebris conclamatio, frequenter exitio. Populum veneraris? ſibi multum permittit, plus ab aliis exigit. Populo fidis? mobilis eſt ille, tu in fluxu & vento ædificas: fluctu turbidior eſt populus. [m] Summum in illo malum, quod cum non intelligat, tamen indicat, [n] torrentis ruit impetu & ſtrepitu, non audit, non ſiſtitur. Quilibet improbus illi pro vento eſt, qui mare ciet ſua ſponte quietum, vt Polybius, Statius, [o] Herodianus. [p] Hanc varietatem expertus eſt Dunſtanus, vir Eccle-

Ioſeph conſtanti fauore vſus.

Dei fauor.

l *Surius.*

m *Seneca in Hercule.*

n *Herod. in Clio.*

o *l. 1. Syluarum.*

p *Epiſt. 77.*

Danieli, quam noſtris aulicis ſimilior: [q] In aula, in Eccleſia, Palatinus & Archiepiſcopus ſemper Deo, plerumq; populo, rarius verò regibus & proceribus ſatisfecit; Coluit reges, & fido ſeruitio ſeruauit bonos & malos, Ethelſtanum, Edmundum, Edredum, Eduinū, Edgarum, Eduardum, Edelredum, mentis ſemper inuictæ aduerſum ſpes & metus; Publico bono absq; ſui periculi reſpectu ſapienter ac fortiter conſulebat. Non putabat ſe mala pati, cum recte ageret, virtutis in hoc æuo præmium vnicum; & bono viro expetendū iudicabat calamitates & dolores: quòd de fructu beatæ æternitatis nihil decerperent, gloriæ meſſem augerent. ſolitus dicere, cum veritate offenſos dominos videbat: reges occidere poſſe, nocere ſibi nō poſſe, quod ex ſanctiſſimo Philoſopho ac martyre Juſtino [r] acceptū animo condiderat. Conſenuit ille in ſeruitio ſancto regum, retentâ & innocētiâ, & auctoritate. Nec tam hoc agebat, vt ipſe regibus, quam vt Deo placerent reges. Quod præclaro atq; omnibus ſæculis memorando facinore demonſtrat. Eduinus diademate inſignitus de more dabat proceribus conuiuium, quod magnificentia regia, & lætitia publica dignum erat: at ille amoribus perditus, detritâ fronte, contemptis magnatibus, vt erat coronatus, ad pellices, vt illis ſe iactaret, commeſſatum abit, vbi depoſitâ coronâ vnguentis delibutus agitabat; proceres initio cum neſcirent quamobrem conuiuio rex exceſſiſſet, nihil ſiniſtri ſuſpicari, cognito regem cum ſcortis eſſe, diemq; inaugurationis, regni maieſtatem, principum dignitatem tam fœdè polluere irati ſunt: neq; à talibus initiis exordia imperij inchoantem porrò melius ſperabant acturum. creſcebat conuiuantium liberrima indignatio, ſeque mutuò tum ira, tum vino accēdebant. Nemini tamen tantum animi fuit, monere regem vt auderet; cōmunem querelam nullus ſui vult eſſe periculi, vbi iuis potiùs, quam vbi proderant, verba iactabant. Neminem regis ignari diſcrimen mouebat, res enim prope tumultum erat.

q *Hiſtor. Anglic. Surius.*

S. Dunſtanus aulicus ſimillimus Danieli.

r *Apol. ad Anton.*

Dunſtani nobile factum.

Tum vero Dunſtanus ne eadem dies regi initium, & finis regni fieret, ne conuiuium ſanguine deflueret, ad regem male ſobrium ingreditur, ſerio ſapienterque reprehendit, cunctanti diadema imponit, è gynecæo manu prehenſum extrahit, proceribus reſtituit, pacem conciliat. pellices muliebri ira furentes mortem ſeruatori ſuo machinantur; rex exilio contentus fuit, quod ſumma cum laude ſuſcepit Dunſtanus; regem mox ignaue, libidinosè, iniuſtè regnantem procerum coniuratio regno expulit: Dunſtano reddita dignitas eſt, ipſi laborioſa, reipublicæ ſalutaris.

Cap. XI.

Rempublicam & Aulam adeunti prima cura ſit placere Deo.

¶ I.

PLeriq; ad primos regum congreſſus pauent, oratione exquiſita, voce, geſtuque quo maximè dominos demereantur, anxij vtuntur. Prudenter Telemachum Poëta dubitantem inducit, quomodo Neſtorem alloqui, quo honore colere oporteret. Magnam vim habet primus aſpectus. A Deo quoque ſpectantur initia, in quem illa finem tendant: finis enim vnicuique
Cura aulam adeunti. propoſitus facta antecedit, efficitq; malorum bonorumq; diſcrimen. Hic cunctis Daniel exemplo præit, & monſtrat Deo placendi modum. [a] *Propoſuit autem*
a *c.1.8.* *Daniel in corde ſuo, ne pollueretur de menſa regis, neq; de vino potus eius: & rogauit eunuchorum præpoſitum ne contaminaretur.* Regem quoque præferocem, vt Deo placere conetur, eius potentiam explicando, inducere laborat. [b] Idem animus ſociorum illius, agere ne contami-
b *c.2.28.* narentur. Quod propoſitum adeo fixum animo habuerunt, vt nec ira tyranni, nec fornax ſeptena incendia voluens deterruerit, [c] *non oportet nos de hac re*
c *c 3.16.* *reſpondere tibi.* Quam verò impuritatem Daniel ſociique

que fugerunt? cibos menſæ regiæ, non quod dicerent, ſe illos ſpernere, legumine & aqua delectari; quam diſſimilationem corruptor ſcripturæ Joſephus falſo ſanctis attribuit, ſed verâ patriæ religionis profeſſione, quam cum nominũ mutatione & exilio nequaquam deſerere obfirmarunt. Periculum porro erat etiam in ſociorum conuictu, colloquioque, & dæmonum cultu, quem ſeparata menſa pueri deuitabant. In regiam menſam inferebantur variæ carnium deliciæ, condimentaq; vetita Judæis: Etiam idolothyta, Belo litabant, diuisque aureis, & argenteis. Ipſas etiam delicias horrebant, adoleſcentiæ inimicas, ſapientiæ aduerſas. Vino igitur abſtinebant, quod Babyloniis duplex de vite & palma, vt docet Herodotus.[d]

Menſam regiam fugiunt.

d *l.1.*

§ 2.

Fatalis eſt virorum nobilium error, ipſo in limine impingens, & ſcopulus multorum naufragio infamis, doloſæque *mediis in fluctibus aræ*, ad quas aulicæ ſapientiæ illiſa ratis frangitur, & quæſitas operoſo ſeruitio opes, ſpesq; immodicas in ventum, & vortices effundit. Gratiam Dei ſpernunt, tempori cedunt, regum procerumq; fauorem per fas & nefas aucupantur, numinis cultum amoremque ad tempus ſeponunt, virtutem poſt nummos, ſi fortuna volet, recepturi. Mundo obſecundant, & dæmoni, donec à Deo deſerantur, à mundo opprimantur, à diabolo in captiuitatem abripiantur. Animo ſincero Devm illi non colunt, etiam cum religioni maximè vacare ſe putant: nam propter temporalia illum venerantur, quæ plus diligunt. ideo Devm nõ diligunt. Non intelligunt illi ab oſtio ſe aberrare, & in ipſis principiis, quæ res tota in vita maximas turbationes, & difficultates efficit: hoc enim latet eos: Deo placere, vitæ humanæ ſummam eſſe fœlicitatem, vnicum bonum. In ſtadio verſamur, certantium lex eſt probare ſe illi, à quo coronam expectant. non de frutice aliquo, aut metallo, ſed regni perennis

Error aulicorum.

Sincerus Dei cultus.

Omnis vitæ fructus placere Deo.

immarceſſibilem. In qua reddenda non facultatem, ſed voluntatem Deus attendit: vt olim Auguſtinus, & ante eum Paulus docuit. Cæteris abdita eſt cuiuſq; voluntas, de cuiusq; conſcientia ex ſignis iudicant. cum autem nec facilè bonus de malo ſuſpicetur malum, & malus facilè de bono malè iudicet, non ex vero, ſed ex ſe alium quisq; cenſet. In ſolo Deo, quia nullius rei eſt ignorantia, ſola eſt æterna norma iudicij nunquam fallentis. Tantum itaq; ad vitam beatam quisq; proficit, quantum Deo placet, cui nihil poteſt placere mali, nihil diſplicere boni.

¶ 3.

Deus reges conciliat.

Atque vtinam vnicum hoc curemus, ſine quo cætera carent profectu & emolumento! Profectu, quia à Deo eſt, vt aliis placeas. Ille ad te conuertet corda regum, quæ manibus ſuis verſat, ſi ab illo tu te non auerteris. ſin autem: & regem, quod durum tu arbitraris, & faciem ſuam, quod eſt formidabile, auertet. Itaque neque fructus eſt regiæ amicitiæ, ſi Deo ſis hoſtis. Qui verò Deo conciliatus eſt, qui Deo ſeruit, regnum in omnes habet: eum enim amicum habet, qui omnia eſt in omnibus, omnia poteſt, & in omnes. Ambis amicitias pallidas potentum, & offenſas cruentas reformidas? omnibus antepone omnipotentis, cuius in ipſos reges imperium eſt, amorem. Nefas eſt magis amare principem, quàm Deum. Quod verbum frequenter in ore habebat Fredericus Tertius, autore Ænea Syluio. [*e*] Sententia planè digna maieſtate regnantis, & ſeruitio obtemperantis. Si flagitium eſt præ Deo velle placere regi, immane crimen eſt, velle placere homini, vt diſpliceas Deo. Modus placendi, ne gentibus quidem in magnis tenebris incognitus planè fuit. vt nimirum ea ſtudioſè cures, quibus corpore ſolutus indigebis: quibus autem defuncto opus non erit, ea omnia deſpicias, ad illa verò anhelan-

e *In Bohem.*

helando DEVM adiutorem poſcas: quæ Pythagoræ doctrina fuit. Itaque meus Palatinus nullius verebitur offenſam, ſi illam pietas exigat, nullius quæret gratiam, ſi culpa admittenda ſit. Altè hoc animo imbiberat Aphianus Martyr, vt narrat Euſebius; [f] ille vir nobilis, magnæ in aula potētiæ, qui Vlbanum præſidem, cum apparatu ingenti dæmoni victimas immolaturum, prehenſa manu à nefando ſacrificio retraxit, verbiſque grauiſſimis deterruit; nec dubitabat tamen præclarum factum grauiſſimo ſe ſupplicio luiturum, in quo non minus fortis, quam in aſſerendo DEI honore promptus fuit. Cura illa DEO placendi, Religionemque defendendi, in Joanne Diocletiani familiariſſimo viguit: Nam præſentibus Nicomediæ Imperatoribus, contumelioſum in DEVM, crudele in Chriſtianos eiectum de ſublimi loco detraxit, & media luce, in foro conferto, increpita Cæſarum ſæuitie, concerpſit. Latere inter multos poterat, fuga non negabatur volenti, auferre clam ſecurum erat, ſed ſupra virtutis mediocritatem euectus erat ille heros, aſſerere DEO honorem voluit, tyrannis placere timuit, Diſplicere ſibi oſtendit, quicquid contra DEVM ageretur, magnitudine animi cæteris Chriſtianis ad generoſas mortes robur iniecit. Egregium ſerui ſui factum ſingulari mentis lætitiâ DEVS remunerauit: inter duros enim cruciatus, longiſſimamque mortem, nullo carnificum ingenio tantus dolor corpori admoueri potuit, quamuis per omnia viſcera torqueretur, vt vultu mœſtiore aut voce generoſam conſtantiam obfuſcaret. Tremebant Judices, ſæuiebant carnifices, ſe vinci dolebant, in martyre vox hilaris & blanda, iucunda in vultu renidensq; ſerenitas, de multa pectoris luce & gaudio refulgebat, atque illo animo, quaſi per roſam ad DEVM ſuum, cui placuerat, intrepidus proficiſcebatur.

Aphianus Martyr tyrannum offendit.

f *l.8.c.14.*

Ioannes Martyr edictum diſcerpit.

g *Euſebius l.8. Baron. A-do.*

Non-

Fortes aula non corrumpit. Phyſici proponunt. [r] in quem acus adacta, acpoſtea infixa corpori, non ſentiatur. Acus illa acuta, cuſpide de radice Chalybis indurata omnia tela dæmonis ignea, penetrantia, ſpes, timores, exempla, iuſſa impia ſignificat, quæ in aula impia, ſine noxa, ſine doloris ſenſu excipiunt fideles, vt non ſit illis ad mortem aculeus, ſed medicũ ferrum in vitam. Itaque & Chriſtiani ſanctiſſimi in aula belluæ portentoſæ, hoc eſt Neronis, fuerunt. Teſtis Paulus. [s] *ſalutant,* inquit, *vos ſancti, maxime autem, qui de Cæſaris domo ſunt.* Non modo in Cęſaris domo ſancti, ſed externorum præ cæteris amantes, ſed comitate & affabili charitate præſtantes, maxime eos ſalutaſſe Philippenſes S. Spiritus nos ſcire voluit, vt certo conſtaret, eos cæteris Romanis ſancta vrbanitate & humilitate prælatos. Sanctis igitur in aula monſtri illius de luto & ſanguine concreti locus erat, tenuerũt illi fidem & conſtantiam, obitaq; per cruciatus morte coronati ſunt & familiares quidem Neronis. [t] Inter illos Torpes, Euellius, aliiq; quorum certamina legimus. [u] Nec deinceps ſine Sanctis aula Veſpaſiani & Titi; Domitianus quoſdam ſenatores familiariſſimos habuit. Tam carus illi fuit Flauianus Clemens conſularis, vt filium eius ſucceſſorem deſignaret Imperij, ſed odio Religionis, cognito Chriſtianos eſſe, & ipſum & totam domum oppreſſit, fecitque vt felicius in cœlo, quam Romæ regnarent. [x]

r Cardanus de ſubtilitate Scaliger Exer. 131.

s Phil. 4. c. 22.

Aulici Neronis cæteris Chriſtianis prælati.

t Bar. anno 9. & ſeq.

u Martyrol. Rom. 2. & 27. Maij. Ado Beda.

x Baron. vltimo anno Domit.

Perſeuerarunt alij in acerba perſequutionũ procella in aula Traiani, Adriani, Antoninorum, nec Diocletiano quidem defuerunt. [y] Serena Imperatoris coniunx, Heſthera Romani generis, pietate ſua mariti impietatem, & conſtantia ſæuitiam, tolerata pro Chriſti fide morte triumphauit. hoc ipſo felicior Hebræa Heroide, quod ſceptrum dominantis non ſignum clemẽtiæ, ſed crudelitatis experta eſt. Nobiliſſimi viri Petrus, Dorotheus & Collegæ cubiculo præfecti in ipſo fano impietatis, & ardore perſecutionis inter miniſteria intima Cæſaris, Chriſtum colebant, & prædicabant, fideles

y Ado Vſuard Surius.

Chriſtiani in aula Diocletiani.

Digitized by Google

deles impio domino,& cum ille ſcelera imperaret, cōtempto iuſſu,ad mortem fideliores Chriſto perſeuerarunt, vt Euſebius, aliiq; teſtantur. [z] Nec minus Flauianus,[a] qui in Cæſaris flagrãtiſſima gratia, ſummos honores,& Romanæ Vrbis præfecturã geſſit, Diocletiano ab intimis conſiliis; hunc, aliosq; plurimos habuit aula illa in Chriſtiano ſanguine natans,nec tamen exeundum ſibi aula putarunt,ſed in aula pro Chriſto moriendum. Aulici profecto Martyres erant genere & virtute clari Sergius & Bacchus, quos de Chriſtianiſmo cum accuſaſſent æmuli, inuidia magis ob gratiã Cæſaris, quam Religionis odio,iuſſi ſunt immolare idolis; illi ne templum quidem adire dignati, Imperatori generoſa libertate reſponderunt: *Nos, Imperator, ſola terrena militia tibi obſtricti ſumus, in animas nullum tibi ius eſt, illarum dominus eſt ſolus* DEVS. Fortibus verbis facta fortiora fuêre: Poſtquam muliebribus veſtibus per Vrbem atq; ora hominum circumducti (hoc contumeliarum genere infamare viros fortiſſimos voluit tyrannus)& tormentorum omnium victores, mortem conſtãtiſſimè tulerunt, magnoq; triumpho comitantibus Angelis in cœleſte palatium deducti ſunt. [b] Dalmatius toga, ſagoque nobilis,ſenator,aulæ decus, Adaurus per omnes aulæ dignitates ad ſummam euectus, in ſtatione ſua perſeuerarunt, aulam non deſeruerunt, donec ex ea in æternam aulam Martyres abierunt. [c] Apollonius quoque cum Chriſtianorum ſanguis funderetur,nec curiam,nec regiam vitauit,ſed crudeles ſententias arguit, & pro religione nobile volumen cōpoſuit, cui auctoritatem auctoris nobilitas, conſtantia, virtus fecit. Pietas Chriſtiana barbarorum quoque palatio impleuit, Dada Saporis Perſæ conſanguineus, Coſroa vxor, Gabdela filius, fidem in conſpectu regis impij propugnarunt, donec in carcerem & vincula coniecti,dein obtruncati ſunt.[d] Sancius adoleſcens regij ſtemmatis in aula Saracenica educatus, Religionem innocentiamque coluit, donec diade-

z *Euſebius l.8.hiſtor.*

a *Martyrol. 8. Ianuarii.*

b *Euſeb. Ado. Surius.*

c *Euſeb. l.8 c.19. Niceph.l.7. c.10.*

d *Niceph. Beda.*

beneficia, præcipites iniurias, plura dari immeritis, improborum in altum aſcenſus, ſubitas ruinas. Fuerunt hiſce annis exempla, & vt ſe mores dant, breui erunt. Sed nolo viuentium vigentia narrare ſcelera, quæ totus mundus & nouit, & odit. Vetera audire placet. Petrus Vinea Frederici ſecundi rector, & pene Dominus, abuſu honoris & potentiæ, quæ ſolo Imperatoris arbitrio nitebatur, tandem accuſatione detectis criminibus conuictus, damnatus, excæcatus eſt, & violentas manus ſibi intulit. homo enim arrogans & barbarus ſpecie iniuriæ perculſus in furorem agebatur, ſæculi ſui nobilis hiſtoria, poſteris exemplum, ne vnus plus poſſe velit, quam omnes. Non igitur aula, præſertim Chriſtiana, quemquam arcebo, ſed omnes hortabor, vt ea cautione reges, & regna colant, quo ſemper ob oculos animoſque regnum Chriſti verſetur, quod eſt ſanctorum: omnia enim alia regna exurentur; Meminerintque florem humani generis in aula eſſe, ſed florem eſſe caducum, florem ſanctitatis in pauperum tabernis, florem odoratum, cœleſtibus aris adolendum. Sed tamen ſunt & aulæ flores illibati, & inter ſpinas aſperiores ſuauiore habitu fragrantes. quorum in odorem currere debet, quisquis ad aream Domini feſtinat.

Mali in aula.

Petrus Vinea.

Cap. X.

Quatuor in aula difficilia omnibus, pariterq; in Senatu.

§ I.

NOn commendo vitam aulicam, vt propere & absque matura deliberatione ambiatur. Multa ſunt, quæ magnetis inſtar ad illam trahunt, ſed eadem ipſa aliâ ſui parte abigunt: rara eſt, atque ardua vitæ ratio, rariſſima eſt ætatis ſine culpa tranſigendæ perfectio,

Digitized by Google

eoq; difficilior paratu, quo pluribus officiorum partibus illa conſtat, ac muneribus abſoluitur. Qui ſoli Deo viuit, qui in ſolitudinem conceſſit, vnum quærit, in cõtrarias curas nec animum ipſe diuidit, nec à negotiis diſtrahitur: vnum illi negocium eſt placere creatori, probare ſe ſuo remuneratori, ſentẽtia ſui iudicis abſolui, iudicio agonothetæ coronari. At Palatini, qui medio in ſtrepitu iactantur, negocia ſibi adſciſcunt, atque obruuntur: fines plures obtinere, & nectere laborant: quamobrem plurimis quoq; malis onerantur. Argutè porro Indus Philoſophus Alexandro in nobilium corona reſpõdit, quærenti: Vita, an mors robuſtior videretur? vitam reſpondet, quæ tot mala, tot labores ferre poſſet: regi ſtolido ærumnas & vulnera non obſcure exprobrans. Hoc in circo tota aula deſudat, vt Deo, regi, collegis, populo placeant. vni omnia iſta propoſita, quæ ſingula prudentiam virtutemq; eximiam poſtulant. Omnium concurſus vitam anxiam, trepidam, inquietam, laborioſamq; efficit, irritosq; perſæpe conatus. Nabuchodonoſori placuit Daniel, & ſocij, proceres Chaldæos ſenſerũt inimicos. [a] Nemo ſatisfacere poteſt omnibus, ſicut pedes ſtatuæ partim lutei partim ferrei erant. [b] *Ex parte regnum erit ſolidum & ex parte contritum.*

Difficilis aula.

Vita fortior morte.

a *Dan.* 3.

b *Dan.* 2. 41.

Sic in palatio nemo omnibus amicus, nemo tam diuerſis coaleſcere poteſt, metalla calore ſoluuntur, lutum dureſcit, contraria proſunt, atq; obſunt. Dario Daniel placuit, Medos & Perſas habuit inimiciſſimos. [c] Dario, placuit, à Babylonis coniicitur in lacũ Leonum. Procerum liuore, populi tumultibus petitur. Ita curſus eſt dignitatum: vbiq; offenditur, vbiq; obices. Dauid principes Iſraëlis & populum, ipſum adeo filium regis habuit amicum, Saulis iram ſenſit implacabilem.

c. *Dan.* 6.

¶ 2.

Omnibus placere arduum.

Voluntates horum omnium ita aliquando inter ſe diſſident, vt quamuis omni opera annitaris, non tamen

men. expedire te queas, quo minus in alicuius offenſionem incurras, Deo quidem viuere omnes debent, non omnes faciunt. Placere principi omnes ſtudent non omnes poſſunt, Deo placere omnes poſſunt, non omnes ſtudent. Sola innocentia Deo placet, quiſquis placet, & cum illa deſiit, pœnitentia. Principi bono ſemper grata eſt integritas, malo vt plurimum: non quia virtutem ſectetur, ſed quia commodam rationibus ſuis arbitratur, damnaturus vbi detrimento fore putabit, nec regi tamen bono innocentia ſatis eſt: vigilantiam, induſtriam, obſequia, honorem, affectum deſiderat. Ea cauſa ad fauorem conciliandum plus valent ſæpe malorum ficta obſequia, quam fida miniſteria innocentium. Diuerſi ſunt regnantium affectus, alius quadam libertate ſeruientium gaudet, vt Auguſtus [*d*] iocandi licentiam exigens, atq; imperans. Alius venerationem ſui ſilentio miniſtrorum augeri exiſtimat: vt Ageſilaus. [*e*] Alius quæ vbique aguntur inquirit, gratos habet curioſos, vt Gallus Juliani frater. [*f*] Non deſunt, qui ſibi noua referri indignanter ferunt, qu ſi exprobraretur, quod neſciſſent. Locrorũ magiſtratus, ſi quis peregre rediens, quæſiſſet: Quid noui? multam dicebant. Suſpectum enim de ſeditione, & nouitatis ſtudio habebant. [*g*] Deo tamen placere, & principi, qui & ipſe ſit ſeruus Dei, non admodum eſt operoſum. Non imperabit ille quod Deus vetat, non puniet virtutem, iuſtitiæ viam ſuo monſtrabit exemplo.

Deo placet innocentia.

Diuerſi principum affectus.

d *Suet. in Aug.*
e *Plut. in Ageſ.*
f *Marcellin.*
g *Plutarch.*

§ 3.

Simul autem cum principe proceres habere amicos non multis, nec diu conceſſum. Multi ſibi reges, pauci collegas demereri, nemo oẽs potuit. Adeo res lubrica eſt, vt hoc ipſũ regi placere, amicis regis reddat inuiſũ. Nõ n. in palatio amicorũ amici ſunt cões, liuor ſemper reperit odiorum cauſas, odium ſui fœcundum, ex quauis cauſa ſæuit. propter diſſentiẽtiũ varietatem in aula

Socios demereri difficile eſt.

maximè verum eſt, nulli eſſe amicum, qui omnibus ſit amicus. Vigent æmulationes, malæq; tectæ ſimultates faciuntq; vt creſcẽtium commoda ſuam calamitatem exiſtiment. Cum in altum quiſpiam euehitur luminibus infra ſtantium obſtruit, & moleſtus eſt. Placere regi laborant, fauorem ambiunt, atq; id ea riualitate, ſtudioq;, quo ſe oſtendunt principem nòn amare. Proci, quorum eſt impetuoſa, ardens, & per gladios itura riualitas, non ſponſam ipſam amant ſed ſuas quiſq; quas ex illa ſperat, voluptates. Nunquam Paris amauit Helenam, non Hercules Omphalen, non Abſolon ſororem. Non enim illis, ſed ſibi ex illis bene eſſe voluerunt illas ipſas oderunt, quia ſui cauſa in multas calamitates miſeras coniecerunt, atq; infamarunt. Si Helenam amaſſet Paris, domo regia, à marito illius amantiſſimo, ex Græcia in barbaram terram non abduxiſſet, non omnium execrationibus obieciſſet, & quod caput eſt, non feciſſet adulteram. Amoris falſi improbitas ex cõparatione veri intelligitur. Parentes filiam natura & inſtituto vehementer diligunt, nuptias feliciſſimas, virum honoratum, excellentem, beneuolum exoptant, deteriori nubere vetant, vbi melioris eſt copia. Filiæ nimirum optimè eſſe volunt, illam agere ætatem in matrimonio felicem. At procerum alia mens eſt, ſibi eam poſtulant, quamuis alij locatam credant fore feliciorem, ſecum per labores & inopiam viuere, quam in re lauta cum riuali. Hæc fabula in aula continuo agitur, rarus eſt principis amator, gratiam ambiunt, ſe primos omnium, alios excluſos eſſe cupiunt, etiam meliores, prudentiores. Multis commodis principem fraudulenter priuant, cum amouent, quos ſe præſtantiores cognoſcunt. Oderunt reges, quos ope magnorũ virorum deſtituunt. Quis enim in aula etiam dignioribus cedere paratus eſt? Si vere principem colis, ſi non ad oculum ſeruis, de gratia & fauore ſecunda cura ſit, aut nulla, prima de vtilitatibus Domini tui. Athenienſes, cum in acie Arcades honoratiorem locum obtinuiſ-

Amor fictus.

Parentum amor.

Riualitas aulæ.

nuiſſent, Lacedæmonum iniqua diſpoſitione, de loco periculoſam contentionem omiſerunt, ſe vbiq; fortes viros fore proteſtati. [h]

h *Xenophon. Plutarch.*

§ 4.

Populo placere & facilius eſt, & magis neceſſarium. Principum enim familiares quos vulgus exoſos habet, ipſis quoq; odium & periculum creant. Et cum auctor eſt, leui momento deficiunt, cauſati per improbos regem, à iuſto, & legibus abduci. Eaque ex cauſa olim plurimas legimus, & noſtro æuo videmus ſeditiones, rebellionesque. Populo placere facilius dixi, graui ſcilicet bono, & mediocriter malo; quia belua eſt multorum capitum, quæ vna caſſide integi non poſſunt. prudenterque diſputat Nazianzenus; curare beluam quæ ex multis, diuerſiſque conſtet naturis, quæ diſpare cibo ſit alenda, eſſe difficilimum. Talis eſt belua populus corruptus, & bonus, in quo multitudo maleuolorum magna eſt, qui malos mali oderunt, bonis inuident. Ex tot millibus plurimi in eo ſolo conueniunt, vt ſibi bene eſſe velint. Peſſimorum exemplum fuerunt Epheſij, ciuitas illa Hermodorum in exilium egit, quod nullum ſecum bonum pati vellet. Siue ille ſimulatè, ſiue verè vir bonus fuit, illi certe tanquam bonum mali expulerunt; quo facinore omnes necem meruiſſe Heraclitus cenſuit. Eiuſmodi in Ariſtide, Phocyone, Socrate Athenienſes fuere: vt Laërtius, Plutarchus, aliique referunt. Inter Chriſtianos tam improbus vniuerſim populus nuſquam eſt, quocirca facile illius fauorem obtinet, cui fama eſt integra: etſi enim plebis ſit temerarium iudicium, non tamen odiſſe ſolet, niſi quos improbos ſuſpicatur. itaq; populi odium ſemper antecedit infamia, quam facile tuentur boni viri. verum proceres & æmuli etiam ex ſecunda fama dolorem, ac proinde odium concipiunt. Famam igitur ſollicita cura tuebitur palatinus, Ne regibus exprobretur, quod Auguſto eques falſo accuſatus obie-

Populus belua.

Epheſii Hermodorum expulerunt.

Fama fauorem efficit.

Digitized by Google

ctabat: *In poſterum cum de honeſtis inquiris, honeſtis mandato.* [i] Porro plurimum aberrant, qui popularitate quadam, & lenitate conciliare plebis animos conantur. Non amantur illi, ſed delectant, viles habentur, & hiſtrionibus ſimiles. Amabili grauitate, & virtute placeat aulicus. Non quæruntur in leone blanditiæ, ſed regia grauitas, in vultu, verbis, factis, qualem in Baſilio Nazianzenus laudat. [k]

i *Dion. in*

Popularitas.

k *Orat. de Baſilio.*

¶ 5.

Qui Dei, regis, principum, populi amorem conſtanter tenuerit, vnum Joſephum lego: fecit hoc beneficij magnitudo, potius tamen Dei prouidentia, qui ſanctum virum poſt fraternam inuidiam, plagiumq́;, poſt dominæ ardentis, & ſæuientis inſidias, poſt carceris ærumnas, ſolatio ſolido, non interrupta lætitia frui voluit; Chriſti enim reſurgentis & regnantis typum geſſit dum vixit, & dominatus eſt in vniuerſa terra Ægypti. Non contingit hoc aliis, nec neceſſe eſt. Nimis verum eſt: placere multis, eſt diſplicere bonis. Non eſt hoc admodum laudabile, ſed *placere*, vt Paulus monet, *in bonum.* Quod ſi omnium te odia premant, ſufficit illius amor & fauor, qui Paulo dixit: *ſufficit tibi gratia mea.* In ſolo Deo ſatis præſidij eſt ad aliorum alienationem vel compeſcendam, vel mutandam, vel certè tolerandam. Qui ſanctis ſuis leones, tigres, vrſos, vt S. Humberto, ſeruire iuſſit, [l] etiam animos hominum ad manſuetudinem inclinabit. Moriturorum plauſus ſine Deo flunus eſt, & quaſi funebris conclamatio, frequenter exitio. Populum veneraris? ſibi multum permittit, plus ab aliis exigit. Populo fidis? mobilis eſt ille, tu in fluxu & vento ædificas: fluctu turbidior eſt populus. [m] Summum in illo malum, quod cum non intelligat, tamen indicat, [n] torrentis ruit impetu & ſtrepitu, non audit, non ſiſtitur. Quilibet improbus illi pro vento eſt, qui mare ciet ſua ſponte quietum, vt Polybius, Statius, [o] Herodianus. [p] Hanc varietatem expertus eſt Dunſtanus, vir Eccle-

Ioſeph conſtanti fauore vſus.

Dei fauor.

l *Surius.*

m *Seneca in Herculе.*

n *Herod. in Clio.*

o *l. 2. Syluarum.*

p *Epiſt. 77.*

Danieli, quam noſtris aulicis ſimilior: [q] In aula, in Eccleſia, Palatinus & Archiepiſcopus ſemper Deo, pleruimq; populo, rarius verò regibus & proceribus ſatisfecit; Coluit reges, & fido ſeruitio ſeruauit bonos & malos, Ethelſtanum, Edmundum, Edredum, Eduinũ, Edgarum, Eduardum, Edelredum, mentis ſemper inuictæ aduerſum ſpes & metus; Publico bono abſq; ſui periculi reſpectu ſapienter ac fortiter conſulebat. Non putabat ſe mala pati, cum recte ageret, virtutis in hoc æuo præmium vnicum; & bono viro expetendũ iudicabat calamitates & dolores: quòd de fructu beatæ æternitatis nihil decerperent, gloriæ meſſem augerent. ſolitus dicere, cum veritate offenſos dominos videbat: reges occidere poſſe, nocere ſibi nõ poſſe, quod ex ſanctiſſimo Philoſopho ac martyre Juſtino [r] acceptũ animo condiderat. Conſenuit ille in ſeruitio ſancto regum, retentâ & innocẽtiâ, & auctoritate. Nec tam hoc agebat, vt ipſe regibus, quam vt Deo placerent reges. Quod præclaro atq; omnibus ſæculis memorando facinore demonſtrat. Eduinus diademate inſignitus de more dabat proceribus conuiuium, quod magnificentia regia, & lætitia publica dignum erat: at ille amoribus perditus, detritâ fronte, contemptis magnatibus, vt erat coronatus, ad pellices, vt illis ſe iactaret, commeſſatum abit, vbi depoſitâ coronâ vnguentis delibutus agitabat; proceres initio cum neſcirent quamobrem conuiuio rex exceſſiſſet, nihil ſiniſtri ſuſpicari, cognito regem cum ſcortis eſſe, diemq; inaugurationis, regni maieſtatem, principum dignitatem tam fœdè polluere irati ſunt: neq; à talibus initiis exordia imperij inchoantem porrò melius ſperabant acturum. creſcebat conuiuantium liberrima indignatio, ſeque mutuò tum ira, tum vino accẽdebant. Nemini tamen tantum animi fuit, monere regem vt auderet; cõmunem querelam nullus ſui vult eſſe periculi, vbiuis potiùs, quam vbi proderant, verba iactabant. Neminem regis ignari diſcrimen monebat, res enim prope tumultum erat.

q *Hiſtor. Anglic. Surius.*

S. Dunſtanus aulicus ſimilimus Danieli.

r *Apol. ad Anton.*

Dunſtani nobile factum.

Digitized by Google

Tum vero Dunſtanus ne eadem dies regi initium, & finis regni fieret, ne conuiuium ſanguine deflueret, ad regem male ſobrium ingreditur, ſerio ſapienterque reprehendit, cunctanti diadema imponit, è gynecæo manu prehenſum extrahit, proceribus reſtituit, pacem conciliat. pellices muliebri ira furentes mortem ſeruatori ſuo machinantur; rex exilio contentus fuit, quod ſumma cum laude ſuſcepit Dunſtanus; regem mox ignaue, libidinosè, iniuſtè regnantem procerum coniuratio regno expulit: Dunſtano reddita dignitas eſt, ipſi laborioſa, reipublicæ ſalutaris.

CAP. XI.

Rempublicam & Aulam adeunti prima cura ſit placere Deo.

¶ I.

PLeriq; ad primos regum congreſſus pauent, oratione exquiſita, voce, geſtuque quo maximè dominos demereantur, anxij vtuntur. Prudenter Telemachum Poëta dubitantem inducit, quomodo Neſtorem alloqui, quo honore colere oporteret. Magnam vim habet primus aſpectus. A DEO quoque ſpectantur initia, in quem illa finem tendant: finis enim vnicuique propoſitus facta antecedit, efficitq; malorum bonorumq; diſcrimen. Hic cunctis Daniel exemplo præit, & monſtrat Deo placendi modum. [a] *Propoſuit autem Daniel in corde ſuo, ne pollueretur de menſa regis, neq; de vino potus eius: & rogauit eunuchorum præpoſitum ne contaminaretur.* Regem quoque præferocem, vt DEO placere conetur, eius potentiam explicando, inducere laborat. [b] Idem animus ſociorum illius, agere ne contaminarentur. Quod propoſitum adeo fixum animo habuerunt, vt nec ira tyranni, nec fornax ſeptena incendia voluens deterruerit, [c] *non oportet nos de hac re reſpondere tibi.* Quam verò impuritatem Daniel ſociique

Cura aulam adeunti.

a c. 1. 8.

b c. 2. 28.

c c. 3. 16.

que

que fugerunt? cibos menſæ regiæ, non quod dicerent, ſe illos ſpernere, legumine & aqua delectari; quam diſſimilationem corruptor ſcripturæ Joſephus falſo ſanctis attribuit, ſed verâ patriæ religionis profeſſione, quam cum nominũ mutatione & exilio nequaquam deſerere obfirmarunt. Periculum porro erat etiam in ſociorum conuictu, colloquioque, & dæmonum cultu, quem ſeparata menſa pueri deuitabant. In regiam menſam inferebantur variæ carnium deliciæ, condimentaq; vetita Judæis: Etiam idolothyta, Belo litabant, diuisque aureis, & argenteis. Ipſas etiam delicias horrebant, adoleſcentiæ inimicas, ſapientiæ aduerſas. Vino igitur abſtinebant, quod Babyloniis duplex de vite & palma, vt docet Herodotus.[*d*]

Menſam regiam fugiunt.

d *l.* 1.

§ 2.

Fatalis eſt virorum nobilium error, ipſo in limine impingens, & ſcopulus multorum naufragio infamis, doloſæque *mediis in fluctibus aræ*, ad quas aulicæ ſapientiæ illiſa ratis frangitur, & quæſitas operoſo ſeruitio opes, ſpesq; immodicas in ventum, & vortices effundit. Gratiam DEI ſpernunt, tempori cedunt, regum procerumq; fauorem per fas & nefas aucupantur, numinis cultum amoremque ad tempus ſeponunt, virtutem poſt nummos, ſi fortuna volet, recepturi. Mundo obſecundant, & dæmoni, donec à DEO deſerantur, à mundo opprimantur, à diabolo in captiuitatem abripiantur. Animo ſincero DEVM illi non colunt, etiam cum religioni maximè vacare ſe putant: nam propter temporalia illum venerantur, quæ plus diligunt. ideo DEVM nõ diligunt. Non intelligunt illi ab oſtio ſe aberrare, & in ipſis principiis, quæ res tota in vita maximas turbationes, & difficultates efficit: hoc enim latet eos: DEO placere, vitæ humanæ ſummam eſſe fœlicitatem, vnicum bonum. In ſtadio verſamur, certantium lex eſt probare ſe illi, à quo coronam expectant. non de frutice aliquo, aut metallo, ſed regni perennis

Error aulicorum.

Sincerus Dei cultus.

Omnis vitæ fructus placere Deo.

Digitized by Google

immarceſſibilem. In qua reddenda non facultatem, ſed voluntatem Deus attendit: vt olim Auguſtinus, & ante eum Paulus docuit. Cæteris abdita eſt cuiuſq; voluntas, de cuiusq; conſcientia ex ſignis iudicant. cum autem nec facilè bonus de malo ſuſpicetur malum, & malus facilè de bono malè iudicet, non ex vero, ſed ex ſe alium quisq; cenſet. In ſolo Deo, quia nullius rei eſt ignorantia, ſola eſt æterna norma iudicij nunquam fallentis. Tantum itaq; ad vitam beatam quisq; proficit, quantum Deo placet, cui nihil poteſt placere mali, nihil diſplicere boni.

¶ 3.

Deus reges conciliat. Atque vtinam vnicum hoc curemus, ſine quo cætera carent profectu & emolumento! Profectu, quia à Deo eſt, vt aliis placeas. Ille ad te conuertet corda regum, quæ manibus ſuis verſat, ſi ab illo tu te non auerteris. ſin autem: & regem, quod durum tu arbitraris, & faciem ſuam, quod eſt formidabile, auertet. Itaque neque fructus eſt regiæ amicitiæ, ſi Deo ſis hoſtis. Qui verò Deo conciliatus eſt, qui Deo ſeruit, regnum in omnes habet: eum enim amicum habet, qui omnia eſt in omnibus, omnia poteſt, & in omnes. Ambis amicitias pallidas potentum, & offenſas cruentas reformidas? omnibus antepone omnipotentis, cuius in ipſos reges imperium eſt, amorem. Nefas eſt magis amare principem, quàm Deum. Quod verbum frequenter in ore habebat Fredericus Tertius, autore Ænea Syluio. [e] Sententia planè digna maieſtate regnantis, & ſeruitio obtemperantis. Si flagitium eſt præ Deo velle placere regi, immane crimen eſt, velle placere homini, vt diſpliceas Deo. Modus placendi, ne gentibus quidem in magnis tenebris incognitus planè fuit. vt nimirum ea ſtudioſè cures, quibus corpore ſolutus indigebis: quibus autem defuncto opus non erit, ea omnia deſpicias, ad illa verò anhelan-

e *In Bohem.*

Digitized by Google

helando DEVM adiutorem poſcas: quæ Pythagoræ doctrina fuit. Itaque meus Palatinus nullius verebitur offenſam, ſi illam pietas exigat, nullius quæret gratiam, ſi culpa admittenda ſit. Altè hoc animo imbiberat Aphianus Martyr, vt narrat Euſebius; [f] ille vir nobilis, magnæ in aula potētiæ, qui Vrbanum præſidem, cum apparatu ingenti dæmoni victimas immolaturum, prehenſa manu à nefando ſacrificio retraxit, verbisque grauiſſimis deterruit; nec dubitabat tamen præclarum factum grauiſſimo ſe ſupplicio luiturum, in quo non minus fortis, quam in aſſerendo DEI honore promptus fuit. Cura illa DEO placendi, Religionemque defendendi, in Joanne Diocletiani familiariſſimo viguit: Nam præſentibus Nicomediæ Imperatoribus, contumelioſum in DEVM, crudele in Chriſtianos eiectum de ſublimi loco detraxit, & media luce, in foro conferto, increpita Cæſarum ſæuitie, concerpſit. Latere inter multos poterat, fuga non negabatur volenti, auferre clam ſecurum erat, ſed ſupra virtutis mediocritatem euectus erat ille heros, aſſerere DEO honorem voluit, tyrannis placere timuit, Diſplicere ſibi oſtendit, quicquid contra DEVM ageretur, magnitudine animi cæteris Chriſtianis ad generoſas mortes robur iniecit. Egregium ſerui ſui factum ſingulari mentis lætitiâ DEVS remunerauit: inter duros enim cruciatus, longiſſimamque mortem, nullo carnificum ingenio tantus dolor corpori admoueri potuit, quamuis per omnia viſcera torqueretur, vt vultu mœſtiore aut voce generoſam conſtantiam obfuſcaret. Tremebant Judices, ſæuiebant carnifices, ſe vinci dolebant, in martyre vox hilaris & blanda, iucunda in vultu ſenidensq; ſerenitas, de multa pectoris luce & gaudio refulgebat, atque illo animo, quaſi per roſam ad DEVM ſuum, cui placuerat, intrepidus proficiſcebatur.

Aphianus Martyr tyrannum offendit.

f *l.8.c.14.*

Ioannes Martyr edictum diſcerpit.

g *Euſebius l.8.*

Baron. A do.

Non-

§ 4.

Nonnunquam illa ſe rerum ac perſonarum effert conditio, vt non modo obſequi poteſtatibus contraria Deo præcipientibus non oporteat, ſed contemptum etiam oſtendere, beneuolentiam aſpernari, ne vel atrocia facta approbare, vel à religione deſciſcere videamur. Hac mente Pigmenius Julianum ſpreuit, infelicis Apoſtatæ ſanctiſſimus præceptor. Illum Cæſar Chriſtianiſmi accuſatum in exilium ire iuſſit, profeſſus ſe hoc magiſtri ſui meritis tribuere, vt ſoli exilio legendi poteſtatem liberam faceret. In Perſas exulatum abiit, plus fidei apud barbaros, quam ſub Apoſtata fore ratus. Inde poſtea Romam reuerſus, cum cæcus duce puero occurreret Juliano, atque ille gratulabundus exclamaret: *Diis gratiæ, quod te video:* comitatem enim affectabat; martyr reſpondit: *Gratias ago Deo meo, quod te non video.* Ne videre quidem tyrannum voluit, nedum placere, tantum aberat, vt exilij, cæcitatis, inopiæ, malis victus de conſtantia remiſerit. Deo qui placet, illi cætera parent, etiam beluæ, vt Florentio Argentinenſi Epiſcopo. Charilephus in ſyluam ſe Dei cultor abdiderat, Childebertus rex faceſſere inde iuſſit indignabundus, turbatæque venationis impatiens: Deus tamen fidum ſeruum non deſtituit, regem abire molientem, cum paululum diſceſſiſſet, vi arcana detinuit, equus quaſi fixus nulla arte loco moueri potuit, nec ex eo rex deſcendere. Intellexit viro ſancto factam iniuriam, conuerſo equo ad eum redit, ſupplex veniam petit, impetratq;. Didicitq; non facilè lædendos, quorum inſtituta Deo placerent.

Pigmenius.

Florentius.

Charilephus.

§ 5.

Non pauci tamen illa cura ſe fallunt. Devm enim eoſdem induere affectus, quos ipſi habent, æquum opinantur, eumq; in ſuam ſententiam conantur adducere, vt non Deo ipſi, ſed ipſis Devs placeat. Non eſt illa norma Sanctorum; illi quæ Dei placita norunt, ſemper agunt, vt à Deo agantur,

Numen

Digitized by Google

Numen colenti cuncta dirigit Deus.

Vis non errare? DEVM ſequere. vis non fruſtrari? DEO fide. Vis conſequi quod vis? velis quod DEVS vult. Etiamſi aſpera & grauia videantur. Victor ex aula nobilis cum diriſſimis tormentis cruciaretur, iudexq; Sebaſtianus crebro ingeminaret: *Sacrificia, non faciam*; inquit, *quod tu vis, ſed quod DEVS vult.* [h] atque in eo propoſito, capite deorſum ſuſpēſus, triduo perſeuerauit, manſit immotus, lætusq; aliorum hortator, pronunciataq; ſententia, vt viuus degluberetur: *cutem*, inquit, *detrahere poterunt, cogitationes tamen, & mentem non ſuperabis.* Si graue ſuppliciū inſtat, ne time, DEO placebis. opes oblatæ ſunt, DEO placere ſtude, multi eas fugerunt. Iodocus filius regis Britonum, regno contempto horrida eremo ſplendorem aulæ mutauit. Judiha regis Britonum filia auguſtos thalamos, regias opes deſeruit, rogata cauſam, & cur tritæ laceræq; lacernæ, & pauperis tugurij non puderet. His ſeſe ſuo ſponſo placere reſpondit, eique ſimilem ſe fieri, qui cum eſſet diues, pro nobis factus eſt egenus. Nunc placere ſe DEO exiſtimant, ſi omni ſtudio honores, opes, voluptates congerant. Hæc ſi ad voluntatem fluant: tum verò ſeruire DEO lubentes, volentes ſe iactant, ſed in faciem DEO benedicunt; ſi iſta remoueat, qui dedit, mox lamenta & deſperatio. Qui DEO placere cupit, qui DEO nititur, gratum habet, quicquid DEO placuit.

Victor Martyr.

h *Metaphraſtes.*

Omnia Deo poſtponenda.

CAP. XII.

Fidelitas palatij & curiæ, illa principi & DEO præſtanda eſt.

¶ I.

MIniſtri prima dos, qua domino commendatur, fides eſt. In regia, regnoque præcipuus error infidelita-

Fidelitas in aula prima virtus. delitatis cuius ne nomen quidem ad aures admittunt, qui rem non fugiunt. Fidum, qui dixit, omnia complexus eſt. Nullum regibus acceptum eſt niſi à fida manu obſequium. Cætera animi corporisq; ornamenta, ſi abſit fidelitas, ſuſpecta ſunt & tanquam fraudum inſtrumenta odio habentur. Fidelitate nos omni tempore opus habere, & pace & bello demonſtrat Clemens Alex. [a] Illa ſe dote iactauit Lacæna bello capta. rogata, quid ſciret? reſpondit: *fida eſſe.* Haud alius fidelitatis æſtimator eſt DEVS. imo ſeuerus fidei exactor, &, qui ſpecie fallaci decipi nequeat. Vere inter multa mala Propertius:

a *l.* 2. c 3. *ſtromatũ.*

Non boue mactato cæleſtia numina gaudent,
Sed quæ præſtanda eſt, & ſine teſte fide.

Daniel Propheta fidelis coram Domino, primo in regiam ingreſſu, vt ſupra expoſui, ne fidẽ DEO violaret, magna vitæ auſteritate cauit. [b] Jus ſuum DEI ſemper aſſerit. Fidus autẽ eſt, qui Domini ſui cõmodis honoribusq, ſtudet, eius detrimenta, qua poteſt, auertit, iura propugnat, occupata repetit. [c] *Myſteriũ, quod rex interrogat, ſapientes, magi, arioli, & aruſpices nequeunt indicare regi. Sed eſt DEVS in cælo reuelans myſteria, qui indicauit tibi rex Nabuchodonoſor, quæ ventura ſunt in nouiſſimis temporibus.* & deinceps [d] omnia regna in manu DEI eſſe docet. *In diebus autem regnorum illorum, ſuſcitabit DEVS cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem & conſumet vniuerſa regna hæc: & ipſum ſtabit in æternum.* atq; ita regem edocuit, vt exclamarit: *vere DEVS veſter Deus Deorum eſt, & reuelans myſteria.* Fidem illam præſtitit DEO, etiam aſpera, & calamitoſa denunciando. [e] *Eiicient te ab hominibus, & cum beſtiis feriſq; erit habitatio tua & fœnum vt bos comedes, & rore cæli infunderis: ſeptem quoq; tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias, quod dominetur Excelſus ſuper regnum hominum, & cuicunq; voluerit, det illud.* Et bene rex profecit ex boue factus homo, dum laudat & *glorificat* DEVM *regem cæli.* [f] Collegæ quoq; Danielis fidem

b *c.* 1 8.
c *c.* 2. 28. *Daniel Dei cauſam agit.*
d *c.* 2. 22. *Daniel Dei potentiam oſtendit.*
e *c.* 4. 22.
f *c.* 4. 32. & 34.

DEO

DEO præſtiterunt, in medio fornacis: [g] *Ecce enim DEVS noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ò rex liberare. Quod ſi noluerit, notum ſit tibi, rex, quia deos tuos non colimus, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adoramus.* Eandem fidem Balthaſari morituro exhibet, [h] & dum orationem non omittit. [i] Toto tractatu deinde DEI poteſtatem & Chriſti imperium deſcribit. [k] de Antiocho [l] infido. Neq; minus fidelis regi: Nam, qui DEO ſuo fidem obedientiam, & amorem præſtat, non poteſt non eſſe fidelis vicario ſummi regis; Rationem & conſcientiam conſulit, & vitæ totius regulam ſeruat, qua iuſtus eſſe docetur. Quanta fide, atq; integritate regi ſeruierit, in confeſſo eſt. Teſtimonium dicunt Medi & Perſæ, principes magni, hoſtes infeſti, non eſſe locum calumniæ. [m] *Dixerunt ergo viri illi: non inueniemus Danieli huic aliquam occaſionem, niſi fortè in lege DEI ſui.*

g c.3.17. & 18.
h c.5.24.
i c.6.10.
k c.7.9. & ſeq.
l c.8.26.
Daniel regi fidelis.
m c.6.5.

§ 2.

Fidei etymon eſt, vt fiat quod dictum eſt, ad quod etiam pertinet, vt quod fit, abſq; ſimulatione peragatur. Infidelitas ſi aliud fit, quam dictum, aut quod agitur in ſpeciem emolumenti ſit damnoſum. Fides eadem in vtroq; palatio exigitur, cœleſti, & terreno. ab ea ne diſcedatur, aut ſpe, aut metu vtriusque regni lege ſanctum eſt. Seruandi ſunt in acie ordines, & mors eodem in veſtigio expectanda. maior autem fidei neceſſitas, cùm publice aut priuatim clades ingruit. fidem ſecunda poſcunt, aduerſa exigunt. Eam præſtare DEO reges & magnates tanto magis tenentur, quanto magis illis opus eſt multorum fide; quodque plurimorum fidem vnius perfidia reddere irritam poteſt. Monet reges & Principes Nazianzenus. [n] Orbis vniuerſus manui veſtræ ſubiectus eſt, diademate paruo, atque exiguo panno retentus. Supera ſolius DEI ſunt: infera autem veſtra etiam ſunt. Subditis veſtris deos vos præbere: liceat enim audacius

Fides in quo conſiſtat.
n orat. 27.
Reges egent fide.

cius aliquid dicere. Cor regis in manu DEI eſt, vt ex Scriptura audimus, ac credimus.

Hic imperium veſtrum ſit, non autem in auro & in exercitibus. Aulici proceres, ac ſublimibus thronis & dignitatibus inſignes, ne ob potentiam magnopere animos efferatis, nec de mortalibus rebus tanquam immortalibus cogitetis. Fidem imperatoribus ſeruate, ſed prius DEO, propter quem his etiam, quibus commiſſi & traditi eſtis. Qui generis ſplendorem iactatis, date operam vt mores quoque nobilitetis: aut aliquid dicam, iniucundum quidem & moleſtum*, at nobile tamen & generoſum. Nam tum verè nobiliſſimus veſter ordo eſſet, niſi libelli ignobiles etiam in veſtrum album aſcriberent.

Ignobiles in aulam adſcripti.

¶ 3.

Fides nulla in ſcelere præſtatur.

Infidi ſunt, quicunque malis artibus fidem principi probare ſuam conantur, fallaciam illi in fidelitatis locum ſubſtituunt, ſinceritatis colore tinctam. Fidus non eſt, qui contra officium præſtat fidem, vt Amb. de officiis. Auguſtinus fidem eſſe negat, ſi peccato præſtetur. Hoc enim in genere fides criminoſa eſt, quod etiam Gentes numinis ignaræ intellexerunt. Seneca in Herc. Oeteo.

Præſtare fateor poſſe me tantam fidem,
Si ſcelere careat: interim ſcelus eſt fides.

Fides iuſtitiæ fundamentum eſt, non adminiſtra criminum. Cicero in offic. Horatio dicitur iuſtitiæ ſoror incorrupta fides. Precioſa res omnino in aula fides: magis enim principem tuetur, quem valla, quam ferrum. Hoc enim ſine fide periculum auget. Interim non emitur fides donis, quin potius

Precio parata, vincitur precio fides.

Quia autem precia potentum ad eos alliciunt multos, ideo notus adulter ait:

Non intrat vnquam regium limen fides.

De regia Agamemnonis, illiq; ſimilium ſi quis negare velit,

Digitized by Google

velit, exemplis confutabitur: fidelium principum palatia non excludunt fidem ſi DEO incorrupta ſeruetur. Fida imperio Thebana legio mori maluit. [o] quam idolis ſacrificare, quam defendi, principes eius Mauritius & Exuperius ad imperatorem legati fidem ſpondent. *Milites ſumus tui, ſed tamen ſerui* DEI. longaq; oratione oſtendunt, non poſſe ſibi in caſtris credi, ſi in DEVM ſuum ſint perfidi: grande enim ſcelus fidem in Baptiſmo datam numini violare.

Thebana legio.

o Surius. Ado. Vſuardus.

§ 4.

Fidelis igitur eſt, qui pro DEI, & pro principe ſuo mori paratus, DEI cauſa omnia, principis ergo imperata facit, & ea ad quæ fides obligat, & hæc tamen in DEVM refert. Hæc fidelitas eſt ſanctiſſimum hominis bonum, nec vlla ad fallendum neceſſitate cogi poteſt. Hæc ficta omnia fugit, nemo enim fidus inuiſis ſe mendaciis contaminat, vt Pindarus occinit. Infideli etſi multa adſint bona, nulla tamen vera virtus eſt. Hæc virtus tanto precioſior, quanto in aula rarior, vbi magna turba ſectantium, pauci fideles, fortunæ comites multos, paucos fideles princeps numerat. Fidem tamen in magna fortuna illuſtrem Alexandra Imperatrix DEO inprimis, deinde marito ſeruauit. [p] eam nec ſumma dignitas, nec matrimonij auguſti illecebræ; nec vis tormentorum, à fide data Chriſto, auellere potuit. Fida ad necem vsque perſtitit; & DEVS quoque illam admirando euentu probatam ſibi oſtendit: Religionis cauſa in fornacem calcariam Babylonicæ non imparem coniicitur, in illa poſt triduum non modo ſine noxa, ſed ſpectatiſſimo fulgore lucens, quaſi aſtrum aliquod cæleſte, inuenta eſt. populum miraculi magnitudine ac nouitate attonitum non verbis magis, quam factis ad virtutem conuertit, vt regnum Chriſti multorum comitatu regina ingrederetur; ad quod iter ſæuiente adhuc ſuperſtitione, crepidis ferreis induitur, ſed candentibus; vicit tamen ignem ardor fidei. nec

Vera fidelitas.

Alexandra imperatrix.

p Surius Niceph.

lædi potuit corpus, quod anima cœleſtis vegetabat, donec permiſſu numinis gladio truncata, integram ſecum fidem anima cœlo intulit. Multa veterum ſunt facta, fidei benè cultæ monumenta. Inſigne plane Andreæ viri nobilis, qui natione Chius, illuſtri facinore fidei Chriſtianæ dignitatē ac robur Mahometanis oſtendit. Cum ingentia illi munera Turcæ pollicerentur, celſo animo ſilentium tenuit: hoſtes magnitudinem animi interpretati contumaciam, tumultuoſe inſtabant. Tum ille: *Non eſſe digna reſponſo quæ proponerent. Non eſſe terrena miſcenda cœleſtibus. fidem ſe Chriſto dediſſe, hoſtibus diuinitatis renunciaſſe, perfidiam omnem ſibi diſplicere.* Mox ad tormenta itum. reperit gens ſæua quicquid excogitare crudelitas, quicquid ferre potuit patientia: corpus laceratur, vritur, deinde plagæ ipſæ, & vulnera cruciantur; hæc per diem certamina, noctu in carcerem compingitur, diuinâ potentia ſanitas vigorq; redditur. Multos dies admiranda viciſſitudo tenuit; interdiu ſæuiebat carnificina immaniſſimæ gentis, noctibus verò Martyr ad noua ſupplicia renouabatur, donec DEI voluntate, non crudelitatis barbaræ arbitrio mors adueniret, & in Martyrum conſortium ſpiritus emigraret. Cum interim animus inuictus cuncta contemneret, & tormenta, quaſi in alieno corpore, non æſtimaret, ſolum in hoc intentus, vt quam diutiſſimè Chriſtum coram hominibus confiteretur, & ſpectantibus Angelis legitimè certaret: diſcerent etiam infideles, non poſſe fideles vinci, ſed coronari.

Andreas Chius.

¶ 5.

Fortis animus & fidus etiam ſpeciem perfidiæ abhorret. Militum quidam [q] imperante Juliano, cum per fraudem & ignorantiam thus in ignem conieciſſent, & adolentium idolis ſpeciem dediſſent, ipſi nullius ſibi criminis conſcij ſub meridiem corpora curant, ſibi mutuo in Chriſti nomine propinant. Audiit hoc è gentilibus quiſpiam, atq; amarulenta irriſione increpat,

q *Nazianz. orat. 2. & Theodoretus.* *Militum in fide zelus.*

pat, quod deorum operati ſacris, Chriſti nomen iam abdicatum, in cõuiuio honorarent. Tum primum deceptos ſe intelligunt, & quamuis ſola manu, non mente peccaſſent, dolore accenſi labem innocẽtiæ illatam eluere ſtatuunt, & perfidiæ, quamuis falſæ, probro ſe liberare. In publicum igitur erumpunt, præſidem adeunt, Chriſtianos ſe profitentur, mortẽ orant; eam ſibi deberi, vel ex lege Cæſaris, quod à Chriſti fide deficere nolint, vel ex merito, quod dæmoniis immolaſſe putẽtur; hanc infamiam, ſeu veram, ſeu falſam omnibus tormentis magis eſſe intolerabilem, omnibus mortibus grauiorem. miraculo virtus fuit, parcitum eſt mori paratis, clementia contriſtauit inuitos. Fides etiam exigit, vt ſpeciem perfidiæ non metuat, qui fidem ſeruare velit. Pipinus, proceresq; nonnulli in Carolum coniurarant, verba conſpirantium Fardulfus Longobardus ſacerdos excepit, deprehenſus metu mortis intentatæ, ſilentium iurare cogitur, eas Carolo tamen inſidias indicat, neglecto iureiurando, quod violatum, perfidiæ ſpeciem, ſeruatum verò perfidiæ crimen habebat.

Species perfidiæ falſa non curanda.

§ 6.

Hac ex fide manat altera, quæ principibus ſemper debetur, & patriæ, priuatisq;. Non pauca referuntur fidei benè cultæ exempla. Sic Alceſtis Admeto marito animam impendit. [r] Sic Quinti Ciceronis patris, & filij mutua fidelitas. ſic, quod mirabilius eſt, ſeruorum quorundam in dominos clara fides. M. Antonius orator inceſti accuſatus ad queſtiones dare ſeruos coactus eſt; ex his nondum ætate adulta vnus, vt dederetur popoſcit, grauia ſuſtinuit, nec dominum indicauit. Alius Domino proſcripto, in ſpeluncam abdito, ſe Dominum eſſe mentitus, pro illo cæſus eſt. Alius mutato habitu Dominum ſubire lecticam iuſſit, ipſa in eâ reſidens à perſequentibus obtruncatus eſt, Dominus quaſi lecticarius euaſit. [s] Michaëlẽ Zigalium à Corniuo rege Vngariæ captum coquus ſeruauit. [t] Verum illa vetera comparata fidelitati ſanctorum rara ſunt, &

r Eurip. in Alceſt. Plato in Sympoſ.

ſ Sueton. Dion. Tacitus.

t Bonif. l. 1. dec. 3.

Digitized by Google

exigua, ſi conſideremus quot millia martyrum, doctorum, Epiſcoporum pro aliorum ſalute morti ſe fideliter obtulerint, quanta egerint, tulerintq; ne alios proderent. Sanè apud veteres omnia plena perfidiæ, Chriſtiani pactorum & promiſſorum tenaces fuerunt. Quin hoc ipſum res ipſa docet: pauci veterum regum ſine ſanguine obierunt, pleriq; Chriſtianorum principum in pace decedunt: Fidelitas eſt enim Fidei filia, vt deinceps oſtendam.

CAP. XIII.

Fidum homini neminem eſſe, qui Deo non credit.

¶ I.

Impius infidus. VNus hominum error penè omnium, maior in aulicis, in rege maximus: ſe ſuaque credere infidelibus, impiis. Turcus eſt, inquiunt, Iudæus, Hæreticus, blaſphemus, heluo, ſcortator, ariolorum auditor: verum tenax ſecreti, fidus Domino. Non eſt, inquam, fidus. ſubdola fidelitatis larua aditum perfidiæ quærit. Qui DEO non habet fidem, omnes de perfidia ſuſpectat. non principi, non collegis credit, non ipſe ſibi, niſi quod fallere ſit paratus. *Qui fidem alius non habet, nō praſtat.* Proinde cum neminem fidum arbitretur, nulli, quam à nullo expectat, præſtat fidem. Verum hac de re Danielē audiamus. Omnium hominum teterrimum fore Antichriſtum nemo dubitat: proximo impietatis gradu eius familiares, & principes, abominationis eius, & criminum adminiſtros.

a c 11.45. Horum perfidiam breui elogio deſcribit Daniel. [a] *& nemo auxiliabitur ei.* Impiorum in Romano imperio

b c.2.43. perfidiam idem indicat. [b] *Quod autem vidiſti ferrum miſtum teſta ex luto, commiſcebuntur quidem humano ſemine, ſed non cohærebunt ſibi, ſicuti ferrum miſceri non poteſt teſta.* Nulla fides ferro & teſtæ, ferrum comminuit opera figuli.

Digitized by Google

guli, & opus figlinum efficit fragile ferrum. Ne regi quidem impio fidendum. Amicus rex erat Danieli & ſociis, at cum nefanda iuſſa recuſarent, [c] *repletus furore: & aſpectus faciei illius immutatus eſt ſuper Sidrach, Miſach, & Abdenago, & præcepit vt ſuccenderetur fornax ſeptuplum, quam ſuccendi conſueuerat.* Martyres ſocij Danielis in media fornace regiæ infidelitatis cauſam adferunt improbitatem. [d] *Et tradidiſti nos in manibus inimicorum noſtrorum iniquorum, & peßimorum, præuaricatorumq;, & regi iniuſto & peßimo vltra omnem terram* Sed & Chaldæi impij adoratores ſtatuæ ſodalibus infidi, prima occaſione eos calumniantur. [e] *viri iſti contempſerunt, rex, decretum tuum: Deos tuos non colunt, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adorant.* Nec fidi Nabuchodonoſori, quem regno eiecerunt. [f] *Eiectus eſt, & fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum eſt. donec capilli eius in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & vngues eius quaſi auium.* Darius etiam Codomannus extremo prœlio fugiens deſertus ab omnibus, & ab amico vulneratus miſerrimo exitu vitam, & Perſicam Monarchiam finiit: nec deſperatum erat, niſi ſuorum perfidia cecidiſſet. Lamentabilem regis fortunam ſic Daniel deſcribit. [g] *Cumq; appropinquaſſet prope arietem, efferatus eſt in eum, & percuſſit arietem: & comminuit duo cornua eius, & non poterat aries reſiſtere ei: cumq; eum miſiſſet in terram, conculcauit, & nemo quibat liberare arietem de manu eius.* Nemo acerbiorem, atq; immaniorem ſuorum infidelitatem expertus eſt, quam Alexander Magnus, qui per illos, quos ad ſumma euexerat, inſidiis crebrò petitus, veneno potatus eſt, cuius totam poſteritatem amici ac perfidi clientes funditus exciderunt. quod Daniel ſuo more exprimit. [h] *Et cum ſteterit, conteretur regnum eius, & diuidetur in quatuor ventos cœli; ſed non in poſteros eius, neq; ſecundum potentiam illius, qua dominatus eſt. lacerabitur enim regnum eius etiam in externos, exceptis his.* Cum negat poſteros eius regnaturos, ex more regum ſignificat, trucidandos. Nemo tyrannus legitimos re-

c c.3.19.
d c.3.32.
Nabuchodonoſor impius.
e c.3.12.
f c.4.30.
Chaldæo, Perſæ, Macedoni infideles miniſtri.
g c.8.7.
h c.11.44.

gni hæredes tolerat. Balthaſarem etiam Chaldæum Herodotus ſuorum perfidia deſertum ſcribit, vocat autem Labinitum. Tarquinius etiam ſuperbus defectione procerum, Julius Cæſar, alij ceciderunt. Nullum pene magnum regnum fuit, quod non perfidia malorum perierit, quod variis etiam locis Daniel indi-
i c.9.3.4. 14.& 25. cauit.

§ 2.

Deo infidelis non eſt homini fidus. Fides [illegible]tur diuina virtusque fundamentum eſt humanæ fidelitatis, ſcutum & lorica contra mundi perfidiam. Hæc docet in vnum DEVM recumbere, omnia ab eo expectare, qui fecit omnia. nullum dolum infidelitatemq; lucroſam eſſe, obſeruare promiſſa, falli malle, quam fallere, proximo vitam impendere potius quam aliena calamitate viuere. Hoc animo quisquis eſt, fidus & ſolus fidus eſt; qui autem DEI contemptor eſt, & cupiditatibus alternatur, non ſinitur eſſe fidelis. Fidem datam omne vitium oppugnat & fere expugnat. Superbia tumebat tribus Ephraim, & ſeruatorem Gedeonem opprimere conabatur,
k *Iudicum.* inuidia victoriæ, qua ſeruitute liberati erant. [k] Iterum
Abner. Jephthe victorem opprimere conantur, arrogantia fecit infidos. Abimelechus ſeptuaginta fratrum interfector à Sichimitis deſeritur, & occiditur. Egreſſus eſt ignis de ramno & excuſſit cedros Libani. De Abimelech egreſſus ignis inflammat Sichimum & Mellonem, & ex illis tegula contriuit Abimelechum.
l *Iudicum 9.& 10.* [l] Infidus Abſolon fratri & patri, quia improbus.
m *2.Reg. 3. & 15.* [m] Abner diu fidus domui Saul, reprehenſus ab Jsboſeth regnum illi abſtulit. Quam fortis Joab, & re-
Ioab. gno fidus! non perſtitit tamen; ideo Salomon iuſſus eſt canitiem eius cum ſanguine ad inferos deducere. 3. Reg. 2. Nunquam conſtanter eſt fidus, etſi ſui commodi cauſa vna alteraue in re, qui improbus eſt; impietas enim expugnatu facilis eſt, quia à ſe diſſidet, & in cuncta vitia trahitur. Magna auctoritas Achitophelis

phelis, perfidia tamen, & turpitudo conſilij ad reſtim
illum adegit. Hiſtoriam profanam ſi attingam, plena
omnia exemplis perfidiæ, Homo planè improbus Ma-
nuel in Conradum, exercitumq; in Palæſtinam ad infi-
deles expellendos euntem omni maleficiorum genere
vexauit: quod alij Græcorum etiam perfide egerunt,
digni Turcarum iugo ferreo, quibus fauerant. Magnũ,
ſed triſte perfidæ improbitatis monimentum, natio- *Improbi infidi ſunt.*
nis vniuerſæ longiſſima, miſerrimaq; ſeruitus. Proſpe- *Nortmanni.*
ra diu Nortmanorum fortuna, felicesq; ſucceſſus, quos
perfidia perdiderunt: icto cum Carlomanno fœdere,
illud eius morte finitum interpretati cupiditatibus
agitati, vetera latrocinia repetunt, donec variis attriti
cladibus regnante Arnulpho penitus deleti ſunt. Iam
quoq; multa nos docent. quoties pax cum Turcis ini-
ta? quoties ab illis violata? Nulla fides impiis, nulla
pax. Vix vlli inter Græcos maior gloria, quam regi
Pauſaniæ, ille tamen quinquaginta talenta pactus Xer-
xi Spartam prodere aggreſſus eſt. Melechſala Ægyptiꝰ *Melechſala.*
cum ſe improbiſſimis militum, quos emerat, & manu-
miſerat, incautus credidit, ab illis occiſus eſt. Improbi
atque infideles ſuorum vitiorum pondere feruntur,
fidem non ſeruant. Lapides illos appellat Clemens A-
lexandrinus. [n] Quare inter barbaros fidelitatis nec *n Exhortat.*
nomen notũ eſt, metu, & vtilitate peraguntur omnia. *ad gentes.*
Indi Pagæi, Troglodytæ ægri à proximis occidebantur; *Indi ægri.*
quod nunc etiam Anthropophagorũ feritas in Occi-
dente imitatur. Hinc cum morbis vexabantur, non à
medicis, non à filiis, aut familiaribus ſubſidia vlla, ſed
necem expectant, ideoque in ſolitudines inuias, quo
poſſunt modo, prorepunt, vbi inedia conficiuntur,
aut vulſis radicibus viuunt: vbi enim ad ſummam fe-
ritatem vitia excreuerunt, humanæ ſocietati locus
nullus eſt. Homo nefarius Otho Longus Brande- *Otho longus*
burgenſis Marchio, tutor Wenceslao puero regi Bo- *perfidus tutor.*
hemiæ datus, Rudolpho Cæſari Bohemos trucidan-

Digitized by Google

dos obiicere conſtituerat, & infami pupilli, regnique proditione crudele facinus peregiſſet, ni Rudolpho miſericordia fidesq; potior fuiſſet. Puero ille regnoque fœdera ſeruauit. Carolum IV. perfidia ducum Philippi Auſtriaci ſeruauit; cui, cum ſe imparem eſſe videret, aulicos tres auro corrupit, vt Philippum opinione maiorum Cæſaris copiarum deluſum retrocedere præ metu cogerent. Proditionem illam Carolus amabat, proditores oderat, & præmium ſceleris adulterina pecunia perſoluit, illam ſublectæ fidei veram teſſeram, ac mercedem conuenientem iocatus. Maius ſceleris perfidiæque exemplum in duobus improbitate pari principibus, narrat Adelboldus, [o] & Andreas Brunnerus noſter. [p] *Id Boleslaus tempus ſuum ratus (mortuo Blademario Bohemo) Boleslaum Polonum, cognati ſanguinis fiducia, vtpote Patris ſui ſorore natum fœdere ſibi iungit, eiusque potiſſimum viribus ſubnixus, non expectata Henrici voluntate, Principatum occupat; Breue gaudium fuit; & qualia eſſe omnia conuenit, quæ ſceleribus emuntur. Ille ipſe quem rebus ſuis ſtabiliendis, raptæq; per vim potentiæ columen adſciuerat, vix erectum euertit. Polonus enim nimis à ſe ſimpliciter peccatum reputans, quod alienæ gloriæ fauiſſet potius, quam ſuæ, errorem modeſtiæ inſigni impudentia correxit: Bohemo, per ſimulationem amicitiæ, quæ tutiſſima ad fallendum & regia via eſt, non modo de gradu dignitatis, ſed etiam vitæ ſpe deiecto. Patrando ſceleri hoſpitalis menſa delecta, à qua ſecure accubantem abſtrahi orbariq; oculis iuſſit non indignum ea calamitate, ſi alius auctor fuiſſet. Ita fratrum ſuorum carnifex iiſdem, quas exercuerat, petitus artibus perdito recuperatoque per ſcelus imperio exutus, Iuſtitiæ vindici cæcus ſatisfecit.*

Carolus quartus.

o *de rebus S. Henrici.*
p *In ſua Bauariæ lib. 8.*

Boleslaus.

Perfidia.

§ 3.

Danielis æuo gemina contra DEI maieſtatem perfidia mentes hominum cæcabat, & ne mutuo ſibi fidem præſtarent, magno ſcelere efficiebat: quæ in noſtros mores vtraque perennauit. Pſeudotheiſmus, dæmo-

Digitized by Google

dæmonum, & idolorum cultus, & Atheiſmus, eorum profanitas, qui aut nullum eſſe numen credebant, aut ſi quod eſſet, nulla prorſus rerum humanarum tangi cura. Vtrum malum humano generi nocentius fuerit haud facile explicatu eſt, vtrumque nocentiſſimum. Superſtitio gentes in tætra & dira ſcelera impulit. vt merito poëta Atheus recenſitis pſeudotheiſmi malis exclamarit. [q] *Superſtitio.* *q Lucretius lib. 5.*

Tantum relligio potuit ſuadere malorum.

Atheiſmus peccandi & timorem ſuſtulit, & pudorem. quin & peccati nomen. Superſtitio feruentius veritatem, atheiſmus latius oppugnauit: illa gentes gentiumque reges in rabiem efferauit, vt Chriſtianos DEO ſceptriſq; fides non iudicata cauſa, ſola nominis odio conſumere ſuppliciis æquum iudicarent. [r] Facilis tamen ſuperſtitionis eſt in Atheiſmum mutatio, dum conſultius exiſtimant, nullos, quam pudendos habere Deos. Itaque ſic idola etiam ex animo infidelium excidere. Noſtrorum etiam temporum infælicitas docuit, hæreſes initia in ſui propaginem, & augmenta ardentes, ideoq; cruentas in Atheiſmũ deſinere. Naſcuntur de hæreticis Cyclopes, quales Caluiniani, & eorum fæces Libertini, qui vel omnia fluere, & fortuito geri, vel neceſſitate fatali, Stoam aut Epicurum ſecuti, putant euenire. Præcipua tamen pars aulæ ad Epicurum declinat, prudentia ſua mundum adminiſtrare ſe poſſe exiſtimant, nullum tales numen credere, omnibus ſe accomodare, pro arcano reip. palladio habent. Hæc fuit impietas Babylonis, in quam tot diuorum dedecora abierunt. Mulier illa eſt, quam in campum Sennaar deferri Zacharias poſt tempora Danielis vidit. [s] *Et ait: hac eſt amphora egrediens. Et dixit: Hæc eſt oculus eorum in vniuerſa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna ſedens in medio amphoræ. Et dixit: Hæc eſt impietas. Et proiecit eam in medio amphoræ, & miſit maſſam plumbeam in os eius. Et leuaui oculos meos: & vidi: & ecce duæ mulieres egredientes, & ſpiritus in alis earum, & habebant*

Atheiſmus. *r Iuſtinus Apol. ad Antoninum.* *Hæreſes in Atheiſmum deſinunt.* *s c. 5. 6.* *Impietas in campo Sennaar regnat.*

bebant alas quaſi alas milui: & leuauerunt amphoram: Et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: Quo iſtæ deferunt amphoram? Et dixit ad me: vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & ſtabiliatur, & ponatur ibi ſuper baſem ſuam.

Medi & Perſæ Athei. t. c. 67.

Ad eam impietatem iam tempore Danielis prælu-debatur. Dario enim regnante edictum Medorum & Perſarum in caput Prophetæ editum eſt. [t] *Dari rex in æternum viue: conſilium inierunt omnes principes regni tui magiſtratus, & ſatrapæ, ſenatores, & iudices, vt decretum imperatorium exeat, & edictum: Vt omnis, qui petierit aliquam petitionem à quocunque* DEO *& homine, vsq; ad triginta dies niſi à te rex, mittatur in lacum leonum.* An numen vllum inter ludibria deaſtrorum crederent, qui Darium iam moriturum, in locum deorum ſnbſtituunt? Quid enim aliud agunt, dum ab aliis quicquam peti vetant? Quid cælum ſiſtat, terra moueatur, mare exæſtuet, lues vulgetur, Darius ipſe moriatur, quis rebus labentibus opem feret? Nullum Deum credunt, qui talem fingunt, non poteſt in illis quicquam eſſe fidum, qui in fabricando numine, inuidia præceptrice, aſſentatione architecta vtuntur. Atq; hic quidem ſtultitiæ apex eſt, cum vel putant, vel videri volunt, Deum ſe facere poſſe, qui ne muſcam quidem poſſunt. Fieri non puto poſſe, vt ſerio tales vnquam agant, ſed mera eſſe ludibria, qualis erat Caius, cum ſe & equũ ſuum Deum faceret. [u] Tanta ſtultitia dum vigere diu non poteſt, ab hac in aliam plane contrariam tranſeunt, qui numen eſſe negant.

u *Dion. Sueton. in Caio.*

§ 4.

Numinis contemptores.

Quapropter Diagoras, Theodorus, Protagoras, Euemerus, Hippo Melius, Nicanor Cyprius, multique profaniſſimæ inſaniæ Philoſophi, de quibus Clemens Alexandrinus. [w] Epiphanius. [x] Tullius. [y] Laërtius. [z] omnem è rerum natura diuinitatem ſuſtulerunt. Epicurus fortuitis atomorum concurſibus ipſam rerũ naturam conſtare delirauit. Deorũ, quos coli videbant, pudebant, & certo ſciebant, Deos eſſe non poſſe,

w *Exhortat. ad Gentes.*
x ....
y *De nat. Deorum.*
z *De vitis Phil.*

poſſe, quod perditorum ſceleribus implicari,& criminum auctores iudicarentur, quo vno argumento Bellerophon Deos negabat,& pedibus,& cogitationibus in *campis Aleis errans, veſtigia mortalium deuitans.* [*a*]

a *Homerus. Plutarchus.*

Cauſa Deos negandi.

Mundi & Creatoris ignaris, quiq; nihil eſſe putat, quod vniuerſum hoc condiderit, aut gubernet, nulla cura fidei, aut fœderum, nonnullam illi rationem adhibent, quibus *anima naturaliter*, vt Tertullianus loquitur, [*b*] *Chriſtianá*, cum in diſcrimine eſt, cælum ſuſpicit, & auxilium depoſcit. Fædera illis ſancta ſunt, apud quos iuxta diuinas religiones fides humana colitur, vt verè Liuius. [*c*] fœdera, inquam, & pacta priuata, fides erga reges; quæ omnia violant numinum contemptores. Nunc etiam idem agunt impij raro palam & exerte artes & prætextus quærunt. Nunquam perfidos deficit cauſatio. quod male agunt, peius defendunt, nihil tam iniquum, cui non ſpeciem iuris imponant. Hæc cauſa eſt, cur tam multi regum, principumq;, domeſtica fraude pereant; improbis ſe commiſerunt, ſibi fidos crediderunt, qui ſunt in DEVM perduelles. Hinc quotidianæ in palatio regum magnatumq; querelæ, ab amicis, agnatis, fratribus, clientibus colluſoribus, compotoribus, in fraudem ſe duci prodique optimo prorſus iure ac merito, nec cura illis fuit, vt bonos legerent, nec agerent, quo boni illi redderentur. Vna ratio ab illis cauendi, ſi nihil credas.

b *de anima.*
c *dec. 1. l. 9.*

Reges domeſtica fraude pereunt.

¶ 5.

At vero cui animo fixum eſt, DEVM Opt. Max. intereſſe noſtris actionibus ac cogitatis, fidei ſanctè ſincereq; cultæ remuneratorē, perfidiæ vltorē, illi ſemper bene creditur: quia tam fallere, q̄ falli ab aliis metuūt. Quemadmodū enim Diuinam Sapientiā quaq; omnia cognoſcit, perſpicientiam, decipi à ſe nō poſſe certum habet, ita neq; hominem, etiamſi poſſet in fraudem inducere, officij ſui eſſe iudicat; dignus, qui cum in tenebris mices, vt eſt, in Parœmia. Inſigne exemplum nobis

Iuſtus neminem fallit.

aula

Digitized by Google

Philæas martyr. aula ipſa præbet. Philæas vir antiquæ nobilitatis, ſummæ eruditionis, in Repub. palatioque Auguſto maximis honoribus ita functus, vt magiſtratibus & faſcibus dignitatem virtute ſua addiderit, tanta fide, vt eius acta omnium conſenſu probata fuerint; ille, inquam, à prætexta & ſecuribus ab aula ad infulam, ad pedum, & Eccleſiam translatus, Epiſcopus Vrbis in Ægypto celerrimæ Thmuis electus eſt. Nullum in viro delictum. Sanctitas religionis Chriſtianæ apud perſecutores crimini dabatur. [d] defertur ad iudicem impium innocentia pietaſque. Fidem abnegare, maledicere Chriſto tyrannus imperat, accedunt in cauſam amici, agnati, magna nobilitas, precibus, lacrymiſq; martyrē adſurgent, vt cruciatus mortemq; deſertione aut verâ, aut ſimulatâ fugiat. Stat ille inter monitus gemituſq; ſuorum immobilis, vultus grauitate ac contemptu improuida conſulta repudiat, ipſo ſilentio venerabilior; donec Philoromus tribunus, & ipſe in palatio honoratus, cum fidum Chriſti ſeruum magis inanibus argumentis & ſuorum ſtolida ſapientia, quam tormentorum, quæ apparabantur, expectatione, angi cerneret, fidem Deo ipſe quoq; & Collegæ præſtitit, atque exclamauit: *quid inaniter & ſuperflue viri conſtantiam tentatis, quid eum, qui* DEO *fidem ſeruat, infidelem efficere vultis? quid eum cogitis negare* DEVM, *vt hominibus acquieſcat?* Ipſe quoque Philæas omnes deinde conteſtatus eſt: malle ſe omnia tormenta, quæ inferorum arbiter dictare poſſet, ſuſtinere, quam vel Deo datam fidem iureiurando violare, vel ſubditis ſuis deficiendo dare cauſam ruinorum. Vtrique itaque, & martyri & exhortatori, data merces eſt, quam illis impietas ad exitium, Devs ad gloriam prædeſtinauit, vterq; abſciſſo capite ad iuſtum iudicem, cui fidem ſeruarant, cum laurea peruenerunt. Fidelis etiam Domini teſtis Antipas à filios Tonitrui laudatur: [e] fidem ille forti diſertoq; eloquio, plenus Dei ſpiritu Pergami defendit, [f] cum gentibus diſputabat, eos & Deo & hominibus

d *Euſeb. l.8. c.9. & 10. Ado. 4. Febr. Surius.*

Philoromus.

Antipas.

e *Apoc. 2.13.*

f *Euſeb. l.1. Ado. Baron. T.1.*

bus infidos eſſe conuicit, Deos eorum eſſe impoſtores, eſſe dæmones Apoſtatas, à Chriſtianis illos vinci & coërceri, opitulari non poſſe, niſi quantum illi permiſerint: Chriſtianis ſolis fidem haberi. Hæc conteſtatus, forti animo ſuperatis tormentis, æneo in boue toſtus, quod crudelibus hoſtibus, Siculi tyranni ſupplicia placuiſſent, magna lætitia DEO ſpiritum reddidit. Tali quoque virtutum decore Iſdegerdæ Perſarum regis aula inclaruit. Hormiſdam nobili proſapia, gente Achæmenidum, [g] rex vrgebat familiariter, vt Chriſto renunciaret, deos coleret, ſolem adoraret; inſtabant aulici, præmia perfidiæ proponebantur, qualia fides mereri ſolet. Tum ille ſapienter, & grauiter: *noli, rex, in tuam perniciem eſſe facundus, ſuadere aut imperare noli, quo ſolium ruat ſceptra extorqueantur. qui DEVM negare docetur, ille regem contemnet & deſeret. An tu homini fidum putas futurum, qui erga Deum perfidus eſt?* hæc ille diſputans, ſeruili miniſterio ad camelos ablegatur, deinde exilio plectitur: nobilitatis & ſapientiæ reuerentia tyrannum, ne ſanguinem funderet, morabatur. Acerbiores eadem in aula Perſici Buſiridis, ſub eodem tyranno, ob fidem Benjamin Diaconus pertulit. [h] Regi inſtanti, & extrema minitanti, ni patria numina, & ſolem coleret, eodem modo, quo Hormiſda reſpondit: *Quo tu illum, ô rex, dignum ſupplicio iudicares, qui te regnus eiecto, alium in ſolio tuo locaret: & diademate redimitum populis oſtenderet?* Nec dubium à rege reſponſum. Extrema exempla daturum, reum maieſtatis, nec vna morte, niſi diuturna luiturum. Tum Diaconus: *at ſanè immanius eſt ſcelus, DEO deſerto alium DEVM, alium mundi opificem, rectoremq; in eius throno collocare. Sceleſtior eſt aduerſus DEVM quam hominem perfidia: quanto ſcilicet homuncionibus mortalibus ſublimior eſt æterna, & immenſa maieſtas. contra eam ſi quis inſurgat, & fidem rumpat, næ tu vehementer erras, ſi homini fidum exiſtimas. Non verebitur in humanis eſſe perfidus, qui cælum contempſit.* Non tulit ſinceræ veritatis libertatem tyrannus: nouo & inuſitato ſuppli-

g *Surius Rom. Martyrol.* *Hormiſdas.*

Benjamin Diaconus.

h *Ado. Martyol. Rom.*

Deo infidus non eſt homini inſidus.

ſupplicio ſæuitiam paſcere decreuit. ſudes ſub vnguib. vbi eſt acutiſſimus doloris ſenſus, deinde verendis infigi iubet, demum per naturæ ſecreta ſtipite ramoſo violenter immiſſo corpus animæ carcerem recluſit, quæ tanto glorioſior in cœlos aſcendit, quanto contemptius erat & pudore ipſo grauius ſupplicium.

Delectu igitur certiſſimo, ſed raro in aula vtendum, vt eum, qui DEO fidus eſt, tibi quoq; fidelem ſperes. qui fidem Chriſti irritam fecit, qui iram cœli irritat, eum in fide ſtabilem deſperes: impius enim cum omnibus rebus bonis fidem deneget, non poteſt illi fides haberi. nec DEVM, nec hominem colit. [i]

i *Plin. l. 2. c. 7. Del. 556.*

CAP. XIV.

Improbos conſtanter caros regibus non eſſe, nec principes malos habere amantes ſui.

§ I.

SOllicita agitatione plectuntur improbi, ſiue conſcientia ſuppreſſa deſeruit DEI mortuos, ſiue adhuc vellicat & mordet inquietos, anxioſq;. Vultum, oculos, nutus, dicta regum obſeruant, an forte offenderint, an delati ſint. ſuſpicax res eſt malitia, anguntur foris, in animo nulla eſt conſolatio, cum de DEO, aut de vitâ cogitatur & morte, inuitos ſubit horror, cum de principe, ſub ictu ſtare videtur ſibi: nec enim fauorem ſibi perpetuum ſpondent aut ſpondere poſſunt. Æternæ iuſtitiæ vigilans oculus ſuis contemptoribus haudquaquam gratiam ſtabilē fauoremq; principum indulget. Arioli, magi, ſapientes Babylonis, non modo in amore, ſed etiam æſtimatione erant Nabuchodonoſori, at ira ſubita omnes iubentur occidi, auditi & inauditi. [a] Quotidie iſta aguntur, improuiſæ oriuntur offenſæ, inuſitata & noua putant illi, qui vetera non recognoſcunt. Oſtendit Daniel multis hoc modis. inprimis in Antiocho & Ptolomæo: [b] *Et ponet faciem*

Fauor malorum mutabilis.

a *c. 2. 6.*

b *c. 11. 17.*

Digitized by Google

ciem ſuam vt veniat ad tenendum vniuerſum regnum eius, & recta faciet cum eo: & filiam fœminarum dabit ei, vt euertat illud: & non ſtabit, nec illius erit. Videtur quidem charitas, ſed falſa eſt, & mox in prœlia erumpit. Antiochus Magnus Romano bello nobilis, Ptolomæum puerũ Ægypti regem euertere, regnum illius occupare conabatur: idonea iniuriæ viſa regnantis ætas, nec pacis, nec belli artibus matura. Duces tamen fidi & ſtrenui auaris conatibus obſtabant. ſenex igitur vt fraude puerum circumueniat, Cleopatram filiam deſpondet vxorẽ, addita ingenti dote, Cœleſyria, Judæa, Samaria, Phœnicia; at filiæ mandata nefaria dedit, vt maritũ interimeret. [c] Verũ apud Cleopatram plus valuit caritas mariti, quam iniuſti præcepta patris, igitur Ptolomæum ſeruauit. Antiochus & filiæ, & genero infenſus Ægyptum bello petit. Inſociabilis eſt improbitas, nõ poteſt cohærere, ſicuti ferrum & lutum coaleſcere nequeunt. Dario cari erant proceres Medorum & Perſarum, belli adiutores, nauatæ operæ præmiis inclyti, velox turbo auram illam difflauit. [d] *Iubente autem regẽ, adducti ſunt viri illi qui accuſauerant Danielem: & in lacum leonum miſſi ſunt, ipſi & filii, & vxores eorum: & non peruenerunt vſq; ad pauimentũ laci, donec arriperent eos leones, & omnia oſſa eorũ comminuerunt.* Eadẽ ratio non durantis fœderis & amicitiæ apud Danielem. [e] *Et poſt finem annorũ fœderabuntur: filiaq; regis Auſtri veniet ad regem Aquilonis facere amicitiã & nõ obtinebit fortitudinẽ brachii, nec ſtabit ſemen eius: & tradetur ipſa, & qui adduxerunt eam, adoleſcentes eius, & qui confortabant eam in tẽporibus.* Noluit Deus longo tẽpore perſeuerare caritates impiorũ, ne boni opprimãtur. Vix vnquã amicitia integrior inter reges, & ex illa ingentia bella, quibus multos annos, cum regũ exitio vaſtata eſt Aſia. Hiſtoriã exponũt Hieronymus, [f] Bruchtonus, [g] Juſtinus, [h] Attingit Pauſanias. [i] Sed Danielem videamus. Poſt finem annorum, poſt multa bella, quæ geſſere Ptolomæus Philadelphus rex Ægypti, & Antiochus Deus rex Aſiæ, totius regni vterque viribus, poſt

Falſa amicitia.

Antiochus Magnus Ptolomæus.

c *Hieron. in Danielem.*

d *c.6.24.*

e *c.11.6.* *Ptol. Philadelphus, Antiochus Deus.*

f *In c.11. Dan.*

g *eodem loco.*

h *l.27.*

i *In Atticis l.1.*

poſt tot funera, & vrbium ſtrages conuentum eſt, vt nuptiis cruentum certamen finirent: itaque fœderabuntur, coniungentur, vt eſt in Hebræo: Veniet filia regis Auſtri Berenice filia Ptolomæi, ad regem Aquilonis Antiochum Deum facere amicitias, ſeu vt in Hebræo, rectitudines, pacem æquis vtrinq; conditionibus, ideoque, vt putabant, diuturnam & inuiolabilem. falluntur tamen improbi reges, non enim obtinebit fortitudinem brachij filia ipſa Berenice, quæ brachium erat patris & mariti, quo extento, velut data dextera ſocer & gener iungerentur, forti, nec diſſociabili vinculo. *Berenice.* Eam pater Peluſium vſque deduxit cum infinitis auri atque argenti millibus. qua ex cauſa φερνοφόρος, *dotata* eſt nominata. Agebantur iſta inter reges ſincerè, & maximorum regnorum bello feſſorum gratulatione. ſed imbecille brachium fœmina ad continendas regum ambitionem, auaritiam, cupiditates. *Omnes improborum caritates fluxa.* ita fortitudo brachij contrita eſt: nec ſtabit ſemen Berenices, filius eius ex Antiocho natus, & ipſa tradetur in manus hoſtium, & trucidabitur. Hiſtoria triſtis & cruenta, malis tamen regum conſiliis non aliena. Nuptialibus pactis cautum erat, vt Antiochi vxor Laodice, ex qua Seleucum Callinicum, & Antiochum filium patri cognominem genuerat, nouæ nuptæ Berenicæ locum daret, & filij illius, filio ex Ægyptia naſcituro cederent regno. porro Laodice pellicis *Infida malitia.* inſtar haberetur, filij legitimi non cenſerentur. Impium planè fœdus, quo patris animus & legum reuerentia, opum & potentiæ cupidine exuebatur. Laodice ex regina iam ad concubinatum contumeliam redacta, fortunam forti diſſimulatione tulit, filios etiam continuit, ne reginam offenderent, atque ſenſim mariti animum magis magiſq; deuinxit, qui amore legitimæ coniugis, & filiorum ſuperatus, in priſtinam illam dignitatem, regiamq;, & filios in ſpem regni reduxit, quamuis iam alius quoque ex Berenice genitus aulam occuparet. futuri belli certa ſemina, reginæ

duæ,

Digitized by Google

duæ, fratres æmuli. Acceſſit, qui ignem gladio foderet Magas Ptolomæi regis frater, rector Cyrenarum, gener Antiochi, is ſocerum inter mulierũ amores alternantẽ ad faciendum Ptolomæo bellum incitabat, quod ſororis, & nepotis exitio futurum præuidebat. ſed potentior omnibus naturæ vinculis erat amcitia: fratri & filio illius infeſtus viuebat, illoque potentiſſimi regis armis preſſo, regnum Ægypti ſperabat. [k] ita fratrũ improborum breuis caritas, inimicitiæ capitales. Non eſt improborum amor conſtans. Laodice ab Antiocho in regiam & honores reducta, irritata priore iniuria, non pacata beneficio, metuens etiam mobilem viri animũ ne timore belli iterum loco deiiceretur, recepta Berenice, veneno maritum interficit, Seleucum Callinicum patri regem ſubſtituit, Berenicen filiumq; eius obſidet deinde dolo circumuentam contra datam fidem Icadioni & Gemmeo principibus occidendam tradidit Hinc ingens bellum, quod Ptolomæus Euergetes Philadelphi filius geſſit, quo Aſia tota peruaſtata eſt Seleucus, dein Antiochus, tota pene progenies periit.

k *Pauſ. in Atticis lib. 1.*

§ 2.

Documento eſt Antiochus Epiphanes regum ſceleratiſſimus, Antichriſti typus, non eſſe ſtabiles improborum miniſtrorum ſeruitutes, nec regum in illos fauorem. Nemo tyrannum illum magis demeruit, quam illi qui à veri DEI cultu ad inſanias idololatriæ ſe conuerterunt. Tamen apoſtatas grauiter afflixit, vt prædixit Daniel. [l] *& venient ſuper eum Trieres & Romani, & percutietur, & reuertetur, & indignabitur contra teſtamentum ſanctuarii, & faciet: reuerteturq; & cogitabit aduerſum eos, qui dereliquerunt teſtamentum ſanctuarii.* De Jaſone, cuius exitio plurimi implicitì fuerunt, Maccabæorum liber recenſet. [m] *Et principatum quidem non obtinuit, finem vero inſidiarum ſuarum confuſionem accepit: & profugus iterum abiit in Ammaniten. Ad vltimum, in exitium ſui concluſus ab Areta Arabum tyranno, fugiens de ciuitate in ciui-*

Antiochus nobilis.

l c. 11. 30.

m l. 2. Mac c. 5. 7. *Iaſon punitum.*

tatem, omnibus odioſus, vt refuga legum & execrabilis, vt patriæ ciuium hoſtis, in Ægyptum extruſus eſt: & qui multos de patria ſua expulerat, peregrè periit, Lacedæmonas profectus, quaſi pro cognatione ibi refugium habiturus: & qui inſepultos multos abiecerat, ipſe & illamentatus, & inſepultus abiicitur, ſepultura neq; peregrina vſus, neq; patrio ſepulchro participans. ſunt enim principibus improbis etiam inuiſi ſcelerum miniſtri. Quis homo homini vnquam amicior, quam Tiberio Seianus? quis deinde magis inuiſus? quis vtroque ſceleratior? vnco tamen ducitur, & ſæuo ludibrio putreſcit; eadem procella omnes illius amicos perculit, & primæ in aula dignitatis. carnificinam Suetonius, Dion, Tacitus, deſcribunt. [n] Simile factum Plautiani Seueri imperatoris amici. Plena eſt vetus & noua hiſtoria. Sunt illis domeſticæ furiæ, quæ alios effectus excutiunt, & obliuione obſequia obliterant. Ariſtotelem conſule. [o] ad breue enim tempus concordes ſunt, quod omnia ficta ſint & adulterata, & impietas ipſa fumus. [p]

n in Tiberio.

o Ethic. 6. c. 9.

p Auguſtinus.

§ 3.

Cur breuis impiorum amicitia.

Cauſam breuis amicitiæ, quæ inter principes & miniſtros eſt, ſi nouerimus, facile ſubmouebimus. DEO qui inimicus eſt, non eſt principi diuinitatis imagini amicus. Si principem non diligit, nec ab eo amatur, niſi decepto, breui fraudulentia amatur, inquam, errore principis, qui mercenariam ſibi ſeruitutem & doloſa obſequia neſcit ingeri. Pectora vtrinq; in abdito latent, donec aliquando DEVS recludat.

Amor ſupernaturalis & naturalis.

Duplex amor eſt proximi, primus ſanctorum, qui ſupra naturam eſt, cuius fundamentum eſt immortale, DEVS ipſe: hic amor in improbis non eſt: facit enim ſanctum & filium. DEI Supereſt igitur amor duntaxat humanus, qui quamuis gratuitus ſit, & amicitiæ, non concupiſcentiæ, fragili tamen vinculo continetur. quem autem amore diuino per Spiritum ſanctum in corda noſtra diffuſo, & propter DEVM ipſum diligimus, eum ſimul cum DEO amamus, facile in a-

in amore conſtantiam tenemus, eandem quam in amando DEO: nam qui fratrem amare ſic deſinit, à caritate DEI excidit: hic enim amandi cauſa inuariata atque æterna permanet, auxilium etiam eſt à Spiritu ſancto ſtabile, quod de illo amore DEI Paulus profitetur. [q] *Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?* caritati fratrum & principum conuenit. vt enim ſancti Deum tribulatione, fame, gladio ferientem amare pergunt, ita miniſtri innocentes & boni regem ſuum amant, & conſtanter amant: non enim poſſunt DEVM amare, & regem ſuum non amare. [r] *Certi ſunt enim, quia neq; vita neque Angeli, neq; principatus, neque virtutes, neq; inſtantia, neque futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit eos ſeparare à Charitate DEI, quæ eſt in Chriſto IESV Domino noſtro.* Non eſt eadem vis amoris humani, ſed illo quælibet offenſa, quoduis vitium potentius eſt, & vt experientia docemur, cupiditatum interuentu amicitiæ in dies ſoluuntur & rumpuntur. Amor noſter noſtrum pondus eſt, quo ferimur. [s] ideo grauiore pondere eleuatur & excutitur. Signum breuis amicitiæ tot verborum blandimenta, cærimoniæ & geſtus, quos frequenter leue verbum excipit & abſcindit, ſuccedit abalienatio, vindicta, duellum. Cur autem amor humanus ſit imbecillis, cauſæ ſunt innumeræ. De amore concupiſcentiæ nihil opus eſt dicere: non eſt ille verus amor, ſed cupiditas, quo fundum, equum domũ amamus. Sic venator ceruos, apros, aquilas amare dicitur, non tamen diligit, quia illorum morte ſua oblectamenta quærit. Quantis impuri ſenes amoribus Suſannam ardebant? [t] Infeſtiſſime tamen oderant: nam ſumma cum infamia totius familiæ damnabant innocẽtem, vultum orantis detegi iubebant, vt libidinoſo, ſed crudeli pereuntis aſpectu fruerentur hic amor & odiũ: amor ſui, odium proximi. De amore igitur humano loquor, quo principẽ amant nõ ſui, ſed

Amor ſanctorum.

q *Rom. 8. 35.*

r *Rom. 8. 38. & 39.*

Amor humanus debilis.

s *Auguſt.*

t *Dan. 13.*

Digitized by Google

principis cauſa, amore gratuito, quo illi bene volunt vt illi, non ſibi bene ſit, qui in improbis eſſe poteſt, diuturnus eſſe non poteſt: cum illo enim iunctus eſt ardentiſſimus amor ſuiipſius, cui ſi rex obſtet, ſi alius plus adiuuet, protinus deſinet. nunquam igitur adducetur, vt ſibi male eſſe quam principi malit. Deinde vitioſa eſt natura, minimo malo turbatur, iras & amicitias in horas ſumit & ponit. Amor Diuinus in quibus viget, illi ſuccincti lumbos, muniti pectus, ocreas calceati, ad obſequia habiles ſunt promptiq;. quos ſolus hominis affectus de naturæ conſortio mouet, ſimiles ſunt pueris, qui ſuo marte ingredi nō poſſunt, ſerperaſtris & adminiculis inſiſtunt, magno conatu parum promouent vt conſtantes ſint perpetua benignitate, donis ſpe infinita fulciendi ſunt. Quin & illud cōſiderandum, principem amandum quidem, vt propter ipſum bene velimus illi, nō in illo tamen ſiſtendum, ſed velle oportere vt illi bene ſit propter DEVM. Hoc fine deſtitutus eſt amor impiorum, eaq; cauſa nec bonus ipſe, nec abſolute ſecundum naturam, ideoq; breuis, & euanidus, nam rex non habet, vt ſui duntaxat cauſa diligatur, cum cauſas aliquando aliquas, perſæpe multas habeat vt non diligatur. quæ etiam nimium in proceribus ſunt frequentes. Fieri autem non poteſt, vt ſincere, conſtanter, ex animo ob cauſas iuſtas odiorum amemus. qui autem amori ſuo finem non poſuit DEVM, in homine cauſas perpetui amoris raro inueniet. Aulica verba ſunt: opes, vitam, ſanguinem, omnia lubens volens principi impendam, præ me meiſque illum diligo, amanter, magnifice; intimos tamen conſcientiæ receſſus inſpice, cauſas expende: ſi poſtulata negauit, ſi alium prætulit, ſi reprehendit, ſi multam dixit, ſi mouit officio, omnia querimoniis perſonant, abitum meditantur, & quia dicere in principem, cui in manu eſt male facere, intutum iudicant, iram in conſiliarios, & maledicta conuertunt.

Amor gratuitus.

Amor humanus fulcitur donis.

Rex propter Deū diligendus

Voce

§ 4.

Voces illæ de peſtilente corruptæ naturæ ſcaturigine ebulliunt. Non parcam noſtris temporibus, parcam tamen magnis nominibus viuorum, quos videmus tanquam in ſcena regibus illudere, & venditatione amoris ſui integras prouincias explicare, nulli vero amico aditum ad explicandam veritatem permittere. Credunt reges & pereunt; quod orbis clamat, ſoli neſciunt, aut vni, aut paucis obnoxij, nota iam humani generis calamitate, qua fit, vt pecudum ac beluarum rebus publicis ciuitas rationis & conſilij particeps ſit infelicior. Amor autem in homine vinculum eſt voluntatis, quod vitia dirumpunt, in beluis naturæ nexus, quem nulla feritas diſſoluit. Leunculis ſuis blandum mater immurmurat, ſimia catulos arcto cõplexu ſtringit, vrſa lambendo format, tigris fœtus ſuos deamat, anguibus etiam cura prolis eſt. Nunquam fallit indolos ferarum. bonum earum à natura eſt, optimum & ſtabile. Humanus animus poſtquam corruptus eſt naturam violat & vltra beſtiarum ingenium efferatur. Cain in fratrem, Abſolon in patrem, Ptolomæi in fratres, ſimul & patres, imo & matres ſæuiunt: fratres enim quaſi ex more, & iure trucidabant. Antoninus Caracalla parentem non ſemel occidere annilus eſt, vincente naturam regnandi libidine. Pœna illa fuit iniquiſſimæ perſecutionis, quam familiarium illius ſæuities accendebat. non tamen illis profuit Cæſaris amicitia, & criminum par commercium, parentis amicos Caracalla omnes interfecit, ne vno quidem reliquo. [u] Alexandinorum etiam multa millia ob leuem irriſum occidit, quos habebat amiciſſimos. Summa gratia Imperatorum, & quæ inde ſequebatur potentia floruerunt Byzantij Aſpar & Arduburius, mox à Leone menſe adhibiti. [x] comiterque habiti, crudeliter mactati ſunt. Leonem illi coluerant, in gratiam redierant, ſed odiis vtrinq; ardebant, Leo facinus occupauit; adeo vt Arduburius Aſpari exprobraret, quod non

Ficto amore reges produntur, prouinciæ expilantur.

Caracalla patrem occidere conatus.

u *Lamprid.*

x *Zonaras.*

Aſpar, Arduburius.

Digitized by Google

prius Leonem interemiſſet, quam eos ipſe menſæ apponeret.

Nunquam igitur fuit, nec inueniri poteſt diu erga improbos caritas, nec ſperari poteſt ab improbis. In vniuerſum, omnia eorum ſunt inſtar puncti; ad ſe omnia referunt, aliena cauſa nihil perficiunt.

Cap. XV.

Bonos in aula euehendos, malis nihil committendum in republica.

¶ I.

Daniel bono promouet.
a c.2.49.

DAnieī facto & dicto oſtendit, quanta cura ſit adhibēda, ne ad imperia & faſces improbi aſſumantur. ipſe collegas ſuos virtutis probatæ promouet. [*a*] *Daniel autem poſtulauit à rege; & conſtituit ſuper opera prouinciæ Babylonis, Sidrach, Miſach, & Abdenago: ipſe autem Daniel erat in foribus regis.* Nabuchodonoſor in cōſpectu ſuo ſtare voluit illos, quos ſapientia commendaſſet, vt Daniel exponit. [*b*] *pueros, in quibus nulla eſſet macula, decoros forma, & eruditos omni ſapientia, cautos ſcientia, & doctos diſciplina, & qui poſſent ſtare in palatio regis, vt doceret eos literas*, & linguā Chaldæorum. Nouæ Monarchiæ tuēdæ Darius quoq; bonorum virorum præſidia quæſiuit, ipſumq; inprimis Danielem. [*c*] *Igitur Daniel ſuperabat omnes principes & ſatrapas: quia ſpiritus DEI amplior erat in illo. Porro rex cogitabat conſtituere eum ſuper omne regnum: vnde principes & ſatrapæ quærebant occaſionem vt inuenirent Danieli ex latere regis: nullamq́; cauſā & ſuſpicionem reperire potuerunt, eo quod fidelis eſſet, & omnis culpa & ſuſpicio non inueniretur in eo.* Magna clades Reip. mali iudices & præfecti. docet hoc Propheta. [*d*] *Et conſtituti ſunt de populo duo ſenes iudices in illo anno: de quibus locutus eſt Dominus: quia egreſſa eſt iniquitas de Babylone à ſenioribus iudicibus, qui videbantur regere populum.* Adhuc Sionis cineres

b c 1.4.
c c.6.3. & 4.
d c.13.5.

Digitized by Google

neres & templi parietes calebant, nondum ſeruitutis ſuæ mala omnia cognorant, cum barbara libidinum & crudelitatum exempla produntur. Quales eos in ſuperbia Sionis, in deliciis volibamæ & vollæ fuiſſe putandum eſt, quorum effrenatas cupidines nec exiliũ nec paupertas, nec publica ſeruitus continere potuit? Principum eſt officium, virorum inſignium electio. Quapropter ipſe Nabuchodonoſor tantæ monarchiæ dominus, ephebos aulicos in conſpectum adductos examinat, illis ipſe loquitur, ſciſcitatus eſt ab eis verbũ intellectus & ſapientiæ, & in Daniele inuenit *decuplum ſuper cunctos ariolos & magos, qui erant in vniuerſo regno eius.* Laudatiſſimum factum regis iniuſti, magnum laboris exigui emolumentum! Quis regi Danielem & ſocios exules, captiuos, quibus nullus in aula fautor, nullæ opes, nulli potentes amici, commendaſſet? Quis referre auderet peregrinos pueros omnibus regni ſapientibus eſſe decuplo ſapientiores? Quis tanto ſe odio oneraret? Notos, diuites, cognatos, affines, beneficos laudaſſent. nunquam rex vera audiſſet, niſi ipſe examẽ præſens inſtituiſſet.

Iſraelis malicia.

Chaldæus ipſe ſuos aulicos examinat.

Imitamini reges: vobis, non aliis credite: pereunt regna, dum ſine delectu præficiuntur indigni. Hoc autem fit regum incuria, dum poteſtatem illis committunt, qui ſibi commodos, non publico ſeligunt. Nemo facile regi commendat, ſibi præferendum. An ſi Nabuchodonoſor à ſapientibus Babylonis poſtulaſſet, vt ſibi proponerent, quem ſibi principem dari vellent, credibile eſt Danielem iuuenem, peregrinum, captiuum petituros fuiſſe? Qui idoneos quærit, eam cæterarum rerum rationem tenebit, vt ſemper ſua ſit prærogatiua virtuti.

Daniel ſe regi commendauit, non alius illum laudauit.

§ 2.

Principes ergo ſuo iure vti ſaluberrimum eſt, ne aulici conſilio & arte munus ad ſe trahant, quod omniũ eſt maximum, & publica pernicies, cum reges habere magiſtratus coguntur, non quos ipſi vellent, ſed quos

Digitized by Google

munera, fauor ſanguinis & nuptiarum lenocinia conciliarunt. Nulla res grauiore commendantium culpa, maiore principis damno peragitur, & ferè eorum, qui auctores honorum illis ſunt, rubore, aut etiam detrimento. In omni negocio bonorum cura ſuſcipienda eſt, fouenda virtus; nam & hoc DEVS facit. qui bono præterito deteriorem eligit, Deum ſpernit. Quis principis hoſtem extollere, amicum eius deiicere auſit? Palam ſimultatem cum æterno numine ſuſcipit, qui filium DEI per contemptum omittit; dæmonis mancipium ſeruis DEI præficit. Bonus igitur vir quæratur: vir bonus ſemper eſt ſalutaris, vt benè Menander. Vir bonus eſt imago DEI illuſtrior. nemo regum atria ſua informi imagine ornari putat; eruditam manum quærit, Apellis, Dureri, Michaëlis, aliorum, quorum opera precium habent, & cum admiratione ornatum. Vt fucus in parietibus & aulæis pendeat picturatior & conſpectior, cura principum facit; vt imagines viuæ ad immortale prototypum à ſancto ſpiritu illuſtratæ in palatio fulgeant, vt cœleſtis dexteræ miniaturam oſtendant, princeps non ſatagat? Rari ſunt viri boni. raros dico: Diogenes, *nuſquam bonos viros, Spartæ bonos pueros* dixit. credo ego, nec pueros illic bonos, quia fures. Rari ſunt, erunt tamen ſat multi, ſi boni quærantur. nunc officia viris, non viri magiſtratibus quæruntur. Nemo ad magiſtratū promoueatur eo ſolum fine, vt illi benè ſit, ſed vt ſubiectis. Neminem facilè commendaueris.

Boni promouendi.

Proceres ne facile commendent.

Si quem commendes, etiam atq; etiam aſpice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem. [f]

f *Horatius.*

Addendum eſt, quod ille neſciuit: ne tibi & illi adferant damnationem, etiam atque etiam aſpice: vt enim de Philoſophis non ex ſingulis vocibus, ſed perpetuitate & conſtantia iudicamus, ita de aulicis quoque ſtatuendum eſt: [g] in illis non modò virtus, ſed probata & ſtabilis virtus ſpectanda eſt. Henricus ſanctus, (alij Aucupem eſſe malunt) vt narrat Andreas Brun-

g *Cicero 5. Tuſcul.*

Digitized by Google

nerus: [*h*] Leopoldo Auſtriæ præfecturam facili de cauſa dedit. Hiſtoriam his verbis recenſet auctor: *Hic ergo Leopoldus cum Ephebus etiamnum Cæſari (quem Henricum Aucupem alii annales faciunt) venanti olim, & prædæ ſtudio longius à comitibus abrepto vnus omnium latus tegeret, euenit, vt Cæſari telum in deſtinatam feram libranti, in illo ipſo articulo, arcus rumperetur, triſtiore, quam pro iacturâ, infortunio; quod antequam deteſtari Cæſar poſſet, Leopoldus correxit, ſuo arcu, vt erat intentus armatusq;, in tempore ſubiecto; hunc cum in feram fœliciter laxaſſet, laudatâ officioſi iuuenis ſolertiâ eidem pollicitus eſt, quæ prima prouinciarum rectore orbaretur, illius imperium nauatæ operæ præmium illi ſe potiſſimum conceſſurum: Anno nongenteſimo vigeſimo octauo, cum Rudigerus de Pechlaria Orientali Limiti præfectus deceſſiſſet, magnisq; ſtudiis pro ſe quisq; Palatinorum niteretur, Leopoldus promiſſi Cæſarem commonefacit, isq; extemplo competitoribus omnibus antelatum voti ſui damnauit.* Facilè excuſari Cæſaris facilitas poteſt. Viderat in iuuene virtutes magno imperio pares, pietatem, iuſtitiam, fidem, induſtriam, magnanimitatem, qui maximas deinde res geſſit, & mortuum omnes prouinciæ luxerunt. Promiſſionis ergò cauſa fuit, non regiæ voluntatis officioſa ſolertia: iam ante enim animo deſtinarat tantæ virtutis operâ, cum ſe occaſio ferret, vti. Non igitur temerè imitari oportet, quod ille prudenter fecit; ſed laborandum, vt ſpectatæ virtutis præſides prouinciæ imponantur, nec alij commendentur.

h *l.* 9. *Bauaria pag.* 689. *Chronic. MS. Biblioth. Caſar. Reichard. Streim. Thom. Haſelbach.*

Non facilè danda præfectura.

§ 3.

Non mirum eſt interdum malos eligi miniſtros; mali enim eliguntur & reges. Saulem è cœlo deſignatum, [*i*] regno corruptum, [*k*] bonis infeſtum, [*l*] ſua manu occidiſſe, [*m*] lego; deinde Hieroboamum, qui peccauit, & peccare fecit Iſraëlem, cum ſtirpe exciſum, [*o*] Azaëlem à Domino vnctum carnificem Iſraëlis. [*o*] Nec opus exemplis, Pharaones, Necaones, Nabuchodonoſores, Cyri, Alexandri, Julij, Soliman-

i 1. *Reg.* 10.
k 1. *Reg.* 13.
l 1 *Reg.* 17. & 18.
m 1. *Reg* 31.
n 3. *Reg* 23.
o 3. *Reg.* 19.

Reges mali quare dati. ni, Tamerlani, in funera humani generis nata portenta, latiſſimè regnarunt. clades illas expoſcunt hominum ſcelera, vt eluuiones, ſiccitates, terræ motus, incendia, bella, peſtes, in vltionem criminum mortales abſumunt. Non nouum igitur, & bonorum, & malorum malos eſſe miniſtros. Byzantij viro ſanctiſſimo quærenti, cur Phocam DEVS hominem nequiſſimum ad imperium peruenire paſſus ſit, oraculo reſponſum eſt: deteriorem non fuiſſe: Conſtantinopolitana ſcelera talem mereri vindicem. Daniel etiam de Seleuco, qui Philopator dictus eſt, prophetat: [p] *Et ſtabit in loco eius viliſſimus, & indignus decore regio: & in paucis diebus conteretur, non in furore, nec in prælio.* Ille nec ingenio, nec valetudine par ſceptris, duodecim annos regnauit, nulla re quam tentato ſacrilegio nobilior. [q] Illi etiam indignior ſucceſſit, Antiochus nobilis, cui ex vita moribusque Epimani, *furioſo* nomen fuit, quem ſæpiùs Daniel deſcribit. [r] *Et ſtabit in loco eius deſpectus, & non tribuetur ei honor regius: & veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia.* Romæ obſes quaſi in carcere fuit. Demetrio fratris filio regnum ſimulatione clementiæ pręripuit, tardè illi datus honor regius, crudeliter in Eccleſiam ſæuiit, vt teſtatur Scriptura ſacra. [s]

p c. 11. 20.
q 1. Maccab. c. 3.
r c. 11. 21.
s Dan. 9. & 11. 1. Macc. 1. 11. & ſeq.

Polybius & Athenæus eum cum viliſſimis artificum commeſſari, publicè ſcortari ſolitum tradunt. Cum igitur tales ſunt reges, quid mirum, ſi auctoritatem vitioſæ poteſtatis ſequuntur miniſtri? Commodus quidem ſe, ſi haberet filium, ſuis moribus inſtructurum dicere ſolebat. Sunt in aula vix boni iuuentæ doctores. Phœnix Achillis, filiorum Crœſi Adrapas, Philippi Mneſitheus, Leonidas Alexandri, vitiis omnes turpati, celebresq;.

§ 4.

Graui crimine mali promouentur. Deplorare igitur exitiabile magnatum crimen licet, quia emendari non poteſt: ſuperbos, auaros, indignos,

dignos, clientes, ſocios prædæ, facinorum conſcios, dilaudant, & rebus imponunt, meliores deiiciunt, aut præpediunt. Regum ignorantia & negligentia abutuntur. nullus, calculo eorum, vlli parti adminiſtrandæ idoneus eſt, niſi ſit ex factione, quæ principi & legibus illudit. hoc eſt lupum ouilibus, aprum hortis, ſerpentem familiæ immittere. poſtulant ſubditi iudicem, accipiunt prædonem. eget defenſore patria, latro immittitur. legibus datur executor, illas ipſe ad miſerorum fortunas euertendas arte detorquet. Tantorum malorum cauſa eſt. quisquis auaritiam factumque armauit, furenti gladium dedit. Cupiditates enim amentes & efferæ res ſunt, quas vbi poteſtate armaris, qua data porta ruunt, lateque dant ſtragem, metu non corriguntur, occulunt crimina, amant vitia principum, ſua defendunt; oriturque in Repub. confuſio, cui nec reges mederi poſſunt. Exultat fœlix improbitas peſſimorum, & optimorum calamitati proterua inſultat. Exempla è monumentis non quæro, oculis inuitis ſe quotidiè ingerunt. ſi lege aliqua aut timore paululum improbitatem cohibeant, coactum tamen bonum eſt, ideoque infirmum, mox vbi metus ceſſit, velut arcus remiſſus, ad naturam redit. Non ſunt illi niſi ſui cauſa boni, ideo ſemper mali, regibus infidi, bonorum oſores & irriſores. *Improbis nihil committendũ.*

§ 5.

Nihil facilè vlla in parte committendum eſt improbo. In eius poteſtate quicquid poſitum eſt, in medio periculo eſt, nihil enim perniculoſius eſt mala voluntate. Ne ad breue quidem tempus. *Eutropius.*

Nullum ad nocendum tempus anguſtum eſt malis.

vt verè Seneca. [t] Eutropius improbus, auarus, ſummæ tamen potentiæ, in palatio Cæſaris aſſidens, illo inſcio totam Aſiam vaſtauit, opesq; in arcas ſuas egente Imperatore congeſſit. [u] Res monſtri ſimilis, ne minem

t In Medea.
Rufinus.
u Claudianus in Eutrop.

Sozom. Niceph. minem fuiſſe, qui Cæſarem moneret, aut Cæſarem faſcinatum non crediditſſe. Sed ille partim metu, partim largitionibus ora occluſerat, donec flagitioſè parta cum ſanguine refundit. Rufinus vir improbus & potens, Thermopylarum anguſtias Gerontio tradidit & Marico, qua ſe barbari in imperium infuderunt. *Stilico Ricimer.* Stilico Alaricum incluſum emiſit, Eucherio principatum ambit. [x] Pari improbitate Ricimer pro ſua vtilitate, nunc defenſor, nunc proditor imperij. [y] Sic Arbogaſtes ex duce parricida. [z] Sic Gainas ſtipendio Cæſaris exercituque potens, & ſpoliis prouinciarum opimus, in Dominum vertit arma. [a] Baſiliſcus Romani ductor exercitus, claſſem mille & centum nauium in gratiam Aſparis & Ardaburij Genſerico tradidit, militum ſuorum ex Imperatore proditor. *Arbogaſtes, Gainas. Baſiliſcus.* Euentus & ſcelera illa iam antè præſaga ſigna præceſſerant, impietas & Atheiſmus, DEO & Societati hominum inimica, & par illis malis ſuperſtitio. Sanè Bozius [b] regna & prouincias Chriſtianorum, tum demum barbarorum ferreo iugo oppreſſas fuiſſe demonſtrat, cum reges & miniſtri eſſent improbi, & prouinciæ hæreſibus infectæ. Atque vtinam Græcia, atque ora illi finitima poſtremum ſit exemplum. *Iulianus comes.* Improbus Julianus in Hiſpania comes, ab impio reges laceſſitus Arabes aduocat, annos octingentos prouinciam illi tenuerunt, & noſtro etiam æuo pericula auxerunt. [c] Quod de republ. principibus, idem quoque magnatibus, & in Repub. & rebus priuatis dictum velim. Olim Romanum in Occidente imperium euerſum eſt non peſſimis imperatoribus, ſed præſidibus & aulicis ſceleſtiſſimis, quorum tam auara, tam cruenta tyrannis erat, vt Chriſtiani, & ciuili cultu educati, ad barbaros, ad infideles, Gothos, Francos, Hunnos transfugerent: *Pereunt regna cũ mali aulici. De Gubern. Dei.* Barbarorum ſuperbiam & iniurias, quam exercitatiſſimam Cæſareanorum crudelitatem, mitiores rati. Quæ omnia ad improbitatis deteſtationem, & inſequentium ſæculorum exempla Saluianus veris lachrymis deplorat.

x *Sozom. l.9.c.9.*
y *Caſſiod. in Chronic.*
z *Ambr. Sozom.*
a *Socrates l.6.c.6.*
b *De ſignis Eccl.*
c *Mariana in Hiſpan.*

Quæ

Digitized by Google

Quæ ne etiam nobis deploranda ſint, omnium regum, principum, magnatumq́; cura, vigilia, ſumptuq́ue cauendum eſt.

§ 6.

Cur autem negocia, ſeu priuata, ſeu publica, non ſint impiis & ſceleratis committenda, primaria ratio eſt, quod illi, quantacunq; dexteritate, verſutia, laborumq́; tolerantia valeant, minus idonei ſunt ad gerendas res præclaras; & qui vtuntur opera talium, tandem falluntur, & exitus habent infelices: non enim ſunt ex genere eorum virorum, per quos ſeruare populum ſuum DEVS conſtituit. Doctrina vera eſt, quam ſanciunt quotidianæ calamitates, & S. Spiritus nobis denunciat. [d] Cum æmulatione gloriæ, non vtilitate patriæ Joſephus & Azarias contra Judæ imperium in pugnam egreſſi eſſent, cum clade in fugam acti ſunt. *Faciamus*, inquiunt, *& ipſi nobis nomen, & eamus pugnare aduerſus gentes, quæ in circuitu noſtro ſunt. Et præcepit his, qui erant in exercitu ſuo, & abierunt Iamniam. Et exiuit Gorgias de ciuitate, & viri eius obuiam illis in pugnam. Et fugati ſunt Ioſephus & Azarias vſq; in fines Iudææ: & ceciderunt illo die de populo Iſraël ad duo millia viri, & facta eſt fuga magna in populo: quia non audierunt Iudam, & fratres eius, exiſtimantes fortiter ſe facturos. Ipſi autem non erant de ſemine virorum illorum, per quos ſalus facta eſt in Iſraël.* In DEVM namq; contumelioſi ſunt, qui improbis committunt honores: ſalutari enim DEI concurſu, auxilio, gubernatione, omnibus in negociis egent, ipſi inſtrumenta ſunt duntaxat, & cum DEO operantur. at DEO ſocios operum inſignium adiungere, qui DEVM oderint, quosq; DEVS oderit, qui DEI in ſe gloriam deriuare ſtatuerint, qui ita impuri ſint, vt tanquam inſtrumenta idonea à DEO tractari non debeant, quibuscum Angelus Domini ambulare nolit, hominis eſt DEVM ſpernentis. Si ad vicinam Rempub. aut principem legatus mittendus ſit, ſtudioſè inquiritur, qui familia-

Improbi non ſunt electa ad ſalutem inſtrumenta.

d 1. *Macc.* 5. 57. & *ſequent.*

Deum ſpernunt, qui improbis miniſtris vtuntur.

miliaris gratusque ſit, ſi quis ſapientia & virtute polleat; ſi tamen illis ad quos legatio adornatur, ſit inuiſus, ad perficienda negocia aptus non cenſetur. nam in ſuam contumeliam accipiunt, ſi ad pacem, ad fœdera facienda, ad affinitatem contrahendam legetur inimicus; quin imò contaminari ſe improborum hominum conſortio arbitrantur. Quantum homini, tantum numis tribuamus, ſi res noſtræ illius fauore & adiutorio conſiſtere, & ſucceſſus habere debent, ne adminiſtrum illi obtrudamus, quem deteſtetur, qui gratiam creatoris excludat. Juſtum Achab contra Syros gerebat bellum, ſed in eo tamen decipi, & inimicum ſuum cadere voluit. [e] Quod ſi rem ipſam videamus, luce meridiana clarius experiemur, nunquam improbos rebus gerendis ſine ſua vel publica clade adhiberi, non modo, quia ipſi inconſtantes, infidi, ſtulti ſunt (inconſiderata eſt enim malitia, vt Menander docuit) ſed quia ſummo orbis rectori magna iniuria irrogatur, cum homini ſceleſto, vt opituletur, & negocia noſtra per illum explicet, oramus. Grauiſſimè hoc in genere peccant, illi, qui Epiſcopos, Prælatos, non probatæ vitæ vel conſtituunt, vel eligunt, & ſcortatoribus, adulteris, potatoribus ſponſam Chriſti committunt. Profana illa ſcelera, contemptusque DEI tot Eccleſiis calamitates inferunt, non ceſſaturas, niſi cauſa mali ſublata. Atque hac in cauſa à peccato neminem excipio, non reges, non principes, non conſiliarios, non laudatores, non interceſſores; ſiue domi, ſiue militiæ reſpublica adminiſtretur. Bona ſæpe cauſa opprimitur, quia mali, quibus illam reges committunt, puniendi veniunt.

e 2. *Reg.* 18.

CAP-

Cap. XVI.

De duplici ſpe Aulicorum, & procerum, & errore ſperantium.

§ 1.

HAud facile vllius vota damnarim, nec ſpem, quâ dulces ſolantur ærumnas, culparim; illa inter tot mala vnicum eſt bonum miſerorum, & mundo fluctuante portus: hanc ſi reſeces, virtutem & induſtriam ſimul exſtinxeris. Spes tamen eſt ſomnium vigilantium, in aula præcipuum ludibrium, etiam ſapientium iactatrix. Toto errat illa mundo, auara voti, credula meliorum, nuſquam maior, fidentior, ſed nec vanior, quam in domibus regum, illa vinctos, foſſores, remiges, ægros ſolatur, & alit, & ſeu vere, ſeu falſo *Spei bona & mala.*

Melius cras fore ſemper ait.

ſeque dum conſumat ipſa erigit, atq; animat. Rerum omnium communiſſimam dicebat Thales: [a] Illam enim habet, qui nihil habet. *a Laert. in Thalete.*

Illa ſedet tectis, celſis laquearibus errat,
Et mox in gelido marmore nuda ſedet.
Spem paries ſpem vela tenent, ſpem ianua ludit,
Sorsq; leuat celeri præcipitatq; vice.

Hæc vbiq; fallax, in aula fallaciſſima, imaginationibus indulget, & ſterili labore deſtituit hiantes.

§ 2.

Error male ſperantium grauis eſt, & pernicioſus, Non qualis in atheis, & numinis contemptoribus, ſed in illis, qui ab impietate ita receſſerunt, vt nondum fidei, & ſanctitatis myſteriis ad plenum ſint imbuti. Hinc magnarum cladium ſcaturigo. Suprema illa bona, quibus beatitudo noſtra ſolis conſtat, quæque ad illa deducunt, munera gratiarum ac virtutum, nemo non à Deo ſperat, & precatur, cui enim Deus cognitus eſt, & cui ſalutis curam gratia redemptoris impreſſit, *Gloria & gratia à ſolo Deo.*

non

non niſi à ſolo Deo poſtulat vitam æternam. Hanc enim tam dare non poſſunt reges, quàm nec habere poſſunt. Hæc vera ſpes eſt, & ſanctorum: nunquã deſtituit, nunquam fallit. Etiam mortis victrix & contemptrix:
b *Iob.13.* Hac, in tormentis ſtetit inuictus Jobus. [*b*] *Etiamſi occiderit me in eum ſperabo.* Huic Salomon felicitatem ad-
c *prou.16.* ſcribit. [*c*] *Qui ſperat in Domino beatus eſt*, ideo autem
d *Ierem. 17.* beatus, *quia benedictus vir, qui ſperat in Domino.* [*d*] Benedictio enim Dei felicitatis eſt effectrix, non ſollicitudo, & turbulenta hominum diſcurſatio. *Saluabitur enim qui*
e *prou.25.* *ſperat in Domino*, vt Salomon pollicetur. [*e*] Nec ſpes longinqua ſi Deum amas. Hæc igitur extra controuerſiam ſpes eſt: quæ enim à ſolo Deo donari poſſunt, à ſolo ſperanda ſunt, verum non eadem mens pleriſque in illis quæ caduca, peritura, & plerumque nocitura ſperantur. Nimirum illa & à Deo, & à rege ſperantur.

A rege quomodo ſperent bona.

Sed ordine præpoſtero à ſolo pene principe petuntur: itaq, ſæpe faciunt, quæ Deo diſplicent, vt principem habeant propenſiorem, quod aliud non eſt, quam Deo inuito bonum velle conſequi. Hic vel precibus Deum non ambiunt, vel negligentius, quaſi Cæſaris candidati. Cœlum cœli Domino terram autem datam filiis hominum dictitant, ponunt carnem brachium ſuum, ſperant in principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. Ne corporum quidem ſalus: nec enim illi ad ſtaturam cuiuſque adiicere poſſunt cubitum vnum, nec ad ætatem horam vnam. Honorem & nummos

Externa dat Deus.

adiicere poſſunt, non efficere, vt ſint vtilia. Hæc enim quæ cupidis altera anima videntur, non niſi Dei prouidentia diſpenſantur, quæ ſi Deo non probante principum temeritas dederit, accipienti ſunt noxia. Deus eſt qui paſſerum plumas, & capillos noſtros numerauit, non membra modo viſcera, & oſſa, ſed capillos quoque, vt oſtendat, quicquid dignitatis, at opum ſeruis Dei obuenit, cœleſti ſenatuſcõſulto mandari, reges miniſterium duntaxat præſtare & ſcribundo adeſſe.

Hoc

§ 3.

Hoc Daniel, hoc Danielis diſcipulus Nabuchodonoſor publico diplomate promulgat, oſtēditq; Deum ex rebus deſperatis viam aperire ſecundis, & ſuperbiā ex proſperis ortam ſubita calamitate conuellere. Quis Danieli & ſociis dedit, quod legimus. [f] *Poſt dies autem decem, apparuerunt vultus eorum meliores & corpulentiores, præ omnibus pueris, qui veſcebantur cibo regio.* *Deus Danieli & ſociis omnia aedit.* f c.1.15.

Quis eius ſocios in fornace defendit, vt rex & principes mirarentur. [g] *Quoniam nihil poteſtatis habuiſſet ignis in corporibus eorum, & capillus capitis eorum non eſſet adustus, & ſarabala eorum non fuiſſent immutata, & odor ignis non tranſiſſet per eos.* Tu omnia moliris in terra, ſupplicas omnibus, etiam æmulis, etiam idem petentibus, cœlum non reſpicis, quaſi illi non ſit cura tui, quaſi non ſit poteſtas in te illi. Non dicuntur illa quidem, ſed tamen ita agitur, quaſi præparentur. à Deo illa omnia pendent: *Videbam,* inquit, rex, [h] *in viſione capitis mei ſuper ſtratum meum, & ecce vigil & ſanctus de cælo deſcendit. Clamauit fortiter, & ſic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos eius: excutite folia eius; & diſpergite fructus eius. Verumtamen germen radicum eius in terra ſinite & alligetur vinculo ferreo & æreo, in herbis quæ foris ſunt, & rore cœli tingatur, & cum feris pars eius in herba terræ. Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei: & ſeptem tempora mutentur ſuper eum. In ſententia vigilum decretum eſt, & ſermo ſanctorum, & petitio: donec cognoſcant viuentes, quoniam dominatur Excelſus in regno hominum, & cuicumq; voluerit, dabit illud, & humillimum hominem conſtituet ſuper eum. Hoc ſomnium vidi ego Nabuchodonoſor rex.* & omnes tam qui ſperant quam qui donant, pari ſunt iure, & loco, vt diplomate regio ſcribitur, [i] *Quia poteſtas eius poteſtas ſempiterna, & regnum eius in generationem & generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati ſunt: iuxta voluntatem enim ſuam facit tam in virtutibus cæli, quam in habitatoribus terræ: & non eſt qui reſiſtat manui eius, & di-*

g c.3.94.

Omnia à Deo.

h c.4.10. & ſeq.

i c.4.31. & 32.

cat ei : quare feciſti ? Balthaſar exercitu circumdatus vt in rebus lætis conuiuia licentioſa agitabat, eadem nocte interficitur. Hæc ad omnes pertinent, quorum ſinguli dies à vigilum conſilio dependent. Laboras incaſſum, cum potentiorum limina teris, munera expendis, à ſenatu vigilum non poſtulas, à quo non accipere modo poteras, ſed hoc etiam impetrare, ne accipias ad ruinam, quod plurimis ſolet euenire dum ex ſe quiſq; malus, ex ſolo Deo bonus eſſe non quærit. Spes Valentis Imperatoris, Ariani in exercitu erat, Arianorum in ſolo Cæſare, omnes ſectæ illius Orthodoxorum ſanguini, & opibus inhiabāt, accuſationes, & proſcriptiones componebant. Ecce ſpem in homine inſtabilem, iunceo fulcro inſiſtentem: Victus & exuſtus eſt, improbas ſpes iuſta flamma deuorauit. Prædixerat illi cladem Iſacius. Exprobrarat dux fortiſſimus Traianus, cum in Deo ſuo ſperans Valenti dixit: *Perſecutione in Chriſtianos auxilio te diuino priuaſti.*

Valens.

Iſacius Traianus.

¶ 4.

Cauſa malorum.

Gemini ſunt malorum fontes, ex quibus humanarū cladiū exeunt flumina, quæ curſu ipſo creſcentia miſeros in mare mortuum deuoluit. Primus eſt inuerſus rerum ordo, cum Deo reges præferuntur, præque Deo coluntur. Auidis opum venerabilior lare diues eſt, ambitioſo rex idolum eſt. Cum enim ſint acres diuitiarum, honorum, voluptatum cupiditates, vndecunque harum rerum ſpes affulſit, eo mētis acies & nerui affectuum intenduntur, cæterorum in ſecundis cura eſt. Veri namq; boni eſt remiſſior appetentia, quia longe abeſſe putatur, & facile haberi. itaque illa animi inductione plerique hominum ſpes ſuas perſequuntur, & Deo inſalutato atq; inconſulto ad voluntates hominū ſibi demerendas ſe cōferunt, Dei munera vel negligunt, vel poſt nūmos quęrenda iudicant, alterū flumen magis etiam nocet letalis vndæ plenum, ſolum illi corporum officia ſe regibus præſtare iactant, in animos nihil illis eſſe iuris, vitæ rationem Deo reddi, atque ita hanc

Sine Deo res ſuas promouere ſtultum eſt.

Digitized by Google

hanc vitæ licentiam ſibi præſtruunt, vt nec Deo, nec regi fidem præſtent. Vehementer vtrique errant, cœli tantum Dominus eſt Deus, ſed terrarum quoq; qui ſolem oriri ſtillare rorem, frondere ſyluas, virere prata, germinare ſpicas iuſſit, nec ſpem agricolæ fruſtratur auari, ille quoq; res tuas diriget, in eum ſpera cuius auxilio ſpiras. Non fecit hoc rex temulentus, cui nequitiam Daniel morituro exprobrat. [k] Deus tibi principem poteſt beneuolum reddere, princeps Deum facere tibi propitium non poteſt: vt autem omnia ſub manum ſuccedant, fluxum eſt tamen à rege ſubſidium, Darius lugere Danielem, inimicos eius Leonibus obiicere potuit, liberare non valuit, vbi rex defecit, Deus adeſt, obturat ora Leonum, & vngulas includit. Suſanna quoq; vitæ, & quæ vita potior erat famæ ſubſidium à Deo petiuit. [l] *Suſpexit ad cœlum: erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.*

k *c.5.13.*

Spes in Deo.

l *c.13.35.*

¶ 5.

Sollicitudo in Deum reiicienda.

Sic igitur ſtatuendum eſt, ſi æſtus pectorum, & ſollicitudines nihil profecturas, palatiorum miniſtri in DEVM reiicerent, facile poſſe mediocri conatu rerum intricatarum labyrintho expediri. commoda enim de cœlo venientia ſentirent, quæ nunc laborioſo ſuſpirio per artes quæritant. cum grauia occurrunt, & humana ope deſtituimur ad DEVM preces conuertimus, hoc quotidiè faciendum eſt, etiam in facili negocio, nihil tam facile, quod non difficile reddatur, ſi DEO reſiſtente peragendum ſuſcipiatur: Nihil tam arduum, quod non reddatur cœleſti adiutorio pronum. Exemplum nobis Euſtachius Traiani Cæſaris familiaris, ſumma nobilitate is erat, geſtis rebus veterum cuiq; par, ereptam vxorem, liberos ablatos, DEO commendans incolumis incolumes recepit: ad priſtinā etiā dignitatē retractus eſt, nouis victoriis clarus. Tandem imperante Adriano fidei cauſa cum filiis, & coniuge in bouē æneū coniectus vegetior inde exiuit, nec alios ignis læſerat, ſed iucunde placideq; Deo animas reddi-

Digitized by Google

m *Dubrauius Syluius.* derunt. Wenceslaum [*m*] Bohemiæ ducem, cui impia mater ac frater innocenti bellum mouebant, Radislaus quoq; amicus, & dux belli exercitatiſſimus deſeruit res perditæ videbantur, & viuus tam magni viri perfidia, omnium concuſſa fides, & facta ad hoſtes inclinatio, magna erat pars militum ſub imperio transfugæ, *Singulare certamen.* Wenceslaus bellum ciuile deteſtatus, miſeratus etiam ignobilem plebis ſanguinem ad ſingulare certamen Radislaum prouocauit, omnibus rebus impar, ſola cauſa, & in Deum ſpe potior. Stabant inter vtramq; aciem, duces alterutrius ſanguine bellũ finituri, & iam in plagas intenti. omnibus in euentum arrectis, vox miſſa cœlo Radislaum perculit: vetabat enim ferire, nec ille perſtitit in propoſito, ſed numini obtemperauit, ac duci ſe ſubmiſit, fidelemq; operam præſtitit, matrem Wencesla⁹ Drachomiram in oppugnando filio obſtinatam terra hiatu fatiſcens hauſit. Aderant pio principi vndiq; auxilia de cœlo, nunquam bene ſperantem fruſtrata.

§ 6.

Ad opes properas? Saltem à Deo poſtula. Dat ille dignis, & indignis, iuſtis & iniuſtis. Danieli multa & magna munera dedit. [*n*] Cyro quoq; theſauros orbis aperuit, vt Iſaias teſtatur. [*o*] Nabuchodonoſori ingẽtia donauit. Bonifacius epiſcopus Ferentinus cum vineæ ex quibus alebatur grandine percuſſæ eſſent, nihilo ſegnius parari torcularia, & concinnari quaſi in vberem autumnum vaſa mandauit, [*p*] obediebat ſeni tanquam deliranti non ſponte œconomus. Cum iam vindemiæ tempus eſſet paucos racemos torculari imponit, modicumque muſti vaſis infundit, tum vero vberrima de cœlo benedictio deſcendit, redundabant torcularia de vite non ſua, dolia etiam replebantur, aduocati pauperes non ad racemationem, ſed plenos lacus tam miraculo, quam donis læſi domum redibant. Non eſt etiam nunc aſtrictior Dei benignitas, ad nos tarde

n *c.*2.
o *c.*40.
Deus opũ largitor.
p *Surius. Martyr. Rom.* 4. *Mai.*

Digitized by Google

tarde ad Deum imus, fontem viuum negligimus, de pertuſis ciſternis mendicamus. Quam facile eſt Deo vel ex inopino ditare? [q] Faro epiſcopus Meldenſis S. Fraciro ad monaſterium extruendum tantum terræ conceſſerat, quantum ipſe per diem foſſa circumdare poſſet. Parum poterat ſenex ætate, ieiuniis, cœtera vitæ auſteritate exhauſtus. Grato tamen animo conditionẽ accipit, circumit, ſcipione terram inſcribit, quacunq; incedit, ad tactum baculi tanquam vomeris, ſulcus ducitur, tellus ſubſidit, cadunt arbores, ipſe magnum gyrum non condendo modo, ſed alendo quoq; monaſterio efficit. Concurſu omnium ad rei nouitatem facto improbi magicis artibus cedere humum, arbores procumbere iactabant, ſed viri ſanctitas, adeoque facta admirabiliora Dei manum adeſſe monſtrarunt. Vires exoptas? Ille qui tauris & Leonibus robur affixit, tibi quoq; dabit. Sane qui [r] Julianum Martyrẽ Viennenſem ſepelierunt, iuuenile debiles robur vigoremq; acceperunt, vt ſecum æſtimarent, quantum eſſet animæ martyris datum in cœlis præmium, cum ipſis non petentibus tam præclara merces periculoſæ caritatis collata eſſet.

q *Sur. T. 7. Molanus. Martyr. Rom. 30. Auguſt. Vſuardus.*

r *Vſuardus. Beda.*

§ 7.

Fortibus Deus heroibus, qui ſupra omnem rerum mutabilium ſpem, cupiditateq; poſiti ad æterna omnẽ cogitationem, affectumq; contulerunt, contumelias tantum & tormẽta exſpectantibus, multa ſolatia præſtitit, vt omnes intelligerent benigniſſime Deum humanæ infirmitati conſulere. Siue feliciter agendæ vitæ ratione ſubminiſtrata, ſiue in aſperis ſolatio data. Cum autem omnibus plane, nullo prorſus excepto multa toleranda ſint, tu bante procella, in Deum ſpei anchora deiicienda eſt. Petendumq;, vt quod dare reges non poſſunt, ipſe ferendi animum & vires infundat. Si enim hoc in extremis, quæ nouit, & exhorret malis præſtitit in ſe ſperãtibus, nonne facile in mediocribus, etiam nobis præſtabit? qui rogos, eculeos, cruces ſuis iu-

Terrena ſolatia ſanctis data.

Digitized by Google

cundas, delectabilesq́; fecit, nonne nobis, & bona dabit, & quod ſummũ hac in vita bonũ eſt, malorũ omnium ex caritate, & ſpe tolerãtiam? Zenobius [s] Ægææ in Cilicia Epiſcopus cum ſorore Zenobia in lecto ferreo ſubiectis ignibus diriſſime cruciabatur, ſed læta conſtantia dolores ſpernebat: Diocletiano autẽ inſultanti, atq; ingeminanti: *Liberet vos Chriſtus*: reſpondit: *Adeſt ille, & mitigat dolores, ſed eum tu cæcus non vides.* Cum viſcera flamma depaſceret, animus diuino alloquio fruebatur, & ſpei ſuæ iam maturæ primitias carpebat, quas non poſſunt ſentire, niſi omnẽ ſpem in Deo habent. Antoninus [t] carnifex dum S. Euſebiũ torquet, eum exciſa lingua loquentem, angelumq́; vngulis ſulcata latera ſiccantẽ ſpongia intuetur, repente ſe Chriſtianum exclamat, & tortore martyr coronatur. Nemo tam longum à pueritia ad ſenectutẽ vſq; martyriũ pertulit, quam S. Mamas, [u] qui imperãte Aureliano agonem conſummauit, ſed nemo tanta fiducia omnia pertulit, nemo tanto gaudio delibutus vixit, vt merito feliciſſimam infelicitatẽ vocent hiſtorici. Sunt illa magna Dei opera. Ille Margaritam [x] toto corpore laceram, altera die ſanam, florentemq́; tyrannis oſtentat. Cyrillum [y] annos natum octoginta quatuor illæſum de rogo abire iubet. Julianæ nocere ignem vetat, [z] flammã de fornace excutit, in lupanari proſtitutæ pudicitiam cuſtodit, libidinum cauſa ingreſſos excæcat, ad virginis preces eorum oculos menteſq́; illuſtrat, & de ſcortatoribus facit martyres. Dionyſiũ cæleſti luce perfundit, [a] qua territi, qui flammis eum vrebant, ſubito conciderunt. Cum Anthimus torqueretur, carnifices trepidi conſiſtere nequiuerunt, quod magno cum ſplendore tres viri martyri aſſiſterent. Nuſquam Chriſtianæ ſpei ſolatia vberius, quam in Theodoro adoleſcente nobili apparuerunt, imperante [b] Juliano apoſtata, tantum diuerſus à vanis aularum troſſulis ille fuit, quantum paleæ ignis inferni pabulum, à tritico in Domini horreum inferẽdo. Apollinem in Daphne loqua-

s *Martyr. Rom. & Menol. 30. Octo. Metaph. Sur. t. 6.*
Zenobius.
Spes ſanctorũ Deũ præſentem habet.
Euſebius.
t *Sur. Lip.*
Mamas.
u *Baſil in hom. de illo. Greg. Nazianz. Gregor. Papa, Beda, Vſuardus, Menolog.*
Margarita.
x *Martyr. 20. Iulij. Menol. Sur. t. 4. Beda Vſuard.*
y *Martyr. Sur.*
z *Metaph.*
Cyrillus.
Iuliana.
Dionyſ.
a *Metaph. Surius.*
Theodor.
b *Ruffinus l. 1. c. 36. Theodor. l. 3. c. 11*
Babylæ oſſa.

Digitized by Google

quaciſſimum dæmonem Babylas martyr prope tumulatus elinguem reddiderat, hoc cum dæmon fateri coactus eſſet, permiſſum eſt Chriſtianis vt oſſa transferrent, fecerunt Chriſtiani ſpectatiſſima pompa, in qua è Pſalmo concinebant: *Idola gentium argentum & aurum, &c.* tyrannus amens ira, omnes illos occidi iuſſerat, periculoſam crudelitatem Saluſtius diſſuaſit. Ille tamen è turba Theodorum nobilem, in palatio atq; vrbe celebrem fide feruẽtem, cuius inter alios ardor emicuit, ad ſupplicium delegit. Explicare difficile eſt, quæ pertulerit: à generoſo corpore nullum tormẽtum abfuit. inter quæ fixa in Deum ſpe, tortores inuitat, atq; increpat vltro trepidantes impauidus, dum pridianam cantionem, *Idola gentium, &c.* liquida voce cantat. Tandem laſſitudo carnifices, verecundia iudicẽ ſubit, ſtat martyr inuictus, & poſt mille mortes viuus dimittitur. Is poſtea Chriſtianis narrare ſolitus erat, aſtitiſſe ſibi iuuenẽ, qui ſudores abſtergeret, frigidamq; ſuffunderet tanta animi voluptate, vt de cataſta, & tormẽtis triſtior diſcederet, quaſi de paradiſo in terram. Tanta vis diuinæ conſolationis, tanta bonitas Domini amicos ſuos potantis de torrẽte voluptatis ſuæ. Si igitur rerum noſtrarum, quæ vel à nobis abeunt, vel à nobis deſerendæ ſunt, ſpem curamq; in Deum reponamus: Ille omnia ad ſalutem æternam, quietem, & ſecuritatem temporariam diſponet. Ille æterna ſapientia & omnipotente voluntate ad bonos exitus deducet, quæ nos inſcitia, fragiliq; conatu corrumpimus.

Theodori conſtantia.

Conſolatio Theodori.

Cap. XVII.

Cauſa cur magnates & aulici vtraque ſpe ſæpe excidant, eam in ipſis hærere.

§ I.

SPes igitur ſurſum, deorſum, vera iuxta, ac falſa: inania; ſolida: proſpera, aduerſa voluit. Cum men-

Digitized by Google

Spei tormentum. tem incerta ſuſpendit, anxia: cum fallit, mœſta: cum fauet, vt plurimum ſera. ſemper inquieta; mihiq; qui perpetua ſpe ac metu rerum incertarum fluctuant, ſimiles videntur eſſe illis, qui inſomniâ in carceribus torquētur, grauiſſimo ſupplicio, quo Perſes rex Macedonum obiit, à cuſtodibus dormire prohibitus; illis eſt dormiendi ſumma cupiditas, ſtimulis, ignibusque & iactatione vigilare coguntur: ſperantes extenta ceruice euentum præſtolantur, ſed mox aut fruſtra ſe eſſe vident, aut differri: ſpei enim ex aduerſo metus reſponſat, credulæ ac blandæ aſper ac moroſus, metus ſpe cadente erigitur, titubante firmatur, vincunt viciſſim vincunturq;, prout ad alterutrum bilancis cornu, aut rerum, aut imaginationum momenta acceſſerint. Omne mortalium genus timor, atrociore cruciatu magnates exercet. res ipſa loquitur, & cauſa non eſt in abdito: Inter imperia, faſces, ſecures, hoc eſt, abrupta fortunæ, ſæuiſſimas beſtias ætatem agunt, beluas Daniel terribiles appellat, [a] metum etiam manſuefactæ & cicures incutiunt: infidæ ſunt, celerrimè efferantur. Singulorum conſcientias conuenio. miſeri ſunt, & ſperant irrita ſpe, vt Pindarus loquitur, [b] ventoſa venantur. cauſam dicere multi formidant. præcipua eſt finem certum legitimumque, in quem omnia dirigerent, nō habuiſſe dum aulam ſunt ingreſſi. Hic error vitiauit vitæ actiones. Inſipiētiæ ſignum eſſe monſtrat Ariſtoteles ad vitam non componi. [c] Finis eſt, quo cum quisque peruenit, beatus eſt, finis boni ſummum bonum, finis mali ſummum malum. quibus finis bonus non eſt, in omnibus inceptis fluctuant, & hærent ambigui, & ſecum deſideriis æſtuantibus depugnant. ab illis remota ſunt prouidentiæ fluenta, qui impudenti fiduciæ membra menteſque illigarunt, vt Pindarus numeroſe canit. [d] Horum vita vniuerſa, etiam longiſſima, error eſt, quia metam præfixam non habet; ſagittas licet & Euros curſu anteuertant, cœlis ipſis velocius agantur; extra viam ſunt, metam non attin-

a *c. 7. 7.*
b *Pyth. 3.*
Finis.
c *Eth. 1.*
d *Nem. 11.*

gunt. Vani igitur labores, ſeruitia infructuoſa, infœlix patientia in contumelias itura. Aurea doctrina Auguſtini: ***quod non bona intentione feceris, tibi non proderit. cum non eſt bona intentio, tota actio ab hoſte poſſidetur: qui enim venenato dente in radice vulneratur, fructum virulentum efficit.*** Intentio mala vitiat bonum, etſi intentio bona non excuſet malum. Cauendum igitur, ne inter opera, quantumuis laudata, mala intentio cogitationibus illudat. *Intentio.*

¶ 2.

Finis ſibi proponendi nobile exemplum eſt Daniel. [e] *Propoſuit autem Daniel in corde ſuo, ne pollueretur de menſa regis, neq; de vino potus eius: & rogauit eunuchorum præpoſitum ne contaminaretur.* Finis omnium deſcribitur ab eodem Propheta. [f] *Regnum autem, & poteſtas, & magnitudo regni, quæ eſt ſubter omne cœlum, detur populo ſanctorum Altiſſimi: cuius regnum, regnum ſempiternum eſt, & omnes reges ſeruient ei, & obedient.* Non erat ille finis regibus, & aulicis, quos venturos prædixit Daniel: nam aries carnibus ventilat contra omnes plagas, & non poterant ei *animalia reſiſtere, ſed fecit pro voluntate ſua, & magnificatus eſt.* [g] hic finis tanti furoris, ideo ab Hirco deiectus eſt, [h] & ille quoque *magnus factus eſt nimis.* Danielis finis erat Eccleſiæ captiuæ ſalus, Ethnicorum conuerſio, & crudelitatis Chaldææ mitigatio. [i] *Et poſui faciem meam ad Dominum DEVM meum rogare & deprecari in ieiuniis, ſacco, & cinere.* Et [k] *Exaudi Domine, placare Domine: attende & fac: ne moreris propter temetipſum Deus meus: quia nomen tuum inuocatum eſt ſuper ciuitatem, & ſuper populum tuum.* Denique omnium rerum & actionum finem eſſe reſpiciendum monet. [l] *Et in tempore illo ſaluabitur populus tuus, omnis qui inuentus fuerit ſcriptus in libro. Et multi de his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium vt videant ſemper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos,*

e c.1.8. *Finis Danielis.* f c 7.37. *Finis omnium.* g c.8.4. h c.8.7. i c.9.3. k c.9.19. l c.12.1.2.& 3. *Vir deſideriorum.*

tos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. hæc quia ardentiſſimè orabat, ieiunabatq́;, opibus planè contemptis, ea cauſa vocatus eſt vir deſideriorum. [*m*] *Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo: ego autem veni vt indicarem tibi, quia vir deſideriorum es.* Duplici modo vir deſideriorũ dici poteſt: & quod ipſe honorem DEI, ſalutem populi, reditum in patriam deſideret; & q̃ DEO ſit deſiderabilis, iucundus, vt Symmachus vertit: In Hebræo eſt: *quia deſideriorum tu.* Vitæ noſtræ ratio non tam factis, quæ pauca eſſe poſſunt, quã deſideriis æſtimatur, quæ nullis terminis includuntur. quantum quisq; voluit, facit. Nulla apud DEVM operis magnitudo in cenſum venit, niſi voluntatis precio æſtimetur. In hunc finem cum erecta mens prophetæ ferretur, cum ſummos honores & opes, quas in Babylone poſſederat, tanquam lutum æſtimaret, de templo, de ſacrificiis & cultu DEI ſui duntaxat ſollicitus, DEVS Angelum miſit, qui fata populi & futurũ mundi ſtatum explicaret: nec tamen regum fauore, aut rebus ſuis priuaret. Sapientiam, magiſtratus, dignitates, ſanitatẽ deſideras? Vir es deſideriorum, non dico malorum, ſed fluxorum tamen, nam & horum deſideria, & ipſa cum ſonitu tranſibunt; cum cœlum & terra diſſoluentur, aut tu in puluerem reuerteris. Finem horum omnium DEVM tuum deſidera, & cætera adiicientur, aut alia dabuntur his precioſiora. ad beatitudinem parum facit iſta poſſidere, ſed bene vti, in DEVM refundere, cui ſanctis deſideriis aſſimulemur, quæ noſtra eſt fœlicitas.

m c.9.23.

§ 3.

Terrenis fruſtrantur & æternis.

Danielis exempla & verba tenemus: ad hanc amuſſim noſtra expendamus. Nam ſi nos fulgor aulæ traxit, ſi purpuram & ſceptra ſic admiramur, vt regnũ, quod populo Sanctorum DEVS per Danielem promittit, minore cura ambiamus, meremur & iſta, quæ vota noſtra obſident, perdere. Si præpoſtera auiditate opes & honores, hoc eſt vincula mentium, fomites cupidinum,

Digitized by Google

num, pietatis ſufflamina quærimus, his quidem angoribus laſſabimur, vias arduas, lubricas, difficiles ambulando, & ad illa non pertingemus, quia cum DEI iniuria contempſimus. Reſpondeat ſibi quisque, ne mihi reſpondendo erubeſcat. Cur regiam ingreſſus es? cur laborioſo ſtudio ſuperba teris limina? cur animum corpusque obſequio magnatum deuouiſti? an vt iuſtiùs, temperantiùs, fortiùs viueres? vt Chriſtianæ pietatis & deuotionis exercitia facilius & ſine impedimento perficeres? vt tumultus mundi, ſtrepitusque, & ſimultates, inuidiam vitares? vt in egenos benignior fieret liberalitas? vt ſuperbiam, vt luxum ciborum, veſtium vitares? An DEI gloria, ſalus pôpuli, tua tibi beatitudo pro fine propoſita in palatium adduxit? Si ita factum eſt, beatus es, ſi perſeueraueris vſque ad mortem. Si aliud quæſiſti, nunc ſaltem iſta quære, ne ſimul omnibus excidas. Opes fortè quærebas: verum ſi ſpes irrita deſtituat, ſi ſumptus rem minuunt, animo angeris. ſi iſta non petiſti, damna rerum terrenarum ſpernis, qui ad promiſſa cœleſtia feſtinas. Honores ambiebas, & rependitur contemptus, ex alto deiiceris. Dulce hoc eſt cœlum intuenti; nihil celſum in terra habet vniuerſi centrum; ſi altitudinem cœli ſpectes, montium cacumina in imo iacent, tota terra puluiſculus eſt. Si finis tibi verus vltimusque cordi eſt, media illa ſine ſenſu tranſibis: ſi in his tibi finem conſtituiſti, non modo tibi ſalutare, ſed penè neceſſe eſt, vt ea DEVS auferat, & tanquam obices remoueat, quo ad vltimum ire poſſis. ſanè vt auferantur meruiſti. Nobilem aliquando virum miſerabili magis animo, quàm voce, quiritantem audiui: ætatem ſibi fruſtra conſumptam, in aula ſe iuuenem ſumptu proceſſiſſe, patrimonium attriuiſſe, nec ſperatôs tamen principis fauores aſſecutum. militiæ nomen dediſſe, omnia belli mala, famem, vigilias, pericula, vulnera pertuliſſe, ſtipendia non perſoluta; demum ab hoſte

Finis aulæ.

Finis vltimus.

Nobilis viri caſus.

hoſte captum pro libertate reliquias auctarum poſſeſſionum impendiſſe. iam ſenem ſe mutilo corpore, rerum inopem, nulla gloria viuere. Ille meo quidem iudicio beatiſſimus futurus erat, ſi cum ſe in palatium aut caſtra conferret, animo ſtatuiſſet, omnia illa poſſe euenire, ſeque ad omnia ferenda DEI cauſa præparaſſet. nunc ſine fructu laborauit, quia ſine cauſa. nihil mundus illi rependit, ſed beneficia irriſu compenſat; DEVS nihil illi debet: etſi enim magna fecit, grauiora tulit, non tamen Deo, verum Mammonæ ſeruiuit, & illi Domino, qui caput eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ.

§ 4.

Finis ſummum bonum. Cum igitur ad palatiorum obſequia ſe viri nobiles præparant, cum filios in turbas illas mittunt, illud & ſibi & illis bonum proponant, quod nemo accipit indignus, nemo amittit inuitus; idque animis imis recondant: quicquid dari poteſt indigno, odiis obnoxium eſſe, quicquid eripi poteſt inuito, in turba potentium eſſe intutum. Finis igitur eſto, in regia terrena quærere regnum cœleſte: vt in conſortio illuſtrium virorum nihil tua nobilitate, nihil palatio, nihil DEO facias dicasve indignum. Hoc conſequuntur, qui nihil iudicant appetendum niſi ſummum bonum, aut quod adducit ad ſummũ bonum vltimumq; finem. nihil fugiendum niſi ſummum malum, quodq; trahit ad ſummum malum. Media quæ bona aut mala vocantur, contemni debent. nam ſi mala videntur, ſi dolorem ingerunt, facilè abſumentur à ſummo bono, quod non patitur admiſſionem mali; ſi bona videntur, atque ægrè deſeruntur, omninò conſumentur à ſummo malo, cui nihil poteſt ſubeſſe boni, cum ipſum eſſe ſit malum. Faciant illa bona, quæ nunquam manent irremunerata. adiicientur & illa bona, quæ digna non ſunt quæri, à ſpernentibus tamen accipi poſſunt: nam hæc, ſi vel ſola, vel prima petantur, meritò negantur peruerſe petentibus, peius vſuris. Non habet in electione

Digitized by Google

ctione ſua DEVS rationem illius, qui ſibi ſuo marte vitæ genus eligit, & fortunam ſuam fingit: improbas ſpes abſcindit aut illudi ſinit, qui ſorti ſua commiſerunt. Infœlices illi ſunt, vtcunque res cadat. Bonis caducis infeliciſſimus eſt, qui ſibi beatiſſimus videtur. Anaxagoras homini profano, quique idem pecudis & hominis bonum exiſtimabat, interroganti quis eſſet beatiſſimus? reſpondit: non is, quem tu putas, ſed is, qui tibi infelix videtur. [*n*] Talibus regiæ ſtipantur infeliciter beatis; bonis palatinis, malis Chriſtianis, ideo nec bonis quidem aulicis: bonus enim aulicus eſt eo bono, quo & Chriſtianus. Hanc fidei confeſſionem inter aulica certamina & officia in ſingulos dies meditentur, vt eundem vitæ totius & ſingularum actionum ſcopum figant.

Felicitas infelix.

n *Plutarch. Apophth.*

¶ 5.

Nimium, inquit, libertatem noſtram reſtringis; aulici ſumus, ſæculares ſumus, mundani ſumus, ſolatia humana non repudiamus. an æquum cenſes in eremum & clauſtra concedere, vbi tamen facilius eſt veſtem, quam animum, mutare? At vero ſæcularibus & mundanis loquor. non ad iſta voco, quæ facere non vultis, ſed quæ debetis. non veto quæ licent, non culpo remiſſiones, & quas vſus & infirmitas veſtra fecit neceſſitates; ſed moderor affectus, & in viam duco, exuperantiam tollendam dico, vt olim Nazianzenus. [*o*] Mundani, ſæculares, laici, duplici ſignificatu dicuntur: mundani, qui mundum amant, & ea quæ in mundo ſunt, contra legem eius, qui mundum condidit: qui ſunt in corpore diaboli, in concupiſcentia carnis, in concupiſcentia oculorum, in ſuperbia vitæ, in quibus non eſt charitas patris; quos Chriſtus non tulit de mundo; qui præuiſi ſunt in ignem æternum, niſi exeant de mundo, & inſerantur corpori Chriſti. Nemo tam nefarius eſt aut impudens, vt illo modo mundanum ſe iactet: hoc eſt filium gehennæ. Mundanos

Vſus rerum conceſſus.

o *Orat. 6.*

Mundani duplices.

Digitized by Google

danos igitur ſe aſſerunt, non quaſi legum DEI immunes, ſed quod Clericorum & religioſorum nõ teneantur votis & ceremoniis; ideoq; in rerum humanarum appetentia ac delectatione plus ſibi indulgendum iudicent. Hac quidem de quæſtione alias videro. ad finem bonorum nihil facit illa diſtinctio. Finis vitæ Platoni & Peripateticis eſt ſecundum naturam viuere, Chriſtiano, ſecundum gratiam. Par hic ius eſt, eadem lex, idem peccatum aulico & religioſo: neuter in quocunque mundi bono finem ſtatuere debet, per omnia autem in DEVM tendere. Quicquid horum bonorum ita appetitur, vt in finem vltimum non dirigatur, mercede caret, nullam à DEO promiſſionem habet. Si laudem, opes, aliud quæſiſti, nihil à DEO expectabis, illi obſecutus non es. Quod ſi nihil à mundo ingrato accepiſti, mercedem tamen tuam recepiſti: nihil apud DEVM tibi repoſitum eſt. nec æquum eſt ab eo præmium repoſcere, cui obſequium non præſtitiſti. *Mundani & religioſi idem finis.* Cum igitur ſint in aula grandes & magni labores, omnes inſtar ſomnij pereunt, ſi vanis impenduntur, non DEO. vita noſtra mortalis eſt, ſpes autem vitæ immortalis. hanc ſola fides dirigit, ſine qua impoſſibile eſt placere DEO: quod enim ſine fide fit, non fit propter DEVM. qui laboré DEI cauſa ſuſtinere detrectat, mundana ſpe omnes ærumnas ſuſcipit, in vanum ſudat. Si amore DEI magiſtratum ſuſcipiat, dignitates petat, diuitias acceptet, præmia de cœlo dabuntur, non vt compenſentur iſta inania, ſed voluntati Chriſtianæ, quæ non niſi ad DEI gloriam iſta vel accipere vel habere nouit. Concordius martyr [p] nobilis, imperante Antonino, cum Torquatus comes quæſtionum cruentatum Præſes nomen eius noſſe vellet, Chriſtianum ſe eſſe confeſſus eſt. illo fremente & dicente: de nomine, non de ſecta ſe quærere, non mutauit reſponſum: Chriſtianus, inquit, ſum, Chriſtum profiteor. Meritò ſanè omnia præconia, tituli, & dignitatum nomina vni elogio Chriſtianitatis cedere debent:

p *Beda. Vſuard. Concordius.*

debent: hoc enim continetur regnum ſanctorum, quo quisquis excluditur, in exitium laborauit.

Cap. XVIII.

Metus imminentium in aula grauis: atq; omni reipub. moderatio illius, & victoria.

§ 1.

IN vita mutabili nemo tam eſt beatus, cui non ſuperincubet mali metus, qui eſt ipſe grande malum: ſicut ſine metu viuere magnum eſt bonum; timemus autem, quia vitam habemus, ſed non ſine fine, vt Auguſtinus exponit. Nabuchodonoſor caput aureum in ſumma felicitate, mentis anxietudine torquebatur de futuris euentibus, auream ſpondam aſcendebant atra curarum, & ſub gemmeo conopæo carnificinam exercebant ſollicitudines & timores. Hoc Danieli DEVS reuelauit. [a] *Tu rex cogitare cœpiſti in ſtrato tuo, quid eſſet futurum poſt hæc: & qui reuelat myſteria, oſtendit tibi, quæ ventura ſunt.* DEVS quoque regem magnitudine, potentiaque ſuperbum minaci oſtento terruit, dum arborem ſuccidendam docet. [b] Quantus quoque ſubitus in rege Baltaſare iam temulento metus? quam fortis exclamatio? dum fata morituri manus in pariete depingit. [c] *Tunc facies regis commutata eſt: & cogitationes eius conturbabant eum: & compages renum eius ſoluebantur, & genua eius ad ſe inuicem collidebantur.* Timor ille impiorũ eſt, dum metuũt, quod meruerunt. Horridus timor ſuper impium Achaz, & populum ad exemplum regis ſceleratè viuentem cecidit, cum intelligerent inter Syros & reges Iſraël fœdus contra Judam eſſe pactum. Iſaias trepidationẽ pulchra ſimilitudine exponit. [d] *Et nunciauerunt domui Dauid, dicentes: Requieuit Syria ſuper Ephraim, & commotum eſt cor eius, & cor populi eius, ſicut mouentur ligna ſyluarum à facie venti.* Alius timor Sanctorum, reuerentia DEI, amoris

Metus grãde malum.

a c.2.29.

b c.4.

c c.5.6.

Timor Baltaſaris.

d c.7.2.

Timor ſanctorum.

ſancti

ſancti filia. Daniel ſe perculſum gloria Christi ſcribit.
e c.7.15. [e] *Horruit ſpiritus meus, ego Daniel territus ſum in his, & viſiones capitis mei conturbauerunt me.* ſed in illo terrore & fidem, & legem Dei, & oraculi veritatem obſeruabat.
f c.7.28. [f] *Ego Daniel multum cogitationibus meis conturbabar, & facies mea mutata eſt in me: verbum autem in corde meo conſeruaui.* Ad colloquium Angeli pauens corruit in fa-
g c.8.17. & 18. verſu. ciem ſuam, [g] *Pronus collapſus eſt in terram*; & deinde ſuper ſocios Danielis *terror nimis irruit, & fugerunt in*
h c.10.7. *abſconditum.* [h] & [i] *Ego autem relictus ſolus vidi viſionem*
i c.10.8. *grandem hanc: & non remanſit in me fortitudo, ſed & ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui, nec habui quicquam*
Timor Danielis. *virium.* Sed hunc Devs erigit conſternatum ſuper faciem terræ, & cum nihil manſiſſet in eo virium, &
k c.10.19. halitus intercluderetur, dixit illi Angelus: [k] *Noli timere vir deſideriorum: pax tibi: confortare, & eſto robuſtus. Cumq́; loqueretur mecum, conualui, & dixi: loquere Domine mi, quia confortaſti me.* Darius quoque Devm timeri vo-
l c.14. 42. luit, quod bonorum auctor eſſet. [l] *Tunc rex ait: Paueant omnes habitantes in vniuerſa terra Deum Danielis: quia ipſe eſt Saluator, faciens ſigna & mirabilia in terra: qui libe-*
Sancti ſolum Deũ timent. *rauit Danielem de lacu leonum.* Qui bonis caducis inhiat, vt ſemper metuat neceſſe eſt. Bona ipſa ſunt corruptioni obnoxia, & aliorum iniuria tolli poſſunt. ille etiam, qui illis adhæret caducus eſt: timor autem Dei liberatoris ſalutaris eſt, & cæteros animo timores excutit: quisquis Devm veretur tanquam patrem, qui peccatum deteſtatur, qui pœnas peccati comites exhorreſcit, nihil aliud in vita agnoſcit formidabile: quæ enim velut terribilia meticuloſis obiiciuntur, infra ſuas curas eſſe exiſtimant. fumum, vmbram, foliorum defluxus non metuunt, qui ignem, arma, ruinas ædium arborumq́; contemnunt.

§ 2.

Miſerrima mortalium conditio eſt ſemper ex futuro pendere, de imminentibus angi, non viuere contentum

tentũ vel pręſentibus bonis, vel malis; & cum dominus diei cuiq; malitiã ſuam ſufficere dixerit, nos metuendo ſequentium etiam annorum onera & ærumnas arceſſimus, & animam premimus mole rerum nunquam fortè venturarum. In aulę tamen agitationibus metus grauior incumbit, & anxietas concitatior trepidas cogitationes exercet, in purpura dibapha & ſpectatore formido ſedet bis tincta curis. Cauſæ vero, cur mordaciore ſollicitudine procerum mentes vrantur, ſunt plures. In regum obſequio non parua aut ludicra, ſed grandia præſumuntur, quorum cupiditate mentes accenſæ magnis motibus agitantur. In arce præluſtri ſæua fulmina cuduntur, & ſubinde proximos ſternunt, & ab omni latere monumentum cladium, ſtat triſte bidental. Animus igitur ſpem inter & metum atrocem trepidat. In illo negociorum, turbarum, æmulorumq; conflictu magna rerum, maior eſt animorum mutabilitas & inconſtantia, quæ reges ipſos cunctis timendos non interrupta formidine premit: omnibus Damocleus enſis de tenui ſeta impendet, facili caſurus motu. recurſant angores, quantum regi, quantum æmulis, quantum calumniis liceat, ſecum expendunt. & merito: vna offenſa omnium obſequiorum fructus, tanquam vernos flores,

Ex ſpe... ſerum.

Boreæ penetrabile frigus adurit.

Ex alto ſi aliquem ita regis proruit, ſuam quoq; nutare fortunam credunt, non alio columine fultam; ſi fauor alium extollit, reliqui ſibi turpe ducunt. Horum igitur vita tota inter ſpem & metum tanquã duo crucis ſtatumina eſt pendula, in ſolido non conſiſtit animus, ſed inquietus eſt, aura mouetur, & vt in mala mãſione, & quod adeſt, & quod imminet, ſemper cruciat. Peſſima ſors aulæ, omnia ſortem dare, & ſemper ab euentu pendere; eo vero deterior, quod cura ardens credula eſt, & quod miſere volũt, facile ſperant, quod metuunt vehementer, nunquam amoueri poſſe arbitrantur: Seneca.

Metus cauſa.

Prona eſt timori ſemper in peius fides.

Miſeri & meticuloſi malorum creduli ſunt. Aduerſa triſtibus cogitationibus conſentanea facilius fidem inueniunt quam læta, ad quorum vota cupidi feſtinãt; ipſa mora faſtidio eſt,

——Exultantiaq; haurit
Corda pauor.——

Qualis eorum eſt, qui in carceribus mappæ ſignum expectant, & trepidi anhelant.

¶ 3.

Mala timoris. Excutiendum animo malum eſt illud, quod monte grauius premit & fatigat, vti iactantur, quos per quietem obſtructis cerebri meatibus morbus, quem ephialten appellant, ſollicitos exercet & ſuffocat; atque adeo ipſum metum odiſſe oportet: nam facit vt præſentium incurij ad futura feramur. longam vitam optant, ad ſenectam anhelant, & quæ morti ſunt propiora præoccupant, ipſis deſideriis, quibus venientia ſibi deſpondent, & timoribus, quibus fugiunt incommoda ficta, immoriuntur. *Timens vix viuit.* Stultum eſt cupere abſentia, præſentia negligere. Vere dictum eſt: ſtultum ſemper incipere viuere; at miſerabilior meticuloſus, qui ne viuere quidem incipit, ſed meditatur in futurum viuere. Laborat ille faſtidio omnium rerum, præcipuè tædio ſui. Stultum autem eſt timere, quod euitare nõ eſt in tua poteſtate, vt accuratè diſputat Auguſtinus. [m] Hinc in vanis maximus timor & contractio: ſal in igne crepitat. [n] nam aëerus eſt & aqueus, ſpiſſoque corpore; per calorẽ igitur dilatatus vapor violenter exitum quærit, ſonumq; edit. ita timidi quoq; pleni aura & vapore, non ſolido animo, preſſo corpore, cum perſecutio calfecerit, eiulant ac crepitant, corpori timent, quod quaſi nubes quædam eſt animæ, ne flabris diſſipetur, quodque turbines agunt in magno, hoc terror in paruo mundo. Maxima timorum pars vana eſt, fugiuntque homines non mala, ſed bona aut media,

m T. 9. p. 98. 118.
n *Scal. exercit.* 42.

dia, non ex vera ratione, ſed quod quædam inſit voluntatis intemperies, qua ad timendum impellantur. Multis ingenerata eſt caſei abominatio, vinum alij aueſantur. Scaliger ait vidiſſe cui mala attulerint faſtidium; ſe ad Creſſoni conſpectum tremere adeo, vt horrore quaſſatus abire cogeretur. [o] Vidi ego, qui anguillarum odore expalleſceret. Germanicus Catti aſpectum ferre nequibat. Nero fulmina horrebat. Cauſas ignorant, qui timent, & ſapientia eſt, iſta neſcire. Sunt illa ex conſtitutione & temperatura ſenſuum ac viſcerum; & cum in rebus nulla cauſa ſit, affectum ſibi debent, Simili metu conſtringit multos mens non ſana. Apud Menandrum ſibi malum ominatur, cui inter veſtiendum calcei corrigia rupta fuit. Alius timore cruciabatur, quod Scropha nefrendes deuoraret, quem Antiphontes lætari iuſſit, quod ſuculos, non liberos ediſſet animal ſtolidum & multiuorum. Pro omine accepit priſca ſuperſtitio, ſi mures calathum, baltheum, aut clypeorum loramenta roſiſſent. Non erant illa oſtenta, ſed ſi ab ipſis mures arroderentur, vt Arceſilaus & Tullius cenſebant; metus tamen ingentes res illæ attulerunt, vt ex talibus etiam de Rep. deliberarent.

Timores vani.

o Exerc. 194.

Superſtitio timida.

Multa quidem metus ſcelera efficit, ſed ex multa ſimul ſtultitia & ineptiis. Multi mortem metuendo in mortem ruere properarunt. Periander tyrannus, [p] cum mortem, & ne inſepultus abiiceretur, nimium timeret, milites duos em ſit via, loco, tempore deſignato, quo virum ſibi occurrentem occiderent & ſepelirent; alios deinde plures conſtituit, qui his à facinore redeuntibus occurrerent & trucidarent; ipſe his per ordinem diſpoſitis, ignota veſte, clam egreſſus occurrit, & ſuo imperio à neſcientibus interfectus eſt, illi ab aliis: nec res tamen latuit, ſed nobilis hiſtoria ad poſteros transmiſſa eſt, non ſine deteſtatione ignauiæ: Non eſt fortis viri ad mortem properare. [q]

Periandri metus.

p Laertius in Periand.

Ignaui eſt petere mortem.

q Seneca.

Digitized by Google

Qui fata proculcauit, ac vitæ bona
Proiecit, atq; abſcîdit, & caſus ſuos
Onerauit; ipſi, ceu video, nullum eſt opus,
Quare ipſe mortem cupiat, aut quare petat,
Vtrumq; timidi eſt, bellè contempſit mori,
Qui non cupiuit &c.

Nemo magis ſeruituti obnoxius eſt, quam is qui multa & multos metuit: tot enim dominos habet, quot timores. *Artemonis timor.* Magno riſu celebratus eſt Artemonis Periphoreti metus, ſedenti ſupra caput ſcutum tenebant ſeruuli, ne aliquo è ſublimi cadente læderetur, humi cubabat ne decideret, foras profectus lectica claudebatur. [r] *r Plutarch. in Pericle:* *Ludouicus IX.* Ludouicus IX. rex Galliæ Jacobo Cotterio medico ita obnoxius erat, vt tanquam Dominum ſeruus formidaret, & ille impotenter imperium exercebat, cum terrere vellet, alium vt medicum quæreret, ſæpe ingeminans. [s] *s Comminaus.* rex ſine illo ſe viuere poſſe diffidebat. Ita metu, ſeu vero, ſeu falſo, animus diſcerpitur, & quaſi in funda rotatur. *Nero.* Nero audita defectione Galbæ torpuit, ſine voce ſtetit, caput verberauit, ante mortem pene funeratus. [t] *t Sueton. in Nerone.* Iſocrates dicendi quam viuendi peritior, cum natus annos nonaginta ægrotaret, rogatus quî valeret, *vt homo*, inquit, *nonagenarius, qui mortem ſummum malum putat.* Quem affectus ille captiuum tenet, omnia metuit, omnia tanquam letalia intuetur.

§ 4.

Ne time quod Deus vult. Proinde quid cras futurum ſit, fuge quærere: vtiq; quod DEVS præuidit, quod voluit fieri, quod noluit impedire. vtiq; & viro bono probandum eſt id quod ſummè bonus ſtatuit. Indecora res eſt metus, etiam in corpore, cui vires demit: [u] *u Seneca in Medæa.*

Vagus per artus errat excuſſus tremor,
Erectus horret crinis, impulſis adhuc
Stat terror animis, & cor attonitum ſalit,
Pauidumq; trepidis palpitat venis iecur,

& cum

& cum euentu reputat, & mores frementis aulæ pallet; [x] x Seneca.

Quaſi cum Siculi Virgo Pelori
Rabidos vtero ſuccincta canes,
Omnes pariter ſoluit hiatus.
Quis non totos horruit artus,
Toties vno latrante malo?

Cupido futura ſciendi.

Moleſtia eſt ſine emolumento timor futuri. Nullum eſt tædium expectatione faſtidioſius. Metus futuri ſuſpicioſus eſt cruciatus, malum ſpontaneum.

Sed malus interpres rerum metus omne trahebat
Augurium peiore via. [y] y Claudianus de bell. Get.

Somnum arcet, ſanitatem carpit, ſenectam accelerat totam vitam ſuſpectam habet morte durior eſt mortis metus. præſtat ſemel cadere, quam ſemper timere, qui ſemel frenum momordit, vt ſecum ſtatuit, non metuere, iam liber eſt: nec metum metuit, vno alium; quod veriſſimum eſſe docet Auguſtinus. [z] Incredibilis hinc futura cognoſcendi cupido. Hinc magicæ ſortes auguria, omnia ſomnia, aſtrorum infamia. Hinc impoſturis magna pars hominum obiecta eſt; totiesq; decepta non profutura curioſitate maceratur. nolle futura cupiunt, ſi nollent dolituri. z 80. qq. 31.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte tremit DEVS,
Ridetq; ſi mortalis vltra
Fas trepidat. [a] a Horatius.

Nihil tamen efficit illa cura: nam ſi ventura ſint, ea timere eſt miſerrimum, ſi non euentura, vaniſſimum, ſi eo malo te crucies, quod nunquam futurum eſt.

§ 5.

Nimis, inquis, formido, ne grauiora tempora infelix experiar. Noli ante tempus eſſe miſer, induciis quas DEVS dedit fruere, venient illa, ſed non pura mala, vehent ſecum lenimenta. [b] b Seneca epiſt. 109.

Meliora quidem præteruolant, deteriora ſuccedunt, quemadmodum ex amphora primum, quod eſt ſinceriſſimum, effluit;

Digitized by Google

grauiſſimum quodq; turbidiſſimumq; ſubſidit. id ex hauriri in aliis potius patimur, vt nobis fecem reſeruemus. Inhæreat iſtud animo, & tanquam miſſum oraculo placeat.

Venient, ne dubita, ſed ne metue: fortè ante diſcedes. inopiam, offenſam, dedecus formidas, forſitan ante te mors abſoluet. Omnis ætas de ſuis moribus queſta eſt & de calamitatibus, querentur & poſteri. præterita meliora opinamur, quia non ſentimus. Meliora tempora expectas, & ne tardent, metuis; at tempora bona ſunt, male nos illis vtimur. ſint homines iuſti, non erunt iniqua tempora; dies ſunt mali, quia pauci per illos boni, cur vero ſint boni, à pleriſq; male collocandi? Tu viue ex virtute, in Deo tuo, & omnis dies in lucro eſt. Quocunq; res cadat, operum bonorum nihil perit. Hodie regnum tibi parare potes, quid ſedes pallidus & metuens futuri? occupanda ſunt tempora ne ignauis elabantur, aſpera magis ſunt regno comparando idonea. Daniel dies octo inter leones ſedit. [c] nihi niſi Deum timebat, omnium rerum, & vel mundi ruentis ſecurus. Si incertum euentum cauſaris, fruſtra angeris: quod paſſurus es, hoc te manet. tuum eſt cauere, ne ex merito patiare; ſi autem innocens, gaude, illa te in portum tempeſtas celerius vehit, lancea illa vomicam aperit, pus & venenum extrahit. Media tranſili, poſtremo, quo de ęternitate cernitur, euentu, cuncta ęſtimato: ille dies de omnibus iudicat.

Virtuti ſtudendũ.

c c. 6. & 14.

De æternus ſollicitudo.

§ 6.

Demum vt præſenti momento viuamus, futura quoque ne metuamus, curandum. vis eſſe aulicus fœlix? liber eſto à formidine; ſic rex, ſic beatus eris.

Rex eſt qui metuit nihil,
Hoc regnum ſibi quiſq; dat. [d]

d Seneca.

Imo DEVS dat, licet non ſine nobis. DEVM time, ille Dominus eſt. ama DEVM, charitas foras mittet timo-

timorem. [*e*] ſerui DEO in timore & tremore. cætera non timebis, non magis quam ſpumas Indici maris: nemo DEVM timens, hominem formidat; non timet vbi non eſt timor, ſi timet quod DEVS iuſſit timere. bene viue, nullum genus mortis recte viuenti timendum, vt bene Gregorius. maiore timore minora contemnimus. [*f*] Veriſſime itaq; Didymus: fieri non poteſt, vt qui DEVM timet viuat in timore. Fortem virum nemo facile aggreditur, & DEVM timentem alij timores deſerunt: ille eſt enim bonus & prudentiſſimus, Chryſoſtomi & veritatis iudicio, qui fortis eſt & Deum timet.

e Mal. 1.

Solus Deus timendus.

f Auguſtinus in Pſal. 68.

Hinc vana timentur, quia vera pericula non cogitantur. Nemo, aut ſane pauci de multis, futurorum metum cogitant, diem & iram Domini, & incredulis ventura ſupplicia, ſtatuta perfidis tormenta quaſi longe poſita non reſpectant, quæ metueret conſcientia, ſi crederet, vt deplorat Auguſtinus. [*g*] Illa valde terrent, ſi fidem habemus, eos qui fidem non habet, non terrent. Auguſtinus, [*h*] & deinde [*i*] vanum docet eſſe timorem migrare trepidantium, & metum amittendi temporalia, cui tamen reſiſti nō poſſit. Homines illos increpat & plangit idem Aug. timentes vbi non eſt timendum, timentes de temporum, non animarum contritione. [*k*] vinctos timore ſeruili quum non iuſtitia amatur, ſed pœna timetur. [*l*]

Veri mali timor vanum excutit.

g T. 10. 210.

h ſerm. 4. de Verbis Domini.

i de verbis Apoſt. ſerm. 15.

k T. 9 47.

l Baſil & Doroth. Doctrina. 4.

Tres enim ſunt conditiones & ſtatus (vt diuus Baſilius ait) quibus Deo grati eſſe poſſumus. Si enim pœnam formidamus, in ſeruili ſtatu ſumus. Si vero mercedis lucra conſectantes, vtilitatis & commodi proprii gratia diuina mandata peragimus, mercenariis aſſimulamur. Sin autem bono & honeſto propter ſeipſum adhæreamus, in filiorum genere ſumus. Filius enim vbi ad prudentiam diſcretionemque peruenerit, paterna vota exequitur non timore ſcilicet plagarum, non etiam mercedis & præmii cupiditate, ſed amore, pietate, obſeruantiaque erga patrem. Perſuaſus enim ſatis eſt, ſuum fore, quicquid patris fuerit.

Tres timores.

Hac ſpe quiſquis viuit, non metuit quicquam in mundo, extra mundum iturus. Qui ſtadium decurrit, gaudet, non timet, cum ad metam ventum eſt: curſum enim hoc eſt laborem abſoluit, ſupereſt corona. Kilianus Herbipol. Eccl. Epiſcopus celſo lætoq; animo percuſſores excepit: *Amici* inquit, *ad quid veniſtis? vos præceptum implebitis, nos curſum conſummabimus.* Hæc ſola ſecuritas eſt, & cum timore ſine anxietudine futuri. Nec male Seneca, quanquam finis ignarus. [*m*]

m *Epiſt.* 106. *Securitatis magna portio eſt, nihil inique facere. confuſam vitam & perturbatam impotentes agunt. tantum metuunt, quantum nocent: nec vllo tempore vacant. trepidant enim, cum fecerunt, hærent, conſcientia aliud agere non patitur, ac ſubinde ad ſe reſpicere cogit. Dat pœnas, quiſquis expectat: quiſquis autem meruit, expectat. Tutum aliqua res in mala conſcientia præſtat, nulla ſecurum. Putat enim ſe, etiamſi non deprehenditur, poſſe deprehendi: & inter ſomnos mouetur: & quoties alicuius ſcelus loquitur, de ſuo cogitat. non ſatis illi oblitteratum videtur, non ſatis tectum. Nocens habuit aliquando latendi fortunam, nunquam fiduciam.*

Cap. XIX.

Magiſtratibus & Palatinis feruenter orandum exemplo Danielis.

§ 1.

Orationis neceſſitas. Mentis noſtræ in Devm defixa aduerſum ſpes inanes & metus conſtantia, vitæque honeſte degendæ ratio, de qua egi, è cœlo datur. oratione igitur nutritur & firmatur, orationi viciſſim parandus eſt animus, ne minore Devm veneratione, dum alloquitur quam regem proſequamur. Qui recte viuit, rectè orat; & viciſſim, qui rectè orat recte viuit: affectus enim, nō vox orantis æſtimatur, hunc tamen ſermo ſequitur, Sancta doctrina Juſtini Martyris. [*a*] orare debemus ſermo-

a *Devent. Chriſtiana religionis.*

ſermone copioſi, factis potentes, & Antiſtes Hipponenſis attendere nos iubet orationi, vt DEVS attendat: quomodo enim ille audiet, ſi te ipſe non audis? illa oratione DEVS flectitur, quæ non in multitudine verborum, ſed cordis affectu conſiſtit; cordis tamen affectus multa verba, non inania tamen pronunciat. Parœmia dici ſolet; orare neſcio nauigandum eſſe mare, indomitum elementum docere preces: tribus enim digitis cum abſint à morte, cum vndique pontus inſonet, vtraque latera nauis ventus & vnda tundat, humanis auxiliis deſtituti, ad DEI clementiam recurrunt, & veris lachrymis inuocant. In æquore vaſto iactantur & proceres, lubrica ponunt veſtigia, fluctibus ſuſpenſi: mare enim ſuper quod ambulant, ſunt populi. nam Joannes Apoſt. vidit mulierem ſedentem ſuper aquas multas [b] & ne dubitemus, quæ ſint aquæ & maria, exponit. [c] *& dixit mihi: aquæ, quas vidiſti vbi meretrix ſedet, populi ſunt, & Gentes, & linguæ.* Imperant, populis & inſultant, vt nauigantes fluctibus, ab illis tamen ſuſtinentur & iactantur, & cum inhorruere, merguntur. Nauta mare calcat & timet. ſolum in quo ſtant, ſolidum non eſt, ſed liquens & mobile; nec illius firmitate, ſed ſua leuitate in alto tenentur. Euripi more fluit, atq; æſtus reciprocat multorum naufragio infames. Orandum igitur illis eſt vt pericula diſcutiant, & in DEO ſubſiſtant: ſunt enim in profundo maris, & non eſt ſubſtantia. [d]

Aulici in mari.

b *Apoc.* 17. 1.

c *Apoc.* 17. 15.

d *Pſal.* 68. 3.

¶ 2.

Verum tu Daniel procede vir deſideriorum, fili hominis, Angelorum collega, regum miniſter & arbiter, doce aulicos fundere preces, animas cœlo tollere, terreſtrium tantiſper inanes, cœleſtium refertos. Legant orationem Azariæ, qui aperiens os ſuum in medio ignis, [e] legant & orationem trium puerorum, quam quotidie vſurpat Eccleſia. [f] Sed ita legamus, vt eisdem periculis nos cogitemus implicitos: hinc aqua,

Daniel orator.

e *Dan.* 3. 26. *vſq; ad* 46.

f *Dan.* 52. 3. *& ſeq.*

Digitized by Google

hinc flamma exæſtuat. Hæc ex narratione Danielis, nunc ſpiritũ in illo precum & orationis videamus ardorem. [g] *Dixerunt ergo viri illi: Non inueniemus Danieli huic aliquam occaſionẽ, niſi fortè in lege Dei ſui.* Nouum calumniȩ genus laus eſt Prophetæ. Quæ vita, quis ſermo, quæ fama viri ſancti fuerit inter incultiſſimos & ferociſſimos barbarorum, res ipſa docet: publico in conſilio, omnibus hoſtili diligentia expenſis, nullam in Daniele cauſam fore iudicãt, niſi in lege DEI ſui. Non miror Danielis pietatem & in oratione cõſtantiam, aliorum quoq; fuerunt paria decora. Hoc ipſis virtutibus maius eſt, viuendo tantam excitaſſe inter barbaros religionis opinionem, vt certo ſtatuerent, illum potiùs ſubiturum ora leonum & beſtiariorum miſeras vices, quam ab oratione ceſſaturũ, & niſi talis eſſet, occaſionem eius interficiẽdi fore deſperarent. Nec fefellit famam Daniel, ſed vicit virtute, vicit miraculo. [h] *Porro,* inquit, *rex Darius propoſuit edictũ, & ſtatuit. Quod cum Daniel comperiſſet, id eſt, conſtitutam legem, ingreſſus eſt domum ſuam: & feneſtris apertis in cænaculo ſuo contra Ieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat, confitebaturq́; coram Deo ſuo, ſicut & ante facere conſueuerat. Viri ergo illi curioſius inquirentes, inuenerunt Danielem orantem & obſecrantem Deum ſuum.* Deuotionem Prophetæ aulici Chriſtiani penitiùs introſpiciant. fecerunt illud etiam idololatræ, illi, vt ad beſtias damnarent, noſtri, vt imitentur. Comperto igitur, quod iniqua lege parabatur, diſcrimine, Daniel tueri pietatem cõſtituit. multa arte ſine fraude machinas eludere potuit, ſed noluit, orare noctu potuit, & lachrymis lauare ſtratum ſuum, quod fecit & Dauid, potuit clauſis feneſtris atq; oſtiis, ſine arbitris, potuit ſedens, inambulans, aliud agere ſimulans, ſine ſuſpirio, ſine voce, ſola mente Deum orare: non enim vocem aut corporis geſtum Deus exigit, ſed animi pietatem; at ille maluit palam, apertis feneſtris, in cænaculo, in turba miniſtrorum, verſa ad Jeruſalem facie, genibus flexis, ter in die fidem ſuam & cultum

g *Dan. 6.5.*

h *c. 6.9. vſq; ad 12.*

Daniel latere noluit orationem.

tum profiteri, legē impiam factis refigere, Judæis pietatis exemplo præire, opprobrium gentium, qui deos ſuos regi poſtponebant, à ſe ſuisq; amouere. Alia ſunt metuentium, alia heroum facta. Daniel eligit, quod mundus obſtupeſcat, cœlum probet, quo fames leonum frenetur.

¶ 3.

Orationis ſtudioſus erat Daniel, à qua nec metu mortis abduci potuit, nunc quo ſpiritu orauerit vidēdum. quod ve bis aliis exponi non debet, quam illis, quæ Spiritus Prophetæ dictauit. [1] *In anno primo Darii filii Aſſueri de ſemine Medorum, qui imperauit ſuper regnum Chaldæorum: Anno vno regni eius, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus eſt ſermo Domini ad Ieremiam prophetam, vt complerentur deſolationis Ieruſalem ſeptuaginta anni. Et poſui faciem meā ad Dominū Deum meum rogare & deprecari in ieiuniis, ſacco, & cinere. Et oraui Dominū Deum meum, & confeſſus ſum, & dixi: Obſecro Domine Deus magne & terribilis, cuſtodiens pactum & miſericordiam diligētibus te, & cuſtodientibus mandata tua. Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & receſſimus: & declinauimus à mandatis tuis, ac iudiciis. Non obediuimus ſeruis tuis prophetis, qui locuti ſunt in nomine tuo regibus noſtris, principibus noſtris, patribus noſtris, omniq; populo terræ. Tibi Domine iuſtitia: nobis autem confuſio faciei, ſicut eſt hodie viro Iuda, & habitatoribus Ieruſalem, & omni Iſraël, his qui propè ſunt, & his qui procul, in vniuerſis terris ad quas eieciſti eos, propter iniquitates eorum, in quibus peccauerūt in te. Domine nobis confuſio faciei, regibus noſtris, principibus noſtris, & patribus noſtris, qui peccauerunt. Tibi autem Domino Deo noſtro miſericordia, & propitiatio, quia receſſimus à te; & non audimus vocē Domini Dei noſtri, vt ambularemus in lege eius, quam poſuit nobis per ſeruos ſuos Prophetas. Et omnis Iſraël præuaricati ſunt legē tuam, & declinauerunt ne audirent vocem tuam, & ſtillauit ſuper nos maledictio, & deteſtatio, quæ ſcripta eſt in libro Moyſi ſerui Dei, quia peccauimus ei. Et ſtatuit ſermones ſuos, quos locutus eſt ſuper nos, & ſuper principes noſtros, qui iudicauerunt nos, vt ſu-*

1 c.9.v.5. vſq; ad 24. *Omnis orationis perfectio in precibus Danielis.*

vt ſuperinduceret in nos magnum malum; quale numquam fuit ſub omni cœlo, ſecundum quod factum eſt in Ieruſalem. Sicut ſcriptum eſt in lege Moyſi, omne malum hoc venit ſuper nos: & non rogauimus faciem tuam Domine Deus noſter, vt reuerteremur ab iniquitatibus noſtris, & cogitaremus veritatem tuam. Et vigilauit Dominus ſuper malitiam, & adduxit eam ſuper nos: iuſtus Dominus Deus noſter in omnibus operibus ſuis, quæ fecit: non enim audiuimus vocem eius. Et nunc Domine Deus noſter, qui eduxiſti populũ tuum de terra Ægypti in manu forti, & feciſti tibi nomen ſecundum diem hanc: peccauimus, iniquitatem fecimus, Domine in omnem iuſtitiam tuam: auertatur obſecro ira tua, & furor tuus, à ciuitate Ieruſalem, & monte ſancto tuo. Propter peccata enim noſtra, & iniquitates patrum noſtrorum Ieruſalem & populus tuus in opprobrium ſunt omnibus per circuitum noſtrum. Nunc ergo exaudi Deus noſter orationem ſerui tui, & preces eius: & oſtende faciem tuam ſuper ſanctuarium tuum, quod deſertum eſt propter temetipſum. Inclina Deus meus aurem tuam, & audi: Aperi oculos tuos, & vide deſolationem noſtram, & ciuitatem, ſuper quam inuocatum eſt nomen tuum: neq; enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Exaudi Domine, placare Domine: attende & fac: ne moreris propter temetipſum Deus meus: quia nomen tuum inuocatum eſt ſuper ciuitatem, & ſuper populum tuum. Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in viſione à principio, cito volans tetigit me in tempore ſacrificii veſpertini. Et docuit me, & locutus eſt mihi, dixitq;: Daniel nunc egreſſus ſum vt docerem te, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo: ego autem veni vt indicarem tibi, quia vir deſideriorum es: tu ergo animaduerte ſermonem, & intellige viſionem.

Oratio exaudita cum inciperet.

Hac in oratione Spiritus DEI non legitur tantum, verum ſentitur, non verba ſunt, ſed anima liquefacta. ſumma modeſtia corporis in ſacco & cinere, ſumma animi humilitas in confeſſione peccatorum, efficacia quoque ab Angelo oſtenditur: non expectauit DEI benignitas donec oratio ſe humiliantis abſolueretur, abex-

ab exordio precum Angelus mittitur. Hoc etiam anno tertio Cyri expertus eſt, cum *lugeret trium hebdomadarum diebus,* [k] mox primo die exauditus eſt. [l] *Et ait ad me: noli metuere Daniel: quia ex die primo, quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt verba tua: & ego veni propter ſermones tuos.* Atque hoc exemplo Danielis aulici Doctoris omnes Chriſti fideles ſerui orationi ſe debent: illa enim peruincit omnia, penetrat omnia, dirumpit omnia, donec ad aures DEI perueniat, vt expertus teſtatur Auguſtinus.

k c.10.2.
l c.10.12.

CAP. XX.

Danielis imitatores omnes fideles, præcipuè Palatini & magnates, nobiles, tribuni, centuriones.

§ I.

OMnibus Chriſtianis, præcipue regibus, & nobilibus, eſt in precibus ſucceſſus: nam domus oratione, & ciuitas ſeruatur, & precibus potentia calcatur armata, vt probat Auguſtinus: exemplisque Moyſis, Dauidis, Ezechiæ, Macchabæorum, è ſacris literis docemur. Chriſtiana Religio innumera nobis teſtimonia cumulat, hoſtes quoque noſtri fatentur. De legione fulminatrice hiſtoria eſt apud Euſebium. [a] Conſtantini facta, ſed precibus animata, Eccleſiam ſeruarunt: Ille viros pios in aula publico ſumptu alebat, qui pro imperio orarent. [b] Miranda Imperatoris & noſtris temporibus penè probroſa pietas. imperium non armis & opibus, ſed magis DEI auxilio, quod ſancti impetrarent, conſiſtere, rectè iudicauit; nec vllus principum diſſentit, qui nouit mundum propter electos conſeruari, malos vero viuere, vt bonis ſeruiant, tam exercendò eorum virtutem, quam commoda quædam

Omnia ab oratione pendent.

a *Liter. Antonini.*

b *Euſeb. l.1. de vita Conſtantini.*

Conſtantini pietas.

dam procurando: niſi enim aliqui eſſent boni, omnes perirent mali. Omnium ſententia eſt, Sanctorum in Eccleſia preces expectandas eſſe. At vero eſſe, qui ea ſola cauſa pios in aula ſuſtentet, vt DEVM precentur & ſalutem poſcant rebus, id rarum eſt. Nec tamen ſic aliorum precibus nitebatur, vt ſuas negligeret: nunquam ad bellum proceſſit, niſi multis precibus propitiato numine, vt Euſebius teſtatur. [c] Pingi orantis habitu & ſculpi ſe iuſſit, quo profiteretur, regnum ſe Deo largienti, non ſuæ prudentiæ viribusq; acceptum referre. palatium Conſtantini templo aliquando quam aulæ ſimilius fuit. Super menſam Imperatoris Pſalmi, Flauiani Epiſcopi inſtituto canebantur, [d] atq; illud ex vetuſta Eccleſiæ conſuetudine, cum fideles eâ curâ conuiuia agitarent, vt diſciplinam potiùs, quam dapes cœnarent, & ipſis agaparum conuictibus ad orationem animos præpararent. Quæ conſuetudo hodie quidem etiam in clericorum & Epiſcoporum domibus ita exoleuit, vt qui reducere eam voluerit, offenſam potiùs, quam fructũ ſperare debeat. Theodoſius quoque, qui Conſtantinum & geſtis, & Magni nomine æquauit, à precibus prœlia ſemper exorſus eſt, [e] & in rerum diſcrimine ſollicitum venti, niues, & fulmina propugnarunt. Sed Conſtantinus præcipuus fuit Danielis imitator, qui non modo factis, ſed & monumentis, principibus & aulicis orandi ſtudium commendauit: milites ſuos orare docuit: in nũmis ſpecies orantis exprimebatur, in tabulis erectus contemplantis imaginem habebat. [f] In idolorum fanis pingi ſuam imaginem vetabat. Nunc quoq; contrario ſæpè modo in templis orantis ſpecie viſuntur mortui, qui viui orationem neglexerunt. Quis nunc Imperator? quis dux milites orare docet? imo quis blaſphemare prohibet? Vix orant noſtro tempore ipſi duces, nonnulli etiam vates falſos & ariolos conſulunt, vt neminem cauſæ pereuntis imperij lateant, quod Deo non commendatur, ſed dæmonum conſiliis vexatur.

c *l.* 9. *c.* 9.

Chriſtianorum pietas.

d *Soz. l.* 7. 23.

e *Soz. l.* 2. *c.* 24.

f *Euſeb. de eius vita l.* 4. *c.* 15.

Iam rara oratio militaris.

Pre-

§ 2.

Precibus piè fuſis nihil excellentius: oportet enim ſemper orare, [g] ſemper egemus auxilio, ſemper petendum eſt, vt accipiamus; ſine intermiſſione autem accipimus. Eccleſiæ Chriſtianæ datus eſt Spiritus precum, vt prophetauit Zacharias. [h] *Et effundam ſuper habitatores Ieruſalem ſpiritum gratiæ & precum.* Prophetiam hanc luculentiſſimè primævæ Eccleſiæ Hieroſolymis expoſuit, non docendo, ſed orando. *erant enim perſeuerantes in oratione.* [i] nec minus deinde orandi ſtudium: noctibus in oratione perſeuerabant, horis antelucanis conueniebant, & quod apud Babylonios vnus Daniel fecit, multa centena millia Chriſtianorum quotidie faciebant, vt cum fortunarum, vitæ, & tormentorum periculo ad orationem & ſynaxes conuenirent. Qua de re Juſtinus, [k] Tertullianus, [l] Hieronymus, [m] Theodoretus, [n] Baronius. [o] Ad illam normam Carolus quoque Imperator orationi deditus erat, noctibus adire Eccleſias ſolitus, cum ipſis ſacerdotibus canere Pſalmos, atque inter tot imperia hoſtiumque certamina in precibus perſeuerare. Eadem ex diſciplina Pipinus innumerabilem Saracenorum vicit multitudinem, & orationi, non armis, victoriam aſſcribens, templum adiit, gratias egit illi, qui eſt triumphator in Iſraël. [p] Ladislaus Vngariæ rex Beſſos per inuias ſolitudines ſecutus, grauiorem mox ſenſit hoſtem, per viſcera graſſantem, famem; nec animum tamen deſpondit, DEVM rebus arctis non defuturum ratus, ad preces ſe conuertit, & exercitui commeatum poſtulauit. mouere Numen preces: obiecti mox ceruorum greges, captique, militem gratulationis pinguisque farinæ impleuerunt. [q] cur enim fame languentibus non ſubueniret cœleſtis clementia, quæ Iſraelitis per proteruiam manna faſtidientibus coturnices pluit? Si Chriſtiana tempora recolamus, illuſtriores victoriæ orantibus quam

præ-

g *Eph.* 6. 18. & 1. *Theſſ.* 5. 10. & 5. 18.
h *c.* 12. 10.
i *Act.* 1. 14. & 2. 46.
Carolus Magnus.
k *Apol. ad Anton.*
l *Apolog. c.* 49.
m *Ad Demetriadē.*
n *l. de Eſ. ſemp*
o *T.* 1 *anni.* 34.
p *Hiſtor. Franc. Paul.*
Ladislaus. Vngarus.
q *Bonfin. l.* 4. *c.* 2.

Digitized by Google

prælịantibus obtigerunt, vt ex Conſtantino, Theodoſio, Beliſario, Carolo, Narſete conſtat: miris etiam modis Deus ſuos periculis eruit benè precatos. Theodebertus & Childebertus regem Clotarium infeſto agmine ſequebantur, nullum huic in viribus præſidium, nulla in fuga ſalus; orante autem Crotilde, DEVS fulmine inſequentes repulit, & Clotarium ſeruauit. auctor Papyrius. [r] Oratio contra aduerſarios quam ira telis armata fuit valentior. Jacobus quoque Epiſcopus Niſibin vrbem, quam Perſarum tanta multitudo vallauerat, vt humana ope inſuperabilis eſſet, cumq; iam machinas intenderent, aggerem ſtruerent, & cunctis exitio prona videretur, defendit, & totam barbarorum colluuiem euertit: poſtquam enim DEVM exorauit, ingens culicum nubes hoſtium caſtris inuecta eſt, quorum tubis lanceiſque cameli atque alia iumenta in rabiem acta, obſidionem ſoluere inuitos coëgerunt, vt Surius, Baronius, Ado, aliiq; referunt. Theodoretus, [s] Gennadius, [t] Caſſiodorus, [u] Nicephorus. [x]

Crotildis oratio.
r *In hiſt. Franc.*
Iacobus Niſibita.
s *In Theophil. c. 1. & l. 1. hiſtor. c 7.*
t *De viris illuſtrib. c. 1.*
u *l. 1. c. 8.*
x *l 9. c. 18.*

Oratione Oſwinus rex Nortumbriæ, cum pauciſſimis ingentem Merciorum ſtragem edidit, vt narrat Sigebertus. [y] Afflictos enim & obſeſſos cum alia deſtituunt, fidum auxilium eſt ab oratione. Præfectus Nouodomi, quæ arx eſt in Liuonia, cum à Moſcis arcto obſidio premeretur, iamque extrema formidarent, maximeq; barbari inſtarent, impotentes iras oratione vicit: poſtquam DEO per preces & lachrymas propitiato tela ſumpſit, dextræ certæ DEVS adfuit, & iaculum in cor impij ducis direxit, vt vnius leto caſtra diſſoluerentur. Gagnæi, [z] Pizantini etiam cum triennio incluſi vallatique à Saracenis tenerentur, precibus numeroſa caſtra fugarunt, & abnauigantes hoſtes fluctus hauſit. Iuo teſtis, [a] & Blondus. [b] Ad orationem Aniani barbaros ab Aureliano imbre deiecit precum exauditor DEVS, ſanctoq; viro futurum prædixit fore vt cæderentur; nec fefellit: illos Aëtius paulò

y *In Chronic.*
Moſci oratione victi.
z *In Liuon.*
Saraceni victi oratione & merſi.
a *In Chronic.*
b *Dec. 1. l. 10.*

poſt

poſt pene internecione deleuit, magis oratione S. Epiſcopi, quam armorum potentia, hiſtoriam recenſet Turonenſ. [c] Lupus Epiſcopus Trecaſſinus cum furenti potentiæ regis Attilæ obſiſtere non poſſet; vrbem Deo commendatam aperiri iuſſit, tyrannus cum exercitu ferociſſimarum gentium innoxius tranſiit, ne verbo quidem aſperiore vſus: Vinxerat tot cædibus imbutas, tot rapinis conſceleratas manus inaſpectabilis quædam virtus; ne ad vllum ſcelus extendi poſſent. Eidem armis Radegundis regina, vxor Clotarij, vincula diſrupit. [d] & Robertus Franciæ rex dum in Eccleſia chorum regit & præcinit, mœnia caſtri, quod miles eius obſidebat, cecidere, in pio rege Joſuam Devs repræſentare voluit, nec æquare modo, ſed præferre: abſenti enim tubarum ſine clangore victoriam præſtitit.

S Aniani oratio. *c l.2.c.4.* *S. Lupi oratio.* *S. Radegundis oratio.* *d Venantius Fortunatus. Bandomina. Turon T.2. & l.9 hiſt. c.2.& 19. Sigeb. in Chronic. Vincentius.*

§ 3.

Regum iſta & aulicorum ſunt, virorumq; nobilitate & dignitate illuſtrium, quorum ſectari pietatem debent, qui eorum loca tenent. Pietas autem in precum perſeuerantia magis, quam aliis virtutibus elucet. Nã in vſu ac functionibus aliorum ſæpe multa intercurrunt obſtacula ac difficultates: liberalitati obſtat metus inopiæ, caſtitas eſt laborioſa, fortitudo & patientia aſpera; vt à Deo petere bona nolis, deprecari mala detrectes, nulla in ſpeciem excuſatio prætendi poteſt. Gratiſſima eſt miſericordiſſimo Patri precantium importunitas ac violentia. Si quid moleſtum eſt, patri propone, ſi conſeruus te affligit, habes tribunal Domini: numquam negat aditum ille rex, qui vbique eſt præſens, nunquam in eius conclaue ingrederis; quin ille te vocarit? non faſtidit longam orationem, quia illam ipſe dictauit. nunquam repellit. Iſaaco Monacho ante valuas oranti, templum vltro patuit. Æditυum, qui orantem conuitio vexauit; malus dæmon correptum exagitauit, vt Gregorius refert. [e]

Regum & nobilium eſt oratio. *Oratio Deo grata.* *e l.3.dial. 14.*

I Turbant

Julianus Saba. f Theodoret. l. 2. ſanct. l. 3. hiſt. c. 19. & l. 4. c. 5. Anianus. g Turon. hiſt. l. 2. c. 7. Surius. T. 6. Sabinian. h Mombr. T. 2. vitæ ſanct. Solymæi. Ammon. i Hier in Ezech. k Marul. l. 2. c 2. l Cyprian. Surius T. 4. Cæſarianus. m Ex Adone, Vſuardo, Sidonio, Greg. Surius. T. 2. & n Niceph. l. 12. c. 45. o Surius T. 2. & Menol. Græcorum. Sanctorũ in oratione dignitas.

Turbant Eccleſiam indecores regno Chriſti prælati? orandum, vt vel emendentur, vel pereant. Julianus Saba Aſterium Cyro vrbi Epiſcopum indignum flagitioſe deſignãtem, precibus, ne turbaret Eccleſiam, occidit. [f] Pacis illud ſtudio, non vindictæ cauſa factum. Sacerdos ab Attilia captiuus, cum Aniano Epiſcopo ſupra muros oranti inſultaret, diceretq; orationes non iuuiſſe alios, exercitum hoſtium verbis nõ fugari, ſubito concidit exanimls, præſagium cladis mox futuræ in caſtris, & exauditæ orationis. [g] Merito ſacerdotem iſta loquentem Devm vltus eſt, cum etiam infideles frequenter preces ſanctorum in honore haberent. Sabinianum martyrem perſecutores cum orantem inueniſſent, attingere auſi non ſunt, etſi altera vice ad capiendu miſſi, ſed rogarunt, vt ad Aurelianum tyrannum ſecum proficiſci dignaretur, quibus eſt obſecutus. [h] Omnibus enim venerabilis eſſe debet, qui Deo familiaris eſt: cum regum & principum intimos coli videamus. Malis omnibus bene opponitur oratio. Chriſtiani Jeroſolomæi cum orarẽt, locuſtarum agmina in mare præcipitata ſunt. [i] Ammon abbas oratione, vt draco rumperetur, impetrãuit. [k] Cæſarius Burdigalæ incendiũ, [l] Mamertus Viennæ terræ motũ ſedauit. [m] Ad preces Cæſarij Diaconi templum Apollinis corruit, & Firminum Pontificem dæmonis oppreſſit. Sic Donatus in Epiro è terra fontem, [n] Quintianos Armeniorum Epiſcopus pluuiam cœlo deduxit. [o] Nihil itaq; eſt, quod orantibus iuſte petentibus negetur: modo ne nocitura petantur.

§ 4.

Quemadmodum magnatum dignitas in regum affatu, & impetrandis quæ poſtularint, maxime cernitur ita Chriſtiani honos eſt in alloquio omnipotentis, quo amicus oſtenditur, & honoratus eſt nimis, dum obtinet quæcunq; amicum ab amico petere decet. In vrbium frequentia, & mundi celebritate quo in precio ſint veri ſancti, auditis orationibus eorum, piis impiisque

Devs

Deus oſtendit. Martyres ſane in mediis tormentis laceri & ſemimortui ingentia precibus miracula ediderunt, quo ipſa infidelitas, quæ perſuaderi non poterat, factis conuiceretur; tormenta eos non miſerabili neceſſitate, ſed laudabili voluntate perferre. Exempla quia nuſquam deſunt, hoc loco ponere non eſt neceſſe. Vnicum ſufficit, quia & probatum & memorabile eſt, Euphemiæ martyris Chalcedoniæ, de qua compēdio martyrologium Romanum hunc in modum. [p] *Chalcedone natalis S. Euphemiæ Virginis & Martyris, quæ ſub Diocletiano Imperatore, & Priſco Proconſule, tormenta, carceres, verbera, argumenta rotarum, ignes, pondera lapidum, beſtias, plagas virgarum, ſerras actas, ſartagines ignitas pro Chriſto ſuperauit: ſed rurſus in theatrum ad beſtias ducta, cum oraſſet ad Dominum vt iam ſpiritum ſuum ſuſciperet, vna ex iis morſum ſancto corpori infigente, cæteris pedes eius lambentibus, immaculatum ſpiritum Deo reddidit.* Eius vitam habēt Menologium, Metaph. Lipom. T. 6. Illa nobilis genere, nobilior claritudine teſtimonij, q̄ Chriſto dedit: in rogum iniicitur, orantem ignis reueretur, non vrit. in viuarium, quod lupi, labraces, alii carniuori piſces implebant; orantem brutiſſima animalia non attigere, vt ſerrato dentium ordine commolerent, dorſo ſuo per ſtagna triumphantem vexerunt; cum multa alia oratione auertiſſet, ne omnia vinceret, infelix aſtutia commenta eſt, quo preces præueniret: Neſcienti parata fouea eſt, leui ceſpite tecta, vt in eam incideret; ſed cum ab oratione non ceſſaret, ab Angelo incolumis traducitur, ſatellites in fraudem, quam ſtruxerant, impegerun t. Serris iubetur ſecari, ferreas cuſpides oratio emolliit ne virgineum corpus lacerarent. Beſtiis obiicitur, ipſa Deum plena fide, illam beſtia qua poterant veneratione adorarunt. Tot experta ſupplicia, omniumque victrix, mortem non alio modo quam oratione inuenit: cum enim oraret Deum, vt liceret diſſolui & eſſe cum Chriſto, cæteris beſtiarum blandientibus, & veſtigia lambentibus, vna vrſarum infixit optanti dentes, & corpore ſolutam cælo immiſit.

p 16. *ſept. Euphemiæ oratio, & martyriū.*

Digitized by Google

Qui fata proculcauit, ac vita bona
Proiecit, atq; abſcîdit, & caſus ſuos
Onerauit; ipſi, ceu video, nullum eſt opus,
Quare ipſe mortem cupiat, aut quare petat,
Vtrumq; timidi eſt, bellè contempſit mori,
Qui non cupiuit &c.

Nemo magis ſeruituti obnoxius eſt, quam is qui multa & multos metuit: tot enim dominos habet, quot timores. Magno riſu celebratus eſt Artemonis Periphoreti metus, ſedenti ſupra caput ſcutum tenebant ſeruuli, ne aliquo è ſublimi cadente læderetur, humi cubabat ne decideret, foras profectus lectica claudebatur. [r] Ludouicus IX. rex Galliæ Jacobo Cotterio medico ita obnoxius erat, vt tanquam Dominum ſeruus formidaret, & ille impotenter imperium exercebat, cum terrere vellet, alium vt medicum quæreret, ſæpe ingeminans. [s] rex ſine illo ſe viuere poſſe diffidebat. Ita metu, ſeu vero, ſeu falſo, animus diſcerpitur, & quaſi in funda rotatur. Nero audita defectione Galbæ torpuit, ſine voce ſtetit, caput verberauit, ante mortem pene funeratus. [t] Iſocrates dicendi quam viuendi peritior, cum natus annos nonaginta ægrotaret, rogatus quî valeret, *vt homo*, inquit, *nonagenarius, qui mortem ſummum malum putat.* Quem affectus ille captiuum tenet, omnia metuit, omnia tanquam letalia intuetur.

Artemonis timor.
r Plutarch. in Pericle:
Ludouicus IX.
s Comminaus.
Nero.
t Sueton. in Nerone.

§ 4.

Proinde quid cras futurum ſit, fuge quærere: vtiq; quod DEVS præuidit, quod voluit fieri, quod noluit impedire. vtiq; & viro bono probandum eſt id quod ſummè bonus ſtatuit. Indecora res eſt metus, etiam in corpore, cui vires demit: [u]

Vagus per artus errat excuſſus tremor,
Erectus horret crinis, impulſis adhuc
Stat terror animis, & cor attonitum ſalit,
Pauidumq; trepidis palpitat venis iecur,

Ne time quod Deus vult.
u Seneca in Medea.

& cum

& cum euentu reputat, & mores frementis aulæ pallet; [x] x *Seneca.*

Quaſi cum Siculi Virgo Pelori
Rabidos vtero ſuccincta canes,
Omnes pariter ſoluit hiatus.
Quis non totos horruit artus,
Toties vno latrante malo?

Cupido futura ſciendi.

Moleſtia eſt ſine emolumento timor futuri. Nullum eſt tædium expectatione faſtidioſius. Metus futuri ſuſpicioſus eſt cruciatus, malum ſpontaneum.

Sed malus interpres rerum metus omne trahebat
Augurium peiore via. [y]

y *Claudianus de bell. Get.*

Somnum arcet, ſanitatem carpit, ſenectam accelerat totam vitam ſuſpectam habet morte durior eſt mortis metus. præſtat ſemel cadere, quam ſemper timere, qui ſemel frenum momordit, vt ſecum ſtatuit, non metuere, iam liber eſt: nec metum metuit, vno alium; quod veriſſimum eſſe docet Auguſtinus. [z] Incredibilis hinc futura cognoſcendi cupido. Hinc magicæ ſortes auguria, omnia ſomnia, aſtrorum infamia. Hinc impoſturis magna pars hominum obiecta eſt; totiesq; decepta non profutura curioſitate maceratur. nolle futura cupiunt, ſi noſſent dolituri.

z 80. qq. 31.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte tremit DEVS,
Ridetq; ſi mortalis vltra
Fas trepidat. [a]

a *Horatius.*

Nihil tamen efficit illa cura: nam ſi ventura ſint, ea timere eſt miſerrimum, ſi non euentura, vaniſſimum, ſi eo malo te crucies, quod nunquam futurum eſt.

¶ 5.

Nimis, inquis, formido, ne grauiora tempora infelix experiar. Noli ante tempus eſſe miſer, induciis quas DEVS dedit fruere, venient illa, ſed non pura mala, vehent ſecum lenimenta. [b]

b *Seneca epiſt. 109.*

Meliora quidem præteruolant, deteriora ſuccedunt, quemadmodum ex amphora primum, quod eſt ſinceriſſimum, effluit;

Digitized by Google

grauiſſimum quodq; turbidiſſimumq; ſubſidit. id ex hauriri in aliis potius patimur, vt nobis fecem reſeruemus. Inhæreat iſtud animo, & tanquam miſſum oraculo placeat.

Venient, ne dubita, ſed ne metue: fortè ante diſcedes. inopiam, offenſam, dedecus formidas, forſitan ante te mors abſoluet. Omnis ætas de ſuis moribus queſta eſt & de calamitatibus, querentur & poſteri. præterita meliora opinamur, quia non ſentimus. Meliora tempora expectas, & ne tardent, metuis; at tempora bona ſunt, male nos illis vtimur. ſint homines iuſti, non erunt iniqua tempora; dies ſunt mali, quia pauci per illos boni, cur vero ſint boni, à pleriſq; male collocandi? Tu viue ex virtute, in Deo tuo, & omnis dies in lucro eſt. Quocunq; res cadat, operum bonorum nihil perit. Hodie regnum tibi parare potes, quid ſedes pallidus & metuens futuri? occupanda ſunt tempora ne ignauis elabantur, aſpera magis ſunt regno comparando idonea. Daniel dies octo inter leones ſedit. [c] nihi niſi Deum timebat, omnium rerum, & vel mundi ruentis ſecurus. Si incertum euentum cauſaris, fruſtra angeris: quod paſſurus es, hoc te manet. tuum eſt cauere, ne ex merito patiare; ſi autem innocens, gaude, illa te in portum tempeſtas celerius vehit, lancea illa vomicam aperit, pus & venenum extrahit. Media tranſili, poſtremo, quo de æternitate cernitur, euentu, cuncta æſtimato: ille dies de omnibus iudicat.

Virtuti ſtudendũ.

c c. 6. & 14.

De æternus ſollicitudo.

¶ 6.

Demum vt præſenti momento viuamus, futura quoque ne metuamus, curandum. vis eſſe aulicus fœlix? liber eſto à formidine; ſic rex, ſic beatus eris.

Rex eſt qui metuit nihil,
Hoc regnum ſibi quiſq; dat. [d]

d Seneca.

Imo DEVS dat, licet non ſine nobis. DEVM time, ille Dominus eſt. ama DEVM, charitas foras mittet time-

Digitized by Google

timorem. [e] ſerui DEO in timore & tremore. cætera non timebis, non magis quam ſpumas Indici maris: nemo DEVM timens, hominem formidat; non timet vbi non eſt timor, ſi timet quod DEVS iuſſit timere. bene viue, nullum genus mortis recte viuenti timendum, vt bene Gregorius. maiore timore minora contemnimus. [f] Veriſſime itaq; Didymus: fieri non poteſt, vt qui DEVM timet viuat in timore. Fortem virum nemo facile aggreditur, & DEVM timentem alij timores deſerunt: ille eſt enim bonus & prudentiſſimus, Chryſoſtomi & veritatis iudicio, qui fortis eſt & Deum timet.

e *Mal.1.*

Solus Deus timendus.

f *Auguſtinus in Pſal.68.*

Hinc vana timentur, quia vera pericula non cogitantur. Nemo, aut ſane pauci de multis, futurorum metum cogitant, diem & iram Domini, & incredulis ventura ſupplicia, ſtatuta perfidis tormenta quaſi longe poſita non reſpectant, quæ metueret conſcientia, ſi crederet, vt deplorat Auguſtinus. [g] Illa valde terrent, ſi fidem habemus, eos qui fidem non habet, non terrent. Auguſtinus, [h] & deinde [i] vanum docet eſſe timorem migrare trepidantium, & metum amittendi temporalia, cui tamen reſiſti nō poſſit. Homines illos increpat & plangit idem Aug. timentes vbi non eſt timendum, timentes de temporum, non animarum contritione. [k] vinctos timore ſeruili quum non iuſtitia amatur, ſed pœna timetur. [l]

Veri mali timor vanum excutit.

g *T.10.210.*

h *ſerm 4. de verbis Domini.*

i *de verbis Apoſt. ſerm. 15.*

k *T.9 47.*

l *Baſil. & Doroth. Doctrina.4.*

Tres enim ſunt conditiones & ſtatus (vt diuus Baſilius ait) quibus Deo grati eſſe poſſumus. Si enim pœnam formidamus, in ſeruili ſtatu ſumus. Si vero mercedis lucra conſectantes, vtilitatis & commodi proprii gratia diuina mandata peragimus, mercenariis aſſimulamur. Sin autem bono & honeſto propter ſeipſum adhæreamus, in filiorum genere ſumus. Filius enim vbi ad prudentiam diſcretionemque peruenerit, paterna vota exequitur non timore ſcilicet plagarum, non etiam mercedis & præmii cupiditate, ſed amore, pietate, obſeruantiaque erga patrem. Perſuaſus enim ſatis eſt, ſuum fore, quicquid patris fuerit.

Tres timores.

Digitized by Google

Hac ſpe quisquis viuit, non metuit quicquam in mundo, extra mundum iturus. Qui ſtadium decurrit, gaudet, non timet, cum ad metam ventum eſt: curſum enim hoc eſt laborem abſoluit, ſupereſt corona. Kilianus Herbipol. Eccl. Epiſcopus celſo lætoq; animo percuſſores excepit: *Amici inquit, ad quid veniſtis? vos præceptum implebitis, nos curſum conſummabimus.* Hæc ſola ſecuritas eſt, & cum timore ſine anxietudine futuri. Nec male Seneca, quanquam finis ignarus. [m]

m Epiſt. 106. *Securitatis magna portio eſt, nihil inique facere. confuſam vitam & perturbatam impotentes agunt. tantum metuunt, quantum nocent: nec vllo tempore vacant. trepidant enim, cum fecerunt, hærent, conſcientia aliud agere non patitur, ac ſubinde ad ſe reſpicere cogit. Dat pœnas, quisquis expectat: quisquis autem meruit, expectat. Tutum aliqua res in mala conſcientia præſtat, nulla ſecurum. Putat enim ſe, etiamſi non deprehenditur, poſſe deprehendi: & inter ſomnos mouetur: & quoties alicuius ſcelus loquitur, de ſuo cogitat. non ſatis illi oblitteratum videtur, non ſatis tectum. Nocens habuit aliquando latendi fortunam, nunquam fiduciam.*

Cap. XIX.

Magiſtratibus & Palatinis feruenter orandum exemplo Danielis.

§ 1.

Orationis neceſſitas. MEntis noſtræ in DEVM defixa aduerſum ſpes inanes & metus conſtantia, vitæque honeſte degendæ ratio, de qua egi, è cœlo datur. oratione igitur nutritur & firmatur, orationi viciſſim parandus eſt animus, ne minore DEVM veneratione, dum alloquitur quam regem proſequamur. Qui recte viuit, rectè orat; & viciſſim, qui rectè orat recte viuit: affectus enim, nō vox orantis æſtimatur, hunc tamen ſermo ſequitur, Sancta doctrina Juſtini Martyris. [a] orare debemus ſermo-

a Devent. Chriſtiana religionis.

ſermone copioſi, factis potentes, & Antiſtes Hipponenſis attendere nos iubet orationi, vt DEVS attendat: quomodo enim ille audiet, ſi te ipſe non audis? illa oratione DEVS flectitur, quæ non in multitudine verborum, ſed cordis affectu conſiſtit; cordis tamen affectus multa verba, non inania tamen pronunciat. Parœmia dici ſolet; orare neſcio nauigandum eſſe mare, indomitum elementum docere preces: tribus enim digitis cum abſint à morte, cum vndique pontus inſonet, vtraque latera nauis ventus & vnda tundat, humanis auxiliis deſtituti, ad DEI clementiam recurrunt, & veris lachrymis inuocant. In æquore vaſto iactantur & proceres, lubrica ponunt veſtigia, fluctibus ſuſpenſi: mare enim ſuper quod ambulant, ſunt populi. nam Joannes Apoſt. vidit mulierem ſedentem ſuper aquas multas [b] & ne dubitemus, quæ ſint aquæ & maria, exponit. [c] *& dixit mihi: aquæ, quas vidiſti vbi meretrix ſedet, populi ſunt, & Gentes, & linguæ.* Imperant, populis & inſultant, vt nauigantes fluctibus, ab illis tamen ſuſtinentur & iactantur, & cum inhorruere, merguntur. Nauta mare calcat & timet. ſolum in quo ſtant, ſolidum non eſt, ſed liquens & mobile; nec illius firmitate, ſed ſua leuitate in alto tenentur. Euripi more fluit, atq; æſtus reciprocat multorum naufragio infames. Orandum igitur illis eſt vt pericula diſcutiant, & in DEO ſubſiſtant: ſunt enim in profundo maris, & non eſt ſubſtantia. [d]

Aulici in mari.

b *Apoc.* 17. 1.

c *Apoc.* 17. 15.

d *Pſal.* 68. 3.

§ 2.

Verum tu Daniel procede vir deſideriorum, fili hominis, Angelorum collega, regum miniſter & arbiter, doce aulicos fundere preces, animas cœlo tollere, terreſtium tantiſper inanes, cœleſtium refertos. Legant orationem Azariæ, qui aperiens os ſuum in medio ignis, [e] legant & orationem trium puerorum, quam quotidie vſurpat Eccleſia. [f] Sed ita legamus, vt eiſdem periculis nos cogitemus implicitos: hinc aqua,

Daniel orator.

e *Dan.* 3. 26. *vſq; ad* 46.

f *Dan.* 52. 3. *& ſeq.*

H 5 hinc

hinc flamma exæſtuat. Hæc ex narratione Danielis, nunc ſpiritũ in illo precum & orationis videamus ardorem. [g] *Dixerunt ergo viri illi: Non inueniemus Danieli huic aliquam occaſionẽ, niſi fortè in lege Dei ſui.* Nouum calumnię genus laus eſt Prophetæ. Quæ vita, quis ſermo, quæ fama viri ſancti fuerit inter incultiſſimos & ferociſſimos barbarorum, res ipſa docet: publico in conſilio, omnibus hoſtili diligentia expenſis, nullam in Daniele cauſam fore iudicãt, niſi in lege Dei ſui. Non miror Danielis pietatem & in oratione cõſtantiam, aliorum quoq; fuerunt paria decora. Hoc ipſis virtutibus maius eſt, viuendo tantam excitaſſe inter barbaros religionis opinionem, vt certo ſtatuerent, illum potiùs ſubiturum ora leonum & beſtiariorum miſeras vices, quam ab oratione ceſſaturũ, & niſi talis eſſet, occaſionem eius interficiẽdi fore deſperarent. Nec fefellit famam Daniel, ſed vicit virtute, vicit miraculo. [h] *Porro,* inquit, *rex Darius propoſuit edictũ, & ſtatuit. Quod cum Daniel comperiſſet, id eſt, conſtitutam legem, ingreſſus eſt domum ſuam: & feneſtris apertis in cænaculo ſuo contra Ieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat, confitebaturq; coram Deo ſuo, ſicut & ante facere conſueuerat. Viri ergo illi curioſius inquirentes, inuenerunt Danielem orantem & obſecrantem Deum ſuum.* Deuotionem Prophetæ aulici Chriſtiani penitiùs introſpiciant. fecerunt illud etiam idololatræ, illi, vt ad beſtias damnarent, noſtri, vt imitentur. Comperto igitur, quod iniqua lege parabatur, diſcrimine, Daniel tueri pietatem cõſtituit. multa arte ſine fraude machinas eludere potuit, ſed noluit, orare noctu potuit, & lachrymis lauare ſtratum ſuum, quod fecit & Dauid, potuit clauſis feneſtris atq; oſtiis, ſine arbitris, potuit ſedens, inambulans, aliud agere ſimulans, ſine ſuſpirio, ſine voce, ſola mente Deum orare: non enim vocem aut corporis geſtum Deus exigit, ſed animi pietatem; at ille maluit palam, apertis feneſtris, in cænaculo, in turba miniſtrorum, verſa ad Jeruſalem facie, genibus flexis, ter in die fidem ſuam & cultum

g *Dan. 6.5.*

h *c. 6.9. vſq; ad 12.*

Daniel latere noluit orationem.

tùm profiteri, legẽ impiam factis refigere, Judæis pietatis exemplo præire, opprobrium gentium, qui deos ſuos regi poſtponebant, à ſe ſuisq; amouere. Alia ſunt metuentium, alia heroum facta. Daniel eligit, quod mundus obſtupeſcat, cœlum probet, quo fames leonum frenetur.

¶ 3.

Orationis ſtudioſus erat Daniel, à qua nec metu mortis abduci potuit, nunc quo ſpiritu orauerit vidẽdum. quod ve bis aliis exponi non debet, quam illis, quæ Spiritus Prophetæ dictauit. [i] *In anno primo Darii filii Aſſueri de ſemine Medorum, qui imperauit ſuper regnum Chaldæorum: Anno vno regni eius, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus eſt ſermo Domini ad Ieremiam prophetam, vt complerentur deſolationis Ieruſalem ſeptuaginta anni. Et poſui faciem meã ad Dominũ Deum meum rogare & deprecari in ieiuniis, ſacco, & cinere. Et oraui Dominũ Deum meum, & confeſſus ſum, & dixi: Obſecro Domine Deus magne & terribilis, cuſtodiens pactum & miſericordiam diligẽtibus te, & cuſtodientibus mandata tua. Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & receſſimus: & declinauimus à mandatis tuis, ac iudiciis. Non obediuimus ſeruis tuis prophetis, qui locuti ſunt in nomine tuo regibus noſtris, principibus noſtris, patribus noſtris, omniq; populo terræ. Tibi Domine iuſtitia: nobis autem confuſio faciei, ſicut eſt hodie viro Iuda, & habitatoribus Ieruſalem, & omni Iſraël, his qui propè ſunt, & his qui procul, in vniuerſis terris ad quas eieciſti eos, propter iniquitates eorum, in quibus peccauerũt in te. Domine nobis confuſio faciei, regibus noſtris, principibus noſtris, & patribus noſtris, qui peccauerunt. Tibi autem Domino Deo noſtro miſericordia, & propitiatio, quia receſſimus à te; & non audimus vocẽ Domini Dei noſtri, vt ambularemus in lege eius, quam poſuit nobis per ſeruos ſuos Prophetas. Et omnis Iſraël præuaricati ſunt legẽ tuam, & declinauerunt ne audirent vocem tuam, & ſtillauit ſuper nos maledictio, & deteſtatio, quæ ſcripta eſt in libro Moyſi ſerui Dei, quia peccauimus ei. Et ſtatuit ſermones ſuos, quos locutus eſt ſuper nos, & ſuper principes noſtros, qui iudicauerunt nos,* vt ſu-

i *c.9.v.5. vſq; ad 24.*

Omnis orationis perfectio in precibus Danielis.

vt ſuperinduceret in nos magnum malum; quale numquam fuit ſub omni cœlo, ſecundum quod factum eſt in Ieruſalem. Sicut ſcriptum eſt in lege Moyſi, omne malum hoc venit ſuper nos: & non rogauimus faciem tuam Domine Deus noſter, vt reuerteremur ab iniquitatibus noſtris, & cogitaremus veritatem tuam. Et vigilauit Dominus ſuper malitiam, & adduxit eam ſuper nos: iuſtus Dominus Deus noſter in omnibus operibus ſuis, quæ fecit: non enim audiuimus vocem eius. Et nunc Domine Deus noſter, qui eduxiſti populũ tuum de terra Ægypti in manu forti, & feciſti tibi nomen ſecundum diem hanc: peccauimus, iniquitatem fecimus, Domine in omnem iuſtitiam tuam: auertatur obſecro ira tua, & furor tuus, à ciuitate Ieruſalem, & monte ſancto tuo. Propter peccata enim noſtra, & iniquitates patrum noſtrorum Ieruſalem & populus tuus in opprobrium ſunt omnibus per circuitum noſtrum. Nunc ergo exaudi Deus noſter orationem ſerui tui, & preces eius: & oſtende faciem tuam ſuper ſanctuarium tuum, quod deſertum eſt propter temetipſum. Inclina Deus meus aurem tuam, & audi: Aperi oculos tuos, & vide deſolationem noſtram, & ciuitatem, ſuper quam inuocatum eſt nomen tuum: neq; enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Exaudi Domine, placare Domine: attende & fac: ne moreris propter temetipſum Deus meus: quia nomen tuum inuocatum eſt ſuper ciuitatem, & ſuper populum tuum. Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in viſione à principio, cito volans tetigit me in tempore ſacrificii veſpertini. Et docuit me, & locutus eſt mihi, dixitq́: Daniel nunc egreſſus ſum vt docerem te, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo: ego autem veni vt indicarem tibi, quia vir deſideriorum es: tu ergo animaduerte ſermonem, & intellige viſionem.

Oratio exaudita cum inciperet.

Hac in oratione Spiritus DEI non legitur tantum, verum ſentitur, non verba ſunt, ſed anima liquefacta. ſumma modeſtia corporis in ſacco & cinere, ſumma animi humilitas in confeſſione peccatorum, efficacia quoque ab Angelo oſtenditur: non expectauit DEI benignitas donec oratio ſe humiliantis abſolueretur, abex-

ab exordio precum Angelus mittitur. Hoc etiam anno tertio Cyri expertus eſt, cum *lugeret trium hebdomadarum diebus,* [*k*] mox primo die exauditus eſt. [*l*] *Et ait ad me: noli metuere Daniel: quia ex die primo, quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt verba tua: & ego veni propter ſermones tuos.* Atque hoc exemplo Danielis aulici Doctoris omnes Chriſti fideles ſerui orationi ſe debent: illa enim peruincit omnia, penetrat omnia, dirumpit omnia, donec ad aures DEI perueniat, vt expertus teſtatur Auguſtinus.

k c.10.2.
l c.10.12.

CAP. XX.

Danielis imitatores omnes fideles, præcipuè Palatini & magnates, nobiles, tribuni, centuriones.

§ I.

OMnibus Chriſtianis, præcipue regibus, & nobilibus, eſt in precibus ſucceſſus: nam domus oratione, & ciuitas ſeruatur, & precibus potentia calcatur armata, vt probat Auguſtinus: exempliſque Moyſis, Dauidis, Ezechiæ, Macchabæorum, è ſacris literis docemur. Chriſtiana Religio innumera nobis teſtimonia cumulat, hoſtes quoque noſtri fatentur. De legione fulminatrice hiſtoria eſt apud Euſebium. [*a*] Conſtantini facta, ſed precibus animata, Eccleſiam ſeruarunt: Ille viros pios in aula publico ſumptu alebat, qui pro imperio orarent. [*b*] Miranda Imperatoris & noſtris temporibus penè probroſa pietas. imperium non armis & opibus, ſed magis DEI auxilio, quod ſancti impetrarent, conſiſtere, rectè iudicauit; nec vllus principum diſſentit, qui nouit mundum propter electos conſeruari, malos vero viuere, vt bonis ſeruiant, tam exercendò eorum virtutem, quam commoda quædam

Omnia ab oratione pendent.

a *Liter. Antonini.*

b *Euſeb. l.1. de vita Conſtantini.*

Conſtantini pietas.

dam procurando: niſi enim aliqui eſſent boni, omnes perirent mali. Omnium ſententia eſt, Sanctorum in Eccleſia preces expectandas eſſe. At vero eſſe, qui ea ſola cauſa pios in aula ſuſtentet, vt DEVM precentur & ſalutem poſcant rebus, id rarum eſt. Nec tamen ſic aliorum precibus nitebatur, vt ſuas negligeret: nunquam ad bellum proceſſit, niſi multis precibus propitiato numine, vt Euſebius teſtatur. [c] Pingi orantis habitu & ſculpi ſe iuſſit, quo profiteretur, regnum ſe Deo largienti, non ſuæ prudentiæ viribusq; acceptum referre. palatium Conſtantini templo aliquando quam aulæ ſimilius fuit. Super menſam Imperatoris Pſalmi, Flauiani Epiſcopi inſtituto canebantur, [d] atq; illud ex vetuſta Eccleſiæ conſuetudine, cum fideles eâ curâ conuiuia agitarent, vt diſciplinam potiùs, quam dapes cœnarent, & ipſis agaparum conuictibus ad orationem animos præpararent. Quæ conſuetudo hodie quidem etiam in clericorum & Epiſcoporum domibus ita exoleuit, vt qui reducere eam voluerit, offenſam potiùs, quam fructũ ſperare debeat. Theodoſius quoque, qui Conſtantinum & geſtis, & Magni nomine æquauit, à precibus prœlia ſemper exorſus eſt, [e] & in rerum diſcrimine ſollicitum venti, niues, & fulmina propugnarunt. Sed Conſtantinus præcipuus fuit Danielis imitator, qui non modo factis, ſed & monumentis, principibus & aulicis orandi ſtudium commendauit: milites ſuos orare docuit: in nũmis ſpecies orantis exprimebatur, in tabulis erectus contemplantis imaginem habebat. [f] In idolorum fanis pingi ſuam imaginem vetabat. Nunc quoq; contrario ſæpè modo in templis orantis ſpecie viſuntur mortui, qui viui orationem neglexerunt. Quis nunc Imperator? quis dux milites orare docet? imo quis blaſphemare prohibet? Vix orant noſtro tempore ipſi duces, nonnulli etiam vates falſos & ariolos conſulunt, vt neminem cauſæ pereuntis imperij lateant, quod Deo non commendatur, ſed dæmonum conſiliis vexatur.

c *l.9.c.9.*

Chriſtianorum pietas.

d *Soz.l.7.23.*

e *Soz.l.2.c.24.*

f *Euſeb. de eius vita l.4.c.15.*

Iam rara oratio militaris.

Pre-

Digitized by Google

§ 2.

Precibus piè fuſis nihil excellentius: oportet enim ſemper orare, [g] ſemper egemus auxilio, ſemper petendum eſt, vt accipiamus; ſine intermiſſione autem accipimus. Eccleſiæ Chriſtianæ datus eſt Spiritus precum, vt prophetauit Zacharias. [h] *Et effundam ſuper habitatores Ieruſalem ſpiritum gratiæ & precum.* Prophetiam hanc luculentiſſimè primævæ Eccleſiæ Hieroſolymis expoſuit, non docendo, ſed orando. *erant enim perſeuerantes in oratione.* [i] nec minus deinde orandi ſtudium: noctibus in oratione perſeuerabant, horis antelucanis conueniebant, & quod apud Babylonios vnus Daniel fecit, multa centena millia Chriſtianorum quotidie faciebant, vt cum fortunarum, vitæ, & tormentorum periculo ad orationem & ſynaxes conuenirent. Qua de re Juſtinus, [k] Tertullianus, [l] Hieronymus, [m] Theodoretus, [n] Baronius. [o] Ad illam normam Carolus quoque Imperator orationi deditus erat, noctibus adire Eccleſias ſolitus, cum ipſis ſacerdotibus canere Pſalmos, atque inter tot imperia hoſtiumque certamina in precibus perſeuerare. Eadem ex diſciplina Pipinus innumerabilem Saracenorum vicit multitudinem, & orationi, non armis, victoriam aſſcribens, templum adiit, gratias egit illi, qui eſt triumphator in Iſraël. [p] Ladiſlaus Vngariæ rex Beſſos per inuias ſolitudines ſecutus, grauiorem mox ſenſit hoſtem, per viſcera graſſantem, famem; nec animum tamen deſpondit, DEVM rebus arctis non defuturum ratus, ad preces ſe conuertit, & exercitui commeatum poſtulauit. mouere Numen preces: obiecti mox ceruorum greges, captique, militem gratulationis pinguiſque farinæ impleuerunt. [q] cur enim fame languentibus non ſubueniret cœleſtis clementia, quæ Iſraelitis per proteruiam manna faſtidientibus coturnices pluit? Si Chriſtiana tempora recolamus, illuſtriores victoriæ orantibus quam

præ-

g *Eph.* 6. 18. & 1. *Theſſ.* 5. 10. & 5. 18.
h *c.* 12. 10.
i *Act.* 1. 14. & 2. 46.
Carolus Magnus.
k *Apol. ad Anton.*
l *Apolog. c.* 49.
m *Ad Demetriadē.*
n *l. de Eſ. ſemp*
o *T.* 1 *anni.* 34.
p *Hiſtor. Franc. Paul.*
Ladiſlaus Vngarus.
q *Bonfin. l.* 4. *c.* 2.

Digitized by Google

prælịantibus obtigerunt, vt ex Conſtantino, Theodoſio, Beliſario, Carolo, Narſete conſtat: miris etiam modis Deus ſuos periculis eruit benè precatos. Theodebertus & Childebertus regem Clotarium infeſto agmine ſequebantur, nullum huic in viribus præſidium, nulla in fuga ſalus; orante autem Crotilde, Devs fulminè inſequentes repulit, & Clotarium ſeruauit. auctor Papyrius. [r] Oratio contra aduerſarios quam ira telis armata fuit valentior. Jacobus quoque Epiſcopus Niſibin vrbem, quam Perſarum tanta multitudo vallauerat, vt humana ope inſuperabilis eſſet, cumq; iam machinas intenderent, aggerem ſtruerent, & cunctis exitio prona videretur, defendit, & totam barbarorum colluuiem euertit: poſtquam enim Devm exorauit, ingens culicum nubes hoſtium caſtris inuecta eſt, quorum tubis lanceisque cameli atque alia iumenta in rabiem acta, obſidionem ſoluere inuitos coëgerunt, vt Surius, Baronius, Ado, alijq; referunt. Theodoretus, [s] Gennadius, [t] Caſſiodorus, [u] Nicephorus. [x]

Crotildis oratio.
r *In hiſt. Franc.*
Iacobus Niſibita.
s *In Theophil. c. 1. & l. 1. hiſtor. c. 7.*
t *De viris illuſtrib. c. 1.*
u *l. 1. c. 8.*
x *l. 9. c. 28.*

Oratione Oſwinus rex Nortumbriæ, cum pauciſſimis ingentem Merciorum ſtragem edidit, vt narrat Sigebertus. [y] Afflictos enim & obſeſſos cum alia deſtituunt, fidum auxilium eſt ab oratione. Præfectus Nouodomi, quæ arx eſt in Liuonia, cum à Moſcis arcto obſidio premeretur, iamque extrema formidarent, maximeq; barbari inſtarent, impotentes iras oratione vicit: poſtquam Deo per preces & lachrymas propitiato tela ſumpſit, dextræ certæ Devs adfuit, & iaculum in cor impij ducis direxit, vt vnius leto caſtra diſſoluerentur. Gagnæi, [z] Bizantini etiam cum triennio incluſi vallatique à Saracenis tenerentur, precibus numeroſa caſtra fugarunt, & abnauigantes hoſtes fluctus hauſit. Iuo teſtis, [a] & Blondus. [b] Ad orationem Aniani barbaros ab Aureliano imbre deiecit precum exauditor Devs, ſanctoq; viro futurum prædixit fore vt cæderentur; nec fefellit: illos Aetius paulò poſt

y *In Chronic.*
Moſci oratione victi.
z *In Liuon.*
Saraceni victi oratione & merſi.
a *In Chronic.*
b *Dec. 1. l. 10.*

poſt pene internecione deleuit, magis oratione S. Epiſcopi, quam armorum potentia, hiſtoriam recenſet Turonens. [c] Lupus Epiſcopus Trecaſſinus cum furenti potentiæ regis Attilæ obſiſtere non poſſet; vrbem Deo commendatam aperiri iuſſit, tyrannus cum exercitu ferociſſimarum gentium innoxius tranſiit, ne verbo quidem aſperiore vſus: Vinxerat tot cædibus imbutas, tot rapinis conſceleratas manus inaſpectabilis quædam virtus; ne ad vllum ſcelus extendi poſſent. Eiſdem armis Radegundis regina, vxor Clotarij, vincula diſrupit. [d] & Robertus Franciæ rex dum in Eccleſia chorum regit & præcinit, mœnia caſtri, quod miles eius obſidebat, cecidere, in pio rege Joſuam Devs repræſentare voluit, nec æquare modo, ſed præferre: abſenti enim tubarum ſine clangore victoriam præſtitit.

S Aniani oratio. *c l.2.c.4.* *S. Lupi oratio.* *S. Radegundis oratio.* *d Venantius Fortunatus. Bandomina. Turon T.2. & l.9 hiſt. c.2. & 19. Sigeb. in Chronic. Vincentius.*

§ 3.

Regum iſta & aulicorum ſunt, virorúmq; nobilitate & dignitate illuſtrium, quorum ſectari pietatem debent, qui eorum loca tenent. Pietas autem in precum perſeuerantia magis, quam aliis virtutibus elucet. Nã in vſu ac functionibus aliorum ſæpe multa intercurrunt obſtacula ac difficultates: liberalitati obſtat metus inopiæ, caſtitas eſt laborioſa, fortitudo & patientia aſpera; vt à Deo petere bona nolis; deprecari mala detrectes, nulla in ſpeciem excuſatio prætendi poteſt. Gratiſſima eſt miſericordiſſimo Patri precantium importunitas ac violentia. Si quid moleſtum eſt, patri propone; ſi conſeruus te affligit; habes tribunal Domini: numquam negat aditum ille rex, qui vbique eſt præſens, nunquam in eius conclaue ingrederis; quin ille te vocarit? non faſtidit longam orationem, quia illam ipſe dictauit. nunquam repellit. Iſaaco Monacho ante valuas oranti, templum vltro patuit. Ædituum, qui orantem conuitio vexauit; malus dæmon correptum exagitauit, vt Gregorius refert. [e]

Regum & nobilium eſt oratio. *Oratio Deo grata.* *e l.3.dial. 14.*

Digitized by Google

Deus oſtendit. Martyres ſane in mediis tormentis laceri & ſemimortui ingentia precibus miracula ediderunt, quo ipſa infidelitas, quæ perſuaderi non poterat, factis conuiceretur; tormenta eos non miſerabili neceſſitate, ſed laudabili voluntate perferre. Exempla quia nuſquam deſunt, hoc loco ponere non eſt neceſſe. Vnicum ſufficit, quia & probatum & memorabile eſt, Euphemiæ martyris Chalcedoniæ, de qua compẽdio martyrologium Romanum hunc in modum. [p] *Chalcedone natalis S. Euphemiæ Virginis & Martyris, quæ ſub Diocletiano Imperatore, & Priſco Proconſule, tormenta, carceres, verbera, argumenta rotarum, ignes, pondera lapidum, beſtias, plagas virgarum, ſerras auctas, ſartagines ignitas pro Chriſto ſuperauit: ſed rurſus in theatrum ad beſtias ducta, cum oraſſet ad Dominum vt iam ſpiritum ſuum ſuſciperet, vna ex iis morſum ſancto corpori infigente, cæteris pedes eius lambentibus, immaculatum ſpiritum Deo reddidit.* Eius vitam habẽt Menologium, Metaph. Lipom. T. 6. Illa nobilis genere, nobilior claritudine teſtimonij, quod Chriſto dedit: in rogum iniicitur, orantem ignis reueretur, non vrit. in viuarium, quod lupi, labraces, alii carniuori piſces implebant; orantem brutiſſima animalia non attigere, vt ſerrato dentium ordine commolerent, dorſo ſuo per ſtagna triumphantem vexerunt; cum multa alia oratione auertiſſet, ne omnia vinceret, infelix aſtutia commenta eſt, quo preces præueniret: Neſcienti parata fouea eſt, leui ceſpite tecta, vt in eam iucideret; ſed cum ab oratione non ceſſaret, ab Angelo incolumis traducitur, ſatellites in fraudem, quam ſtruxerant, impegerun t. Serris iubetur ſecari, ferreas cuſpides oratio emolliit ne virgineum corpus lacerarent. Beſtiis obiicitur, ipſa Deum plena fide, illam beſtia qua poterant veneratione adorarunt. Tot experta ſupplicia, omniumque victrix, mortem non alio modo quam oratione inuenit: cum enim oraret Deum, vt liceret diſſolui & eſſe cum Chriſto, cæteris beſtiarum blandientibus, & veſtigia lambentibus, vna vrſarum infixit optanti dentes, & corpore ſolutam cælo immiſit.

p 16. *ſept. Euphemiæ oratio, & martyriũ.*

I 2 CAP-

Cap. XXI.

In aula eſſe pietati periculum, & in omni admini-ſtratione publica.

¶ 1.

Aula magiſter impietatis.
a c.1.8.
b c.14. 15.16.
Idololatriæ initium ab aula.

DAniele magiſtro, adhuc puero hoc diſcimus regias dapes fugiente. [a] Principium omnino ſummæ impietatis à palatio ducitur, inde idololatria minis armata mentes inuaſit. Hoc enim docet liber ſapientiæ. [b] *Acerbo enim luctu dolens Pater, cito ſibi rapti filii fecit imaginem: & illum qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam DEVM colere cœpit, & constituit inter ſeruos ſuos ſacra & ſacrificia. Deinde interueniente tempore, conualeſcente iniqua conſuetudine, hic error tanquam lex custoditus eſt, & tyrannorum imperio colebantur figmenta.*

c, Dan. 2.1.
d c.3.4. & 5.
Statua Chaldæa.
e c.4.16.
f c.5.2.
Balthaſar impius.
g c.5.22.

Chaldæus quoq; ſtatuam auream fecit adorandam, altitudine cubitorum ſexaginta, latitudine cubitorum ſex, ſtatuitq; in campo Dura, [c] Conuocatis autem omnibus, [d] *Præco clamabat valenter: vobis dicitur populis, tribubus, & linguis: in hora qua audieritis ſonitum tubæ, & fiſtulæ, & citharæ, ſambucæ, & pſalterii, & ſymphoniæ, & vniuerſi generis muſicorum, cadentes adorate ſtatuam auream, quam constituit Nabuchodonoſor rex.* Fornax ab aulicis ſuccenditur, & in ſocios Danielis ſeptuplũ. Nec tamen ingenti miraculo Babylonis aula prorſus emendata eſt. Ipſe rex ſuam potentiam miratur, [e] neſciens quod dominetur excelſus in regno hominũ. Balthaſar quoq; hæres paternæ impietatis, non tamen pœnitentiæ fuit. [f] *præcepit ergo iam temulentus, vt afferrentur vaſa aurea & argentea, quæ aſportauerat Nabuchodonoſor pater eius de templo, quod fuit in Ieruſalem, vt biberent in eis rex & optimates eius, vxoresq; eius & concubinæ.* Impietatem illi Daniel exprobrat, [g] *Tu quoq; filius eius Balthaſſar, non humiliaſti cor tuum, cum ſcires hæc omnia, ſed aduerſum Dominatorem cæli eleuatus es: & vaſa domus eius allata ſunt coram te: & tu, & optimates tui, & vxores tuæ, & concubinæ tuæ, vinum bibiſtis*

in eis

Digitized by Google

in eis: Deos quoq; argenteos, & aureos, & areos, ferreos, ligneosque & lapideos, qui non vident, neq; ſentiunt, laudaſti. Alia deinde in aula Dariana impietatis ſpecies, Atheiſmus. [h] *Nunc itaq; rex confirma ſententiam, & ſcribe decretum vt nō immutetur quod ſtatutum eſt à Medis & Perſis, nec præuaricari cuiquam liceat. Porro rex Darius propoſuit edictum, & ſtatuit.* Porro aula quæ in mundo futura eſt potentiſſima, nimirum Antichriſti, impietatem ſupra omnes augebit. magna erit potentia, quam millies arrogantia, & impietas exſuperabit. Eam Daniel deſcribit [i] *Et ſermones contra Excelſum loquetur, & ſanctos Altiſsimi cōteret: & putabit quod poſſit mutare tēpora, & leges, & tradentur in manu eius vſq; ad tempus, & tempora, & dimidiū temporis.* Et pluribus deinceps. [k] *Et faciet iuxta voluntatem ſuam rex, & eleuabitur, & magnificabitur aduerſus omnē DEVM: & aduerſus Deum Deorum loquetur magnifica & dirigetur, donec compleatur iracundia: perpetrata quippe eſt, definitio. Et Deum Patrum ſuorum non reputabit: & erit in concupiſcentiis feminarum, nec quemquam deorum curabit: quia aduerſum vniuerſa conſurget. Deum autem Maozim in loco ſuo venerabitur: & Deum, quem ignorauerunt Patres eius colet auro, & argento, & lapide pretioſo, rebusq; pretioſis. Et faciet vt muniat Maozim cum Deo alieno, quem cognouit, & multiplicabit gloriam, & dabit eis poteſtatem in multis, & terram diuidet gratuito.* Talis erit etiam Antiochus typus Antichriſti. [l] *Et poſt regnū eorū, cum creuerint iniquitates, conſurget rex impudens facie, & intelligens propoſitiones, & roborabitur fortitudo eius, ſed non in viribus ſuis: & ſupra quā credi poteſt, vniuerſa vaſtabit, & proſperabitur, & faciet, & interficiet robuſtos, & populum ſanctorum ſecundum voluntatem ſuam, & dirigetur dolus in manu eius: & cor ſuū magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos: & contra principem principum conſurget, & ſine manu conteretur.* Antiochi quoq; aula ad Domini exemplum impia fuit. [m] *Et brachia ex eo ſtabunt, & polluent ſanctuarium fortitudinis, & auferent iuge ſacrificium: & dabunt abominationem in deſolationem: Et impii in teſtamentum ſimulabunt fraudulenter.* Brachia ſunt duces, aulici, & familiares, quos reliquit ad

Darii aula atheos.

h 6.8.& 9.

Aula Antichriſti.

i 7.25.

k c.11.36. & ſeq.

l c.8.23. & ſeq.

Aula Epiphanis.

m c.11.31.

Digitized by Google

monſtris. Scitis Lutheri Stoicam neceſſitatem probari docet Alphonſus à caſtro. [s] Manant iſta quoq; de cloacis Begardorum, qui hominem perfectum nō debere orare cōtendebant: vt legimus in legib. Clementis Papæ, [t] recenſetq; Bernardus Luzenburgicus, [u] ille quoq; qui noſtris calamitatibus prælufit, Wicleffus, vitalem orationem, hoc eſt bona opera probabat, vocalem, aut mentalem negabat eſſe neceſſariam. [x]

s *De hæreſ. c. de orat. Begard.*
t *Ext. de hæreſ. c. 3.*
u *De Begardis*
x *Thom. Wald. c. 1. & 2.*

§ 3.

Paucos nunc inuenias qui Deum verum ignorent, & alios adorent, qui non ſint dij, vt impietatem Clemens Alexandrinus definit. [y] Nemo tam audax eſt, qui Deum non timeat, aut ſane audaciam ſuam audeat profiteri. Regnat paſſim alia quædam dimidiata pietas, in vtramque partem claudicans impietas, ideoq; duplex impietas, quia ſimulata pietas: quam malitiam rationis expertem vocat Nazianzenus. [z] quod eo, quo fieri debebant meliores, reddantur deteriores. Cogitant illi Deum patrem eſſe hominum ſe ab eo creatos, impium, & nobilitati indecorum nihil debere admittere. Sed magis corpori, quo beſtiis ſimiles ſunt, quam animo attendunt, atq; inde eſt illa pietatis iactura. Nulla in his pietas eſt, nam pietatem fugiunt. Mores eorum deſcribere fas eſt. Principes ſuos regesq;, aut etiā epiſcopos honoris cauſa comitati deducunt viri nobiles, mox aut ex templo ipſi diffugiūt, & in circulis prauis colloquiis ſeſe delectant: aut ſi ita officium poſtulat, ſtationes ſuas vicinis locis in ſacris ædibus ſeruant: oculos deinde impudenter, ne dicam impudice circumferunt, donec inueniant cuius obtutu ſe oblectunt, tempusq; quo inuiti templo velut ergaſtulo includuntur ſine tædio conſumant. Vultum deinde ferocem toruitatem præferunt, hoc nobilitati decorum rati, capitis iactatione, oculorum nutibus, frontis nubilo, ſuperciliorum adductione, humero-

y *Exhort. ad gentes.*
z *orat. 2.*

rum attractu, manuum criſpatione, corporis fracti mollitie, pedum ſubſaltu fidem faciunt, non veniſſe ad orationem, ſed velle ſpectari. Deinde ne inter tremenda quidem myſteria fabulis, riſibuſque temperant, genua grauatè quaſi generoſitati indecorum ſit, ſubmittunt, preces muliercularum & Monachorum opus eſſe cauſati, fortunam ſuam ita abiiciendam non eſſe putant, certe non faciunt. Non Sacerdotum, non populi ſuppliciter orantis vllus reſpectus, non exempli non famæ. Glorioſum eſſe iudicant, & magnanimum non ſubdi, non deditum eſſe religionibus: pompatice ingredi, palam oſtentare contemptum numinis.

Ex impietate laudẽ quærunt.

§ 4.

Quam illi in præcipiti ſtent, quantum à Deo abſint quam exitio vicini, quia ignorant, miſerrimi. Ac principio quidẽ indubitatum ſignum eſt eos, quos illa impudentia ſe in ſacras ædes inferre videmus, extra Dei gratiam eſſe; ideo letali crimine obſtrictos teneri. Non enim in corde ipſorum diffuſam eſſe caritatem per Spiritum ſanctum, qui datus ſit illis oſtendit tanta ab oratione, hoc eſt à Dei alloquio abalienatio. Non enim aguntur Dei ſpiritu, itaque nec filij ſunt, exagitat igitur eos ſpiritus à Domino malus, adeoque trahi captiuos, vt à Deo nihil boni petere velint, aut valeant: nec adiuuat illos Deus nihil orantes, ſed in publica Eccleſiæ precatione proteruientes. Alia ratio eſt eorum quorum orationes impediuntur vagis, & vanis cogitationibus, quorum animus à ſe fugit, & quærit cancellos, quibus includat auolationes, & obices, quibus vagos retineat motus, conantur ſtare ad Deum; vt Auguſtinus loquitur. [a] & ſe tenere vt ſtent, & quodammodo fugiunt a ſe, tolerat tamen iſta Deus. At vero vocatum à rege, ſtantem in eius conſpectu ab eo ad alia ſe auertere, ingentis eſt contumeliæ: Signumq; animi à creatore prorſus abalienati.

Fuga orationis ſignum grauium peccatorum.

a In Pſal. 85.

Quæ-

Quemadmodum autem deuotio, familiaritas cum DEO, ſtudium precandi ſignum eſt prædeſtinationis, filiorum enim iſta ſunt, ita horror rerum ſacrarum, tædium orandi, fuga pietatis indicium eſt reprobationis. Seruorum enim eſt, faciem Domini fugientium eſt metuentium. Tales enim de excelſis virtutum faſtigiis diabolus in profundum malorum detraxit, quod aliis multis contingit, quos DEVS ad ſummum bonorum verticem reducit, ſed illi deiecti redire ſpernunt. Impius enim cum in profundum venerit, contemnet. [b] Impietas non ſinit eos ad DEVM reſpicere, vnde delapſi ſunt. Auguſtinus. [c] *Fuga orationis ſigni reprobationis.* b *Prou.18.* c *De verb. ap.*

Poteſt quidem & illos liberare DEVS, ſed fere reprobi ſunt: Nec paucos eiuſmodi noui quos ſubita mors abripuit, aut etiam duella, nec orandi ſpacium habuerunt, quod valentes contempſerant.

CAP. XXII.

Cauſa cur in aula deuotio facile intepeſcat, remedia, & adhortatio.

§ I.

ALias impij cauſas prætendunt, alias nouit veritas, & cum dies venerit poſtremus mundi, iudicabit. Magnæ Danieli, & ſociis erant occaſiones, imperium tyranni, accenſa fornax, rictus leonum, quæ omnia facile ſuperarunt. At nunc ſi quis dapes inferat, calicem miſcet, principem veſtit, equos, aut canes, aut accipitres curat, de oratione ſe excuſat, occupationum moles & moleſtias precibus opponit. Omnis cauſa profano ſufficit, ne ad DEVM accedat, magna, parua, etiam nulla. Ocium non eſt, inquiunt, tolle negocia ocioſa, erit tempus ad negocioſum ocium, ad ocium orationis, ſabbatum animæ DEO vacantis. Tolle luſus frequentes, confabulationes ocioſas, criminoſas, cogita- *Cauſa fugiendæ orat.* *Occupationes prætenduntur falſo.*

 tio-

tiones friuolas, imaginationes infructuoſas, lectiones noxias, ſomnolentiam, comeſſationes, ornandi comendique muliebrem in morem probra, curioſam aliæ vitæ inueſtigationem. Tolle iram, ſuperbiam, inuidiam, amores, non deerunt tempora expediendæ ſalutis, ſupererunt ad preces horæ, ſi nullæ impendantur vanitati, nullæ exitio. Danieli cura totius Monarchiæ impendebat, vaſtum onus, à multis petitum, paucis bene geſtum, [a] omnia vero ita adminiſtrauit, vt inuidia nihil culpandum viderit: & tamen tempora orationis quotidianæ habuit, hebdomadas ſibi diſpoſuit: etiam æger DEO, DEO, & regi ſeruiit. [b] Danielis imitator egregius fuit Rumoldus filius regis Scotici, iam à teneris cœleſti gratia illuſtris, cum luſibus, & recreationibus, ſpectaculisque ſe æquales delectarent, diſſimulanter ſecedebat, & ſolus diuino alloquio fruebatur, Theodoricus, [c] Surius, [d] magnæ deinde ſanctitatis Epiſcopus Dublinenſis factus, vitæ integritatem, & dignitatis ſacræ honorem fuſo pro Chriſto ſanguine purpurauit. [e] Par tibi ſit voluntas inuocandi, non deerit qui exaudiat. Quod ſi nec Danielem, nec Rumoldum imitari libet, in ipſis negociis animum ad DEVM erige, & arcano mentis ſuſpirio redemptorem implora. Fecit hoc quoque Rumoldus, fecit & Ludouicus Gonzaga Princeps & aulicus, cuius in manibus vita eſt. Nullus labor excludit preces, omnis induſtria illis vtitur, omnis afflictio poſtulat. Alexander in tormentis, imperante Aureliano cum varia interrogaretur, generoſa libertate moleſtias ſubmouit. *Habere ſe, quod cum DEO ageret: non poſſe ſibi eſſe ocium, quo homines audiat.* An illum in cataſta, inter ſulcantes vngulas, & lucentes faces verberaque iacere, an cum Chriſto in ſolio conſidere, & regnare dicemus, cum tam præſenti pectore reſpondet? Verum iſta à Palatinis vix poſtulare audeo, illud negare ipſi non poſſunt. Illo

a c. 6. 2.
b 8. & vlt.
c *In vita ſ. eius.*
d T. 7.
e *Molan. Ind. Sanctorum Belus. Surius. T. S. in actis Gummari.*
Semper orandum.
Ludouicus Gonzaga.
Alexander.

Illo ipſo tempore quo templa adeunt, precandi ocium ſibi eſſe, cogitationum turbas excludendas eſſe.

Templum enim domus orationis eſt, quod in circum, theatrum, tonſtrinam non eſt conuertendum. Deinde hoc ſibi perſuadeant, dies feſtos ſuo inſtituto preces poſcere. Cætera diei momenta ex lege DEI vetantur noxiis actionibus impendere, quod nemo negat. Addo etiam inutilibus, infructuoſis. Si enim verbum ocioſum ab ore Chriſtianorum Chriſti decreto proſcriptum eſt, illique parata eſt iudicis ſeueritas, certum eſt ocioſarum quoq; actionum cenſuram ad tribunal, cui omnis anima ſiſtetur, pertinere. non igitur cuiquam liberum eſt ſortiri quid dicat aut agat, ſed ad finem vltimum omnia referenda ſunt, etiam riſus, & facetiæ. *Templum domus orationis.*

§ 2.

Veræ igitur cauſæ ſunt, quibus à pietate, & deuotione auocantur aulici, vt ante dixi, peccata, quæ conſortium cum DEO excludunt. Deinde incuria ſalutis, & damnationis, quæ velut remota minus mouent, accedit amor rerum, quæ in regno ſpecioſæ videntur, occupationes non neceſſariæ, quæ germen deuotionis à ſpiritu ſatum ſuffocant, mentem obtenebrant, anguntque vt ad creatorem reſpirare non poſſint; Nam veluti defluxus, fauces animæ obſident, ſpiritusque intercludunt, vt letali angina pereant, excuſſa omnino religione, quæ tamen fulcrum imperiorum eſt. Auget morbum periculoſum ocium & ſegnities, actionum prauarum, vt Baſilius ait, initium, [f] ex qua rerum inutilium cupido, & inane negotium oritur. Plus etiam detrimenti adferunt apparatus, epulæ, deliciæ, intemperantiæ. Oratio animæ ſobriæ opus eſt, comes ieiunij. *Veræ cauſa pietatis impedita peccata.* *Incuria ſalutis.* *Amor mundi.* *Occupatio.* *Ocium.* *Deliciæ.*

f *In regul.*

Danie-

g c.9.3. Danielis illa cura. [g] *Poſui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare & deprecari in ieiuniis, ſacco, & cinere.*
h c.10.2. & deinde. [h] *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem deſiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, ſed neq; vnguento vn-*
i c.10.12. *ctus ſum.* Hæc Deus quoque probauit. [i] *Noli metuere Daniel, quia ex die primo, quo poſuiſti cor tuum ad intelligengendum vt te affligeres in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt verba tua: & ego veni propter ſermones tuos.*

Ea cauſa diuitum quoque remiſſior eſt oratio, difficiliorque in cœlum ingreſſus, quam cameli per foramen acus tranſitus. Obſiti enim curis & deliciis exiguæ gratiæ ſcintillam facile opprimunt. delicias ſequuntur brutæ voluptates, precia veſtium, quæ vires animæ eneruant, rerum ſpiritalium horrorem adferunt, ineptam leuemque & geſtientem ex rebus inanibus lætitiam, in iocos, & dicteria, riſusque effuſio, quæ facit, vt à ſeriis cogitationibus abeant, atque euaneſcant, hæc enim etſi leuia videantur, animi tamen deuotionem, ac tranquillitatem prorſus auferunt. Incredibile enim eſt, quam pietati obſtet leuitas, homines & Deum ludibrio habitura, ſi inualeſcat. Perniciosius eſt odium, inuidia, æmulationes, quæ aulam valde infeſtant, oratio & deuotio ex DEI caritate proximique procedit. Humilis ſit oratio neceſſe eſt, in aula multa ſunt, quæ animi confidentiam, ac faſtum augeant, ad aliorum contemptum inducunt. Hinc torpor, ſomnolentia, acedia, euagatio, malitia, deſperatio, meliorum contemptus. Qualis Hircanus Pontifex Judæorum, qui irritatus à Phariſæis, ſeſe Saducæis dedit, in omnem licentiam effuſus. [k] Ad extremam enim impietatem deueniunt, qui mature curſum non abrumpunt. Et plerunque eo ruunt neſcij, tantum ſe veniſſe ſentiunt.

Voluptates. *Veſtes.* *Lætitia, ioci.* k *Ioſeph.*

Poſtremo plurimos deterrent ſociorum exempla, & irriſiones.

¶ 3.

Pietatem igitur amplectimini ad omnia vtilem, cui promiſſio data eſt vitæ præſentis & futuræ. vt Paulus monet. [*l*] Cæteræ virtutes in admiratione ſunt, pietas amabilis eſt, Deo & hominibus. Illa beatum facit, vt Moyſes & Dauid conſenſu exponunt. [*m*] Chriſtiani nota eſt, non tituli, non dignitas, ſed fides; & oratio fidei, ſaluatrix corporum atque animorum. Hæc conſtantes efficit, & vere nobiles, quos oportet, vt apud reges, ita apud Devm habere primas, hæc eſt aurea clauis honoratæ admiſſionis inſtrumentum, & ſignum. Qui regia inſignia in acie gerunt, robuſtos eſſe oportet, ne erepti vexilli dedecus legionibus exprobretur, proceres quoque ſpiritalibus armis inſtructos poſcit Eccleſia, ne per eos religio prodatur: Chryſoſtomus ſuis frequenter inculcat: Vires oratione comparantur. Hanc vero etiam pietatem requiro, quæ non modo Devm animo teneat, ſed ita cultu illius tueatur, vt quicquid illi aduerſatur abhorreat, ac vitet. Marcum Aretuſium imitentur, & ſuſpiciant, [*o*] fanum dæmonis Conſtantino imperante euerterat, Eccleſiam Deo conſtruxerat, magno gentibus erat odio, carus Chriſtianis, conuerſa republica, Iuliano rerum potito, ciues in vltionem conſurgunt, Marcum in vincula coniiciunt, vt templum euerſum ſuo ſumptu reſtituat, imperant: recuſantem atrociter verberant, in eculeo diſtendunt, in cloacam coniiciunt, puerorum ſtylis lancinant, melle oblitum apibus exponunt, tandem ſi templum extruere nolit, vt redhibeat ſumptus, poſtulant, hoc quoque negantem vrgent, vt ſaltem dimidium reſtituat, eo demum, ventum, vt vel exiguum conferre vellet. Ille in dolorum acerbitate improbos irridens reſpondit: *Ad impietatem obolum conferre. perinde eſſe, ac ſi omnia conferas.* Hæc vera pietas eſt, quam perpetua inter cruciatus oratio fouit, ne vſque eo dolor excreſceret, vt Deum excuteret. Valentinianus quoque minima ſymbola impietatis oderat.

Pietas ad omnia vtilis.
l *1. Tim.* 4.8.
m *Deut.* 13.
n *Pſal.* 1.1.

Nihil contra religionem faciendum.
o *Metaph. Surius Mombr.*
Marcus nihil pro impietate facit.

Valentinianus a ditno colaphum infregit.

rat. Aquæ luſtralis guttula in idolio in veſtem transeuntis inciderat, indignatus æditūo, nihil Juliani præſentiam veritus, colaphum infringit, laciniamque profano humore impuratam abſcindit. poſt mortem Juliani ad imperium vocatus eſt. Pietatis ſtudium etiam in defenſione antiſtitum religionis cernitur. Baſilium Judex impius in vincula ducere ſtatuerat, ad præſulis iniuriam adeo populus fidelis exarſit, vt iudicem ſummo labore Baſilius liberarit, ne diſcerperetur. [p] Boſonem regem Arelatenſem Otho, quod Epiſcopo inter ſacrificandum alapam inflixiſſet capite damnauit, ratus iniuriam DEO factam ſeueris exemplis puniendam. In vſu quoque rerum mediarum, quas adiaphoras vocant, pietas habet locum, oſtenderunt hoc Byzantini & Antiocheni eodem in negocio factis contrariis, vtrinque laudandis. Julianus Apoſtata cibos omnes, qui in foro Conſtantinopoli veniebant, idolis conſecrarat, vt Chriſtianos, ſi ſacrificiis pollui nollent, fame torqueret, ſi idolothytis veſcerentur, peccati argueret, omnibus attonitis, & cibos horrentibus, proceres opulenti, atque aulici, ſpreta Cæſaris ſæuitia incontaminatas eſcas largitione ſancta populo donarunt. Eadem arte cum Antiochenos aggrederetur, irriſus eſt. Illi idolothyta edebant, & idola deteſtabantur, inter cœnandum enim hilari irriſione clamabant: *Idolum nihil eſt in mundo.* [q] Facta contraria, vtrinque pietatis & prudentiæ plenum. Conſtantinopolitani abſtinentia odium idololatriæ profitebantur, ne gulæ fidem poſtponere viderentur. Antiocheni libertatem Chriſtianam vſurpabant, impioſque docebant, munera DEI ſcelere hominum, & ſuperſtitione non inquinari.

p In vita Baſil.

Iuliani malitia.

Pia liberalitas.

Antiocheni.

q 1.Cor. 8.4.

Quanta cura priſcis pietatis fuerit, vel inde eſt manifeſtum, quod etiam ſigna, & libros de religione ſcriptos vel morte defenderent. Tantum nefas habebatur, vt qui ſacros codices perſecutoribus dediſſent, tra-

Tradere codices ſcelus.

Digitized by Google

traditores vocarentur, atque execrabiles haberentur. Romæ eſt commemoratio [r] plurimorum martyrum, qui ſpreto Diocletiani imperatoris edicto, quo tradi ſacri codices iubebantur, potius corpora carnificibus, quam ſancta dare canibus maluerũt: inter eos pleriq; magnates & aulici Romanæ nobilitatis.[s] Edicti meminit Auguſtinus, [t] Euſebius, Optatus Mileuitanus. [x] Verum iam ante quoq; Cypriani tempore hoc dæmon inuenit. Et Arnobius [y] teſtatur tum quoq; in codices ſacros ſæuiiſſe gentium furores. Hoc igitur eſt pietatis ne minima quidem in re cedere, vbi Deus læditur. Quin laborum, & meritorum ſuorum præmia poſcere, quæ ad pietatem, orationemq; faciant, cætera oportet ſpernere. Terentius nobilis in aula Valentiniani, & Valentis, deinde legionum tredecim ductor, cum rebus fortiter geſtis præmia Valens pollicere-tur, iuberetque edicere quid optaret, pro Orthodoxis Eccleſiam, & liberum religionis vſum poſtulauit, grauiter hoc ab impio, quaſi hæreſin exprobraret, acceptum eſt, diſcerptus libellus, preces contumelioſe ſunt reiectæ. ne tamen virum fortem alienaret copia alterius beneficij cautius petendi iterata eſt. Terentius quam pio animo priorem poſtulationem indignanti ingeſſit, tam magno alia munera contempſit. Nec aliud deinde popoſcit, omnia inferiora ſuis meritis arbitratus, & imperatorum amicitiâ ad pietatem duntaxat vſurus. Hiſtoria eſt apud Sozomenum.

r 2. Ianuarii in martyr.
s Vſuardus Beda.
t l.7.c.2. de baptiſmo.
L.3.c.27. contra Creſc.
Lib.8.c.3. hiſt.
x Contra Parmen.
y L.4.
Terentius.

¶ 4.

Quare nec à regibus, nec à Deo quælibet poſtulanda ſunt, ſi Chryſoſtomi [z] conſilio obſequamur, ſed quæ proſint animo, qui enim ad vitioſas affectiones intentus Devm precatur, vt aſſentiatur, delirus eſt. Quin multa ſancte petuntur, quæ vtiliter, aut iuſte negantur. Acathius martyr expectatione tormentorum turbatus parci ſibi optabat, ipſis deinde crucia-

Animi bona petenda.
z. De orat.

tibus

tibus robuſtior, cum dire vexaretur, & clamaret, Chriſte ne derelinquas me; auxiliũ expertus eſt. Cum poſt multa ſupplicia oraret; vt ſpiritum DEVS ſuſciperet, iuſſus fortis eſſe diuina voce, & ad alia certamina ſeruatus eſt, vt coronæ decus creſceret, & multorum ſaluti conſtantia prodeſſet: nec ille ingratus plus dolores animoſe ſubiuit. Quæ ratio ſi in aduerſis nobis occurreret, facile cuncta tolerare poſſemus.

CAP. XXIII.

Aulicæ impietatis ſingulari ſeueritate Deus vltor.

§ I.

IMpietas vel in DEVM exerta, audacter, & absque aliorum iniuria, vel in ſacros homines, aut templa, ſacra inſtrumenta, & res DEO oblatas committitur. Primæ impietatis documentum eſt Nabuchodonoſor, dum ſtatuam adorandam proponit, aureum Deum pro vero [a] dum ſuam potentiam DEO opponit, & fortiorem facit. [b] *& quis eſt Deus, qui eripiet vos de manu mea?* Talem ſe ipſe deſcribit. [c] Talem Baltaſarem Daniel c. 5. Talis Darius & proceres erant, qui in locum DEI regem per dies triginta ſubſtituunt. [d] Hoc faciet & cornu paruulum [e] dum ſermonem contra Excelſum loquitur. Tales Antiochus & Antichriſtus. [f] *eleuantur enim ſupra omne quod dicitur Deus.* Tales Darius & Babylonij. [g] Beli & Draconis adoratores. Talis Sennacherib Aſſyrius Deum Iſraëlis ſubſannans. [h] Talis Pharao cubans in medio fluminum ſuorum, & dicens: *Fluuius iſte meus eſt, & ego feci memetipſum.* [i] Tales Syri quoque, qui Deum montium, & non vallium dixerunt. [k] Talis Pharao alius obduratorum exemplar, [l] qui reſpondit: *Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Iſraël? neſcio Dominum,*

a c. 3.
b c. 3. 15.
c c. 4.
d c. 6.
e c. 7. 24.
f c. 8. & c. 11.
g c. 14.
h 2. par. c. 3. 2.
i Ezech. 29. 3.
k 3. reg. 20. 28.
l Ex. 5. 2.

num, & Iſraël non dimittam. Quanto iam iſta rarior eſt impietas, tanto altera frequentior, qua ſacra, ſacrorumq; miniſtri & antiſtites læduntur. Deſiquit in illo etiam grauiter Nabuchodonoſor templi euerſor & vaſorum direptor. [m] *Et tradidit Dominus in manu eius Ioakim regem Iuda, & partem vaſorum domus Dei: & aſportauit ea in terram Sennaar in domum Dei ſui, & vaſa intulit in domum Theſauri Dei ſui.* Et liber Paralipomenon. [n] *Vniuerſaq; vaſa domus Domini, tam maiora, quam minora, & Theſauros templi, & regis, & principum, tranſtulit in Babylonem.* Ipſum templum incendit. [o] *Et ſuccendit domum Domini, & domum regis: & domos Ieruſalem, omnemq; domum combuſſit igni.* & deinceps. [p] *Columnas autem æreas, quæ erant in templo Domini, & baſes, & mare æreum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldæi, & tranſtulerunt æs omne in Babylonem. Ollas quoq; æreas, & trullas, & tridentes, & ſcyphos, & mortariola, & omnia vaſa ærea, in quibus miniſtrabant, tulerunt.* Nabuchodonoſor quidem illa abſtulit, ſed tamen tanquam vaſa Dei, in templo Dei ſui poſuit, Baltaſar ad profanum & luxurioſum conuiuium adhibuit [q] ideoq; eadem nocte periit. In ſacerdotes quoque Nabuchodonoſor animaduertit. [r] *Tulit quoque princeps militiæ Saraim ſacerdotem primum, & Sophoniam ſacerdotem ſecundum, & tres ianitores.* Deinde ſocios Danielis in fornacē coniecit. [s] Medi & Perſæ in Danielē impij fuerunt. [t] Antichriſtus, quemadmodū Antiochus fecit, ſanctos altiſſimi multis modis conteret. [u] Et ſine diſcrimine ſæuiet. [x] *Et interficiet robuſtos, & populū ſanctorū ſecundum voluntatem ſuam, & dirigetur dolus in manu eius: & cor ſuum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos: & contra principem principum conſurget, & ſine manu conteretur.* Varia autem erit mortis imago. [y] *Et docti in populo docebunt plurimos: & ruent in gladio, & in flamma, & in captiuitate, & in rapina dierum.* Acerbiſſima porrò futura eſt perſecutio. [z] *Et veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes eſſe cœperunt vſq; ad tempus illud.* Fuit & inter perſe-

m Dan. 1. 2.
n 2. c. 36. 18.
o 4. Reg. 25. 9.
p 4. Reg. 25. 13. & 14.
q c. 5. 23.
r 4. Reg. 25. 18.
s c. 3.
t c. 6. & 14.
u c. 7. 25.
x c. 8. 24. & 25.
y c. 11. 33.
z c. 12. 1.

cutores veteres Ptolom. Philopator, ſed monitus deſiit.

§ 2.

Pœna imputatu. Quemadmodum priſci tyranni, portenta generis humani, ſignarunt factis impiis abſolutam & omnia ſcelera ſuperantem Antichriſti impietatem, & pœnis eiusdem ſupplicia & interitum. Ita nunc quoque in aulis verſantur monſtri illius anteambulones: illi ſacra iura violant, res diripiunt, profanant, manu & conſilio potentes. hic tribunali ſuo premit Epiſcopos, ille decimas detinet, & rapinis iuſtitiæ ſpeciem imponit. alius parochos ſeruituti ſubiicit, prælatos exagitat, bellum infert. multi conuitiis excipiunt ſacerdotes; & quidem multi merentur contemni, non tamen abſque crimine ſunt, qui eos inſectantur. Totum hoc genus impietatis à Deo ſemper grauiſſimè punitum eſt, atque impoſterum punietur: ſeruorum enim ſuorum ſanguinem vindicat. Deſcribit ſeptem eorum plagas Joannes [a] quibus terra vehementer affligitur. & clamat Angelus aquarum. [b] *Iuſtus es Domine, qui es, & qui eras ſanctus, qui hæc iudicaſti.* Sic & Babylonio ſcorto ruina grauis impendit. [c] *Reddite illi, ſicut & ipſa reddidit vobis: & duplicate duplicia ſecundum opera eius: in poculo quo miſcuit, miſcete illi duplum.* Ad magnates & aulicos pertinet comminatio & immutatio, qua Angelus ad cadauera procerum vocat aues cœli, tanquam ad lautum conuiuium. [d] *Et vidi vnum Angelum ſtantem in ſole, & clamauit voce magna dicens omnibus auibus, quæ volabant per medium cœli: Venite, & congregamini ad cœnam magnam* DEI: *vt manducetis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & ſedentium in ipſis, & carnes omnium liberorum & ſeruorum, & puſillorum, & magnorum.* Sunt illi Gog & Magog, qui ſoluto dæmone ſæuiunt, qui [e] *aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circuierunt caſtra ſanctorum, & ciuitatem*

Pœna procerum grauior.

a *Apocal.* c.16.
b c.16.5.
c *Apoc.* c.18.6.
d *Apoc.* c.19.17. & 18.
e *Apoc.* c.20. v.8. 9. & 10.

tatem dilectam. Et deſcendit ignis à Deo de cœlo, & deuorauit eos: & Diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, vbi & beſtia & pſeudopropheta cruciabantur die ac nocte in ſæcula ſæculorum. Etſi enim omnium, quos propter crimina inferis cæleſte tribunal addixit, animas & corpora vaſtabit ignis, potentum tamen cum beſtia ipſa, & Pſeudopropheta potentior futurus eſt cruciatus. Cuius rei indicium eſt, quod etiam hac in vita ſupplicia euadere non ſoleant. Pharaonem cum exercitu mare Erythræum obruit, Aſſyrium cæſo exercitu filij obtruncant, Nabuchodonoſor ad beſtias relegatur, Balthaſari vnius noctis negantur induciæ; omnium iſtorum progenies interiit, Antiocho ſera pœnitentia non profuit, Aſiatici reges continua laniena perierunt, & ſuperſunt noſtro tempore horrenda exempla, quæ ſibi quiſq; proponere poteſt: nam & recentia ſunt, & inſignia. Nec tamen omnium ſupplicia in hac vita cernuntur: cuius rei cauſam nos docet Chryſoſtomus, ne de reſurrectione deſperemus: credimus enim Deum, quem occulta non fallunt, etiam ab illis iuſtas pœnas exigere, quorum vita ſuppliciis vexata non eſt. Heliodorus, Iaſon, Simon, manum Domini experti ſunt vltricem, ad omnium horrorem; alios ira DEI conſumpſit nobis incognitos, non tamen immunes; quibuſdam etiam ſupplicia prædixit, vt teſtatur Jeremias. [*f*] *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael ad Achab filium Coliæ, & ad Sedeciam filium Maaſiæ, qui prophetant vobis in nomine meo mendaciter: Ecce ego tradam eos in manus Nabuchodonoſor regis Babylonis, & percutiet eos in oculis veſtris. Et aſſumetur ex eis maledictio omni tranſmigrationi Iuda, quæ eſt in Babylone, dicentium: Ponat te Dominus ſicut Sedeciam, & ſicut Achab quos frixit rex Babylonis in igne: pro eo quod fecerint ſtultitiam in Iſraël, & mœchati ſunt in vxores amicorum ſuorum, & locuti ſunt verbum in nomine meo mendaciter, quod non mandaui eis: ego ſum iudex & teſtis, dicit Dominus.* Celeri & horrendo exitu procerum peccata plectit: Julianum

Non omnes puniuntur.

f c 29.21. vsq; ad 24.

Pœna prophetarum.

Impii puniti. Juliani Apoſtatæ auunculum, quod ſacra Eccleſiæ vaſa polluiſſet, vermes exederunt. eodem in crimine Felix diruptus eſt medius, teſte Theodoreto. [g] Heron computruit, Theotecno blaſphemo oculos vermes, ipſe linguam deuorauit: Creſconium Stilico violenter ab Eccleſia abripuit, ipſi ſubſidio templum non fuit: Stiliconem ilico Cæſaris ira conſumpſit; Stiliconis facinori, qui in theatro plaudebant, à Leopardo diſcerpti ſunt. Tantum ſcelus, in alienam impietatem conſenſus! Eutropius aſylum Eccleſiæ, quod violauit, trepidus petiit, Maſcheſchil vaſtator Eccleſiarum, de ponte præcipitatus eſt. Sozomenus, Theodoretus, alij. [h]

g *l.2.c.11.12.*

h *In hiſt. Auguſt.*

Leutharis propter prædas ſacrilegas Phreneticus ac rabidus ſua membra laniauit ac deuorauit: nec immerito, vt qui matris ſuæ Eccleſiæ opes, pauperum patrimonia in viſcera condiderat, carnes ſuas in idē barathrum mitteret, æternum arſuras. nec ſociis pœnitentiæ tempus datum: plerique apoplexia, & mentis errore ac delirio obierunt. Lattami monaſterij direptores naufragio, & lancearum ſuarum ferro confixi periēre. Pompeius templum Dei contra legem ingreſſus, in naue tyranni à ſpadone confectus eſt, oculos in aſpectu ſacrarij profanos toga inuoluit. Craſſus, qui auream trabem inde abſtulit, liquefactum aurum ad Carrhas bibit. *Pinianus.* Pinianus Aſiæ Proconſul, Chriſtianos in gratiam impiorum Imperatorum ſuppliciis vexabat, ille quidem morbo correptus per Antimum & Siſinnium, quos Lucina aduocarat, & peccato, & morbo liberatus eſt: Chriſtianorum deinde patronus, defenſor, & cum opibus valeret, altor. *Chæremon.* Chæremonem autem auctorem perſecutionis dæmon arripuit, ſanctos quos occiderat nequicquam inuocantem. [i] Periculoſam defenſionem impiorum rex Theodebertus ſenſit: ad templum venit & quidam cum eo, quibus *Nicetius.* Nicetius ſacris interdixerat, Epiſcopus negat ſacrificia oblaturum Deo, niſi profani & execrabiles exiſſent;

i *Menol. 23. Non.*

Digitized by Google

ſent; Theodebertus regio faſtu reſtitit, ſuam hoc contumeliam interpretatus; cum neque de ſuo iure Epiſcopus, neque de pertinacia rex quicquam remitteret, energumenus exclamans, occultum regis adulterium ingenti illius verecundia publicauit, coëgitq; grauiora metuenté excedere templo. [k] De Nortmannorum interitu Lambertus, & Sigebertus, & noſter Andreas Brunnerus. [l] Burcardi ſacrilegia inimici telis probrisque certatim ingeſtis vlti ſunt: adeo rerum diuinarum ignarus erat, aut cupidine cæcus, vt calicem quem abſtulerat, viuus reddere noluerit, vxori mandarit, vt poſt mortem reſtitueret. [m] De Bertholdo Marchione triſtem, ſed ad exemplum hiſtoriam recenſet vtilem Arnolphus [n] & Brunnerus [o] quam eius verbis referam. *Eo ingenio Bertholdus Marchio fuit, qui D. Emmerammi opibus inhians, cum Michaëlis conſtantiam perfringere nequiret, iuratos teſtes daturum promiſit, & rebus neceſſariis omnibus oſtenſurum, ſe merum liquidumq; ius poſtulare; Compoſita ſtrenuè fallacia, duodecim viros boni omnes ſanguinis produxit; eos Michaël tactis aris, ad paſtorale pedum D. Emmerammi concipere iuſiurandum iuſſit: quod cum illi intrepidè feciſſent, peſſimis exemplis ordine omnes perierunt; Arnolphus Vohburgenſis Comes, qui factum annotauit, Arnoldum paternum auum ſuum præſentario ſupplicio, obſtupeſcente brachio, multatum, poſt annos pauculos Nabæ fluminis vorticibus hauſtum, ſaluo comitatu, ſcripſit. Reliqui nihilo mitiora paſſi perfidiam ſuis quique ſuppliciis luerunt: oculis alius, alius mente captus, alter animam cum aluo effudit, alteri laqueo extorta eſt; duo arſerunt, prior cœleſti, poſterior familiari flamma, quæ domum iuxta Dominumq; eodem incendio inuoluit. Alius reſolutis neruis, aqua intercute alius extabuerunt: fuit quem Herculanus morbus, fuit quem carcinoma depaſceret; denique qui mitiſſimè plexus eſt, mancus luſcusque ſua ſociorumq; funera iam non integer ſpectauit.*

k *Turon. de ſanct. c.17.*
l *L.6. Bauar.*
Bertholdus.
m *Brun. l 7. Bauar.*
n *L.1.c.11. de vita S. Emmear.*
o *L.8. pag. 515.*
Perfidiæ pœna.

§ 3.

Frequenter in ſe vindices ſæuiunt, amantq; manus,

aut inſaniam augent impij. quæ ſumma pœna eſt. Quales illi, qui *dixerunt* DEO: *Recede à nobis.* [p] Ioannes Angliæ rex præfractæ malitiæ, cum exercitum à Gallo cæſum audiſſet, mœſtus cibo abſtinuit, deinde multa in DEVM maledicta congerens actus eſt in furorem, vt pœnitentiæ ſuæ illum pœniteret, profeſſus nihil bene ſibi cedere poſtquam cum DEO & Pontifice in gratiam rediſſet. [q] Maior humana væcordia Vrcæi Codri fuit: cum ædes arderent, damno furenter iraſcebatur, rabieque plenus conuitia contra CHRISTVM iactabat Matremque CHRISTI. Veritus autem ne aliquando animum impietatis pœnitentia ſubiret, orabat, ne in morte ſe veniam fortè precantem exaudiret, inferis iam animam ſe deuouiſſe, nolle in cœlum recipi. [r] Rara tanti ſceleris pœnitentia, aut ſera, quia ſeruili metu coacta, timore pœnæ, non amore iuſtitiæ. *De Ragenario Nortmannorum duce Armoinus,* [s] *& Brunnerus.* [t] *Eminuit ante alios in ipſum latronum ducem Ragenarium vindex DEI manus, qui cum immenſam auri vim in Horuci principis conſpectu effudiſſet, & reuulſos ex porta vrbis Pariſienſis vectes truncumque trabis è D. Germani cænobio exciſæ, infamia ſpolia, iactabundus velut in triumpho oſtentaret, impiaque dicacitate bellum ſibi cum viuis negaret fuiſſe, ſed cum laruis tamen ſe luctatum; quod in Francia tumuli tumultuari ſoleant; nam præter Germanum capularem ſenem & iam olim defoſſum, mortalium neminem auſum ſecum congredi; intempeſtiuam vrbanitatem nouo ſupplicii genere exſoluit: in eodem enim veſtigio oppreſſus afflictusque ſolo, miſerabili quiritatu regiam compleuit, Germanum inclamans vindicem ſceleris ſui, cuius ſibi manibus animam elidi ſentiat: cumque triduum integrum inter tormenta exegiſſet, ad vota non profectura conuerſus, ſtatuam auream ad ſui corporis modum fingi iuſſit, quam Kobbo legatus placando Germano piaculare anathema Pariſios deferret, promiſſione adiecta, ſimul ac vires recepiſſet, Chriſto ſe nomen daturum: ſed irrita preces pondus non habuere,*

p *Iob. 21.*
Ioannes rex Angliæ furens.
q *Herolt. l. 5 c. de bello ſacro.*
r *Barth. Senonenſ*
s *De träsl. S. Germ.*
t *L. 6. Bau. p. 127.*
Sacrilegi, & perfidiæ pœna.

buere, nouusq; ſui ſæculi Antiochus vltima omnia paſſus, folliſq; in morem inflatus, confuſis ſenſibus, monſtrum hominis, rupto tandem ventre infelicem animam cum viſceribus eiecit. votiuum aurum templo receptum non eſt, ne impuriſſimi latronis imago ſanctitatem loci inquinaret. Similem exitum reliquorum fuiſſe idem Kobbo retulit: quin inſontes etiam graſſantis luis contagione carpebantur, vt quotidianis funeribus Libitina non ſufficeret; manaſſetque malum latius, niſi Horicus feralem illam regni ſui peſtem carnificis gladio ſubieciſſet: præciſa capita Chriſtianis, quos captiuos abſtraxerant, annumerata, iique ſine pretio dimiſſi memorabilem de ſuis victoribus triumphum egerunt, quo nonnihil acceptæ cladis emollita eſt acerbitas. Eadem fortuna Rudolphi Nortmanni fuit à Phriſiis cæſi, quia par culpa. De Gundacaro, qui ad Morauos transfuga, DEI vindicem manum non effugit, audire lubet grauiſſimum & elegantiſſimum hiſtoricum Brunnerum. [u] *Nam ſimul atque in locum certaminis ventum eſt, aduerſaque conſtitêre acies, tantus Gundacaro repente iniectus diuinitus pauor eſt, & tam denſa animo offuſa caligo, vt nihil neque prouidere ipſe, nec militi præcipere poſſet: cumque torpentem ſocii excitarent bonumque habere animum iuberent: Vos quidem,* inquit, *macti virtute eſte, milites, & ſi quid in dextra opis eſt, aras focoſq; defendite; mei vobis vſum irata fortuna negat; iniquam dicerem; ſi mitiorem meruiſſem. eſtis ſuperi, nunquam impunè læſi? ingentes vires laſſata cœli patientia: neque grauior vindicta venit, quam cum diu dilata eſt. Nunc ego Diuorum Manes toties irriſos manusque Emmerammi ſentio, ad quorum olim aras perfidum Ludouico regi regiisque filiis Sacramentum dixi, nullâ reuerentiâ erga teſtes mortuos: ſed viuunt profectò & tota me mole premunt, armiſq; impeditum & nexum furiis ſcelerum meorum victimam hoſtibus obiiciunt; atque vtinam vno eoque vili capite ſatisfieri ſuperis hominibusque poſſit! Hæc cum ſibi ipſe vaticinaretur iamiam periturus, ſuperueniente Carolomanni exercitu opprimitur, vir non vna morte dignus. diffuſus à Duce in exercitum pauor ex bello cædem fecit; Carolomannus*

u *L 6 Bauar pag.* 176.

victoriam nobilem cælitibus gratulatus laureatas ad patrem literas miſit, quæ non illum modo, ſed Ratisbonam omnem gaudii feſtaq; lætitia impleuere; ſupplicationes per omnia templa decreta; ſonuerunt ex turribus æra, mixtaq; plaudentium voces Emmerammum inclamantes, quod illius potenti dextra præſentiq; ope cæſo ſuperbiſſimo hoſte, grauiſſimum bellum eſſet extinctum; tranſmiſſum etiam ad poſteros documentum, optimam eſſe artium militarium pietatem, qua ſi Superos in partes traxeris, nec tuas, nec hoſtium copias anxie numerandas; Cælo fauente neminem vinci: vnũ Emmerammum, aut quemcumq; cœli ciuium pro legionibus eſſe.

§ 4.

Sacrilegia nobilium punita. Quorſum vero iſta? id quoq; dicam: ſæpe viri nobiles, eruditi, præfecti, conſiliarij, aut aliqui gratioſi apud reges principesq;, quæſtui ſuo ſeruiunt, ſacra vectigalia paſſim in ſua præmia vertunt, nouis artibus prædandi ſacra atque aras expilant, praua regibus conſilia ſuggerunt, concuſſionibus infirmos opprimunt, fundos Eccleſiæ per iniuriam venales faciunt, in æraria opes ſacras condunt, filios ſacerdotiis onerant, de pauperum patrimonio luxuriantur. Nihil iſtorum vnquam impune fuit. Noui ego non paucos, quos inter iſta mors ſubita extinxit, quorum familiæ ad egeſtatem redactæ Toloſanum aurum eſſe ſenſerunt, quod de ſacrario à parentibus raptum erat. Sed neque regna, regesque, & magnates luere iſta deſinunt. Regna *Inopia ex raptu rerum Eccleſiaſticarum.* vbi ſacratæ opes à profanis flagellantur, vbi ſacri magiſtratus & monaſteriorum præfecturæ profanis, militibus, pueris, etiam fæminis dantur, vbi, vt Bernardus ait, Epiſcopantur in cunis (vtinam ne & in proſtibulis) externis bellis perpetuo, internisq; ſeditionibus quaſſari, diſtrahi, & deſpoliari; vbi de Chriſti hæreditate & iure decerpitur, magis æraria exinaniũtur, & in ſumma vectigalium copia, admiranda eſt pecuniæ egeſtas; hoc bello, quod iam decennio geritur, memini plurimos tribunos, centuriones, quæſtores, qui de Chriſti æra-

Digitized by Google

ærario loculos ſtipauerant, variis, ſed miſeris modis expiraſſe, aut cum infamia opes non ſuas perdidiſſe, & magnum eorum numerum anno vno. Expendant DEI iudicia proceres: nam quotidie hoc ab auaris agitur, à DEO punitur, à paucis aduertitur.

CAP. XXIV.

Obex virtuti ex conſuetudine & exemplis aulicis, & vitiis nobilitatis, & præſidum.

§ I.

DVplex pietati atque innocentiæ aries admouetur. Primus eſt, cũ impia noxiaq; potentiorũ voluntate imperantur, cum ſtatua adoranda proponitur, fornax ſuccenditur. [a] cum Bel adoratur, Draco pro DEO colitur, [b] & iubetur etiam propheta conſentire publico errori. Alter eſt, in ſpeciem mollior, facto ipſo conſtantiæ murum fortius quatit, maiore impetu venit, plurimorum concurſu violenter impactus, aulæ conſuetũdo, quæ fortes deiicit, quaſi torrens rapit auerſos, etiam ſi motis brachiis in contrarium tendant. Tanta in exemplis eſt perſuadendi vis atque efficacia. Fiunt mali dum malis diſſimiles eſſe verentur. Hoc loco, ſi vſpiam, generoſa Danielis virtus ſe moribus oppoſuit: menſam & conſortium vitauit. Tantæ monarchiæ exemplo cum toto campo principes & vulgus proſternerentur idolo, Collegæ Danielis deos Chaldæos nõ colunt, & ſtatuam quam erexit, non adorant. [c] Daniel quoq; conſuetudini Medorum & Perſarum, adeoq; Babyloniorum reſtitit. [d] Belum deſtruxit, Draconem occidit, Leonum ora obſtruxit; atq; fixum animo tenuit, propter hominem non eſſe Deum offendendum. Hac machina cornu impiæ beſtiæ præualuit aduerſus ſanctos. [e] non aduerſum omnes, ſed quos conſtantia defecit. & quos occidendo victo-

a *Dan. c. 3.*
b *Dan. c. 14.*
Cõſuetudo & exempla.
c *c. 3.*
d *c. 14.*
e *c. 7. 21.*

Digitized by Google

res fecit. Hoc timuit Jeremias cum epiſtolam ſcriberet
f *Baruch.* Judæis in Babyloniam. [f] *Nunc autem videbitis in Baby-*
c.6.3. *lonia deos aureos, & argēteos, & lapideos, & ligneos in humeris*
portari, oſtentantes metum Gentibus. Heroas Matthathiam
g *Dan. c.* & filios illius deſcribit Daniel. [g] *Et docti in populo do-*
11.33. *cebunt plurimos: & ruent in gladio, & in flamma, & in capti-*
uitate, & in rapina dierum. Non enim omnium quidem
gentium illa debet eſſe auctoritas, quæ cōtra gentium
conditorem nos concitet; obniti potius oportet, er-
rantesq; corrigere. Prædixit illa de Matthathia & filiis
illius, quique Antichriſti tempore fidem retinebunt.
Matthathias, ad Apoſtaſiam cogente Antiocho, ita vt
h 1. *Mac-* [h] *multi de populo Iſraël conſentientes acceſſerint ad eos: ſed*
cab.c.2. *Matthatias, & filii eius conſtanter ſteterunt.* Quid autem il-
16. li? morem omnium proponunt. [i] *Et reſpondentes, qui*
i 1. *Mac-* *miſſi erant ab Antiocho, dixerūt Matthathiæ: Princeps & cla-*
*cab.*2.17. *riſſimus & magnus es in hac ciuitate, & ornatus filiis & fra-*
& 18. *tribus. ergo accede prior, & fac iuſſum regis, ſicut fecerunt o-*
Matthathias non ſequitur aliorum ſcelera. *mnes Gentes, & viri Iuda, & qui remanſerunt in Ieruſalem: &*
eris tu, & filii tui, inter amicos regis, & amplificatus auro &
argento, & muneribus multis. cōſuetudinem gentium op-
ponunt Deo, cōtra rationem & prudentiam, quæ non
quod malè agunt homines, ſed quod benè creator de-
creuit, ſequendum docet. Heros ille igitur fortiter re-
k *Ibid. v.* ſpondit, & fecit. [k] *Et reſpondit Matthathias, & dixit ma-*
19. & 20. *gna voce: Et ſi omnes Gentes regi Antiocho obediunt, vt diſce-*
dat vnusquiſq; à ſeruitute legis patrum ſuorum, & conſentiat
mandatis eius: ego, & filii mei, & fratres mei, obediemus legi
patrum noſtrorum. Tantum horruit ſcelus idololatriæ,
vt contremiſcerent renes eius, tyranni miniſtrum oc-
ciderit, & omnibus relictis, cum filiis fugerit in mon-
tes. Et ſanè exemplum ſecuti ſancti quos ad publicam
l *Ibid.* ſalutem Devs elegit: [l] *Tunc deſcenderunt multi quæren-*
*v.*29. *tes iudicium, & iuſtitiam, in deſertum.* Illi legem Dei for-
m *Ibid.* tiſſimè defenderunt. [m] *Tunc congregata eſt ad eos Syn-*
*v.*42. *vſq;* *agoga Aſidæorum fortis viribus ex Iſraël, omnis voluntarius*
ad 47.

in lege

in lege: & omnes, qui fugiebant à malis, additi ſunt ad eos, & facti ſunt illis ad firmamentum. Et collegerunt exercitum, & percuſſerunt peccatores in ira ſua, & viros iniquos in indignatione ſua: & ceteri fugerũt ad nationes, vt euaderent. Et circuiuit Matthathias, & amici eius, & deſtruxerunt aras: & circumciderunt pueros incircumciſos quotquot inuenerunt in finibus Iſraël: & in fortitudine.

¶ 2.

En tibi torrentem impietatis, qui genus hominum impetu alieno deuoluit in ſtagnum ignis & ſulphuris cruciandum die ac nocte, vt Joannes vaticinatus eſt. [*n*] His quisque armis ſe contra vitiorum conſuetudines muniat. Si princeps, ſi potentes, ſi totum vulgus potentibus adulando ſequatur praua exempla tanquam iura & leges, vnus obſiſte, ſi retinere alios non potes, ne te illi trahant, animum obfirma. Multa agunt in palatio potentes, quæ DEO placere non poſſunt, & ſibi diſplicere fatentur, qui faciunt, cogi ſe cauſificantur, morem gerendum regi ac ſodalibus prædicant; at non eſt illa quam prædicant neceſſitas, impia eſt mollities aliis gratificari flagitio, audaciſſima temeritas inimicitias contra Deum ſuſcipere, vt placeas perituris. Contrarium fieri oportet, vt mali à bonis adiuuentur, quo malitiam exuant, pietatem induant. Facit tamen infirmitas, vt mali obſint bonis, & iacentes ipſi, eos à quibus erigi debent, ſupplantent ac deiiciant. Caſus labentium debet eſſe eruditio cautioq; ſtantium; aliena peccata ſint ad præcauendum exempla, non ad imitandum incitamenta. Nulla, in qua non ſit aliquis pernicioſe malus: nam res eſt contagioſa conſortium malorum. Male facta bonos, ſi perſeuerant conſtantes, cruciant, ſi delectant, perdunt. Quicquid agunt mali, comites ad exitia quærunt, pleni ſunt graueolentia, mephitin ſuam proximis inha-

n *Apoc.* 19.

Non probanda vitia potentum.

Conſortium mali periculoſum.

inhalant; cætera mala fugiunt, mala quibus ipſi mali ſunt, diligunt. Hinc teterrima vitiorum confuſio, vt alij in aliorum gratiam delinquant, potent, obſcena loquantur, blaſphement, domum orationis in domum fabularum conuertant, non tantum peccandi furore, ſed etiam voluntate gratificandi, timore diſplicendi; quo non excuſantur, ſed grauius iudicium ſuſtinebunt: ideo enim & ipſi ſe contaminant, ne innocentia ſua improbare aliorum flagitia videantur, ne peccantibus pudorem incutiant, ne velut cenſores odio habeantur. quod ſane perquam frequens eſt in aula: tum ob hominum conglobatam multitudinem, tum ob vitiorum in magnatibus auctoritatem; quodque magis abominandum eſt, multis quæſita per fas & nefas incrementa, quorum malas artes æmulantur, etiam poſtquam illi, qui per fraudes euecti ſunt, de faſtigio corruerunt. Quantus mundi inſanientis eſt furor! Eutropius eunuchus apud Arcadium in precio fuit, aulæ rector pudendus, auarus, & crudelis, conſulatu etiam inſignis. [o]

Eutropius. *a Claud. in Eutrop.*

——— Trabeata per vrbes
Oſtentatur anus, titulumq; effœminat anni.

Spadonibus ille fauebat, plurimi mortalium & ſibi, & liberis virilitatem demere ſuſtinuerunt, vt illi ſe commẽdarent, atque ad optatas dignitates eueherentur. Improba vota, crudelem ambitionem DEVS abrupit, pleriq; eorum ex vulnere obierunt: ad magnam potentiam euectus eſt nemo, ipſe Eutropius honores ſuos contumelia & morte luit. Sæua itaque rabies eſt, quam parit cura morem aliis gerendi, ſeſe accommodandi, & viuendi leges ad potentium placita componendi. Nemo horum væcordiam non miratur, miſerentur pauci: ſtultum enim eſt alienum malum ſibi arcerſere, ne male habenti diſſimilis habeare. nemo tam importune arrogans eſt, vt hoc poſtulet, nemo tam abiectè adulatur, vt ſibi malè faciat. lippitudinem, gibbum, febrem, catum, cœcitatem, cancrum,

Digitized by Google

crum, peſtem alienam nemo ſibi imprecetur, aut machinetur, vt ægris ſimilis ſit, ne illos ſanitas amici offendat. Cur igitur omnes animarum peſtes toto pectore hauriunt, ne ſint diſſimiles malis? ægrimoniæ & tabes amicorum, ſcabies, & vrentia vlcera, & Hydrops ad aſpectum horrida, ad miſericordiam mouendam idonea nos excitant, vt & illis ſuccurrere & nobis cauere conemur, alieno malo ſapientes, cur non igitur in morbis animarum grauioribus, in mortem æternam ducentibus eadem eſt, vel erga illos caritas, vel pro noſtra ſecuritate cautela? Ignorantia veri obtenebratur amicus, iracundiæ febribus æſtuat, torpori & ſomnolentiæ mortem ſociat, auaritia cœcatur libidine tanquam cancro putreſcit, conuitiis & obtrectationibus luem pectoris ſui in alios transfert, inuidia tabet, vino vritur, tympanite ſuperbiæ inflatur. hæc mala auferre ab illis, ſi vere amici ſunt, non conciliare nobis oportet. Ne igitur aliorum cauſa peccaris, ſed ad hoc incumbe, vt tui cauſa peccatis abſtineat, qui peccaturus erat. Miſera ſors humanæ conditionis: cadit corpus, omnes concurrunt, ſubleuant; cadit anima, ſine qua corpus ſaluum eſſe non poteſt, & iacenti arridetur, nemo ſubleuat, aſſentando non ſentientem premunt. Cadit aſinus, nec deeſt manus auxiliatrix, cadit in mortem anima, & nemo audet illi eſſe cauſa ſalutis ne offendat pereuntem. Trahimur letalis mali contagione, & conſuetudinem dicimus. An cuiquam conſuetudo eſt vt ſe perditum eat? an non potius vetuſtas erroris? licentia exitialis? torrens gehennæ?

¶ 3.

Nunquam ſatis iſta cauetur contagio, quæ occulta vi in mentes illabitur. Magnes trahit ferrum, naturæ arcana congruentia, adeo, vt Cardanus lapidem illum viuere, & ferrum illi pro pabulo eſſe iudicarit. [p] errore manifeſto: nam & ferrum maius trahit magnetem minorem, nec ferrum tamen depaſcitur magnetem

Magnes eſt exemplum.

p de Variet. rerum.

tem

tem; quin magnes obductus lumina ferrea fortius trahit aliud ferrum, non veſcendiratia. Conſule & Scal.

q *Exercit.* 131. [q] Non impar eſt morum conſociatio, quæ vi abdita trahit, & quodam conſenſu, felice, ſi ad bonum, miſero, ſi ad malum. & tum trahit, ſi animis immittatur: aqua, quam vocant ardentem, & ſpiritus vini, quæque aromatum calore pollent; tum demum vim ſuam exerunt, cum recepta ſtomacho natiuo calore & humore excitata inardeſcunt, ſic omnia exempla tam virtutum quam vitiorum non proſunt, neq; nocent, niſi adiuta ingenio videntis vel audientis. facile tamen trahuntur, aut ſeſe inſinuant, præſertim mala, quia delectatione blandiuntur; tardius ſincera, quia pugnam habent. Erudite Nazianzenus. [r]

r *orat.* 1.

Neque enim vel indelebilem tincturam pannus, vel fœtidum aut ſuauem odorem res admota ita facile contrahunt, vel exitialis quidem vapor tam facile in aërem diffunditur, ac per aërem animantia occupat (quod quidem peſtis, & eſt, & appellatur) quam ſubditi Antiſtitis improbitate celerrime impleri ſolent, & quidem multo facilius, quam virtute.

Malorum facilior imitatio.

Ita plane eſt: aëris peſtilentioſi hauſtu ſanus inficitur, ſalubri aura non corrigitur infectum lue corpus. Boni igitur & integri ſocietatem malorum luunt: difficile eſt manere incorruptum, qui vitioſo ſociatur. Vere dixit propheta Dauid. [s] *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: & cum electo electus eris: & cum peruerſo peruerteris.* Ex motu, geſtu, affatu, conuictu, ſpectaculis ipſis, vitia ſubrepunt. Si igitur amicum, ſi dominum honoras, dignum iudica, coram quo peccare non audeas: maior amico caritas, maior Domino honor exhiberi non poteſt. Princeps es, aut Magnas, gratiam inferioribus hanc imprimis tribue, vt te duce ſint boni, voce doce, ſed plenius opere; longum iter per præcepta, breue & efficax per exempla. Plus credunt oculis quam auribus. integritatem rerum probat odor, virtutem exempla. Nil putre ſuaue redolet. Tu ipſe aſſueſce in bonis imitari meliora. Rectores

s *Pſal.* 17.26.

Graue crimen in malis exempla.

res vrbium tot mortibus dignos S. Gregorius pronunciat, quod mala exempla ſubditis transmittunt: non moriuntur ſoli, vicini etiam ſanguinis ſunt rei. Societas requirit concordiam morum, bono curandum, vt in virtute perſeueret, ne polluatur ſocietate prauorum.

¶ 4.

Veteres Chriſtiani in aula Neronum, Adrianorum Diocletianorum, magis exemplo quam verbis infideles ad Veritatem ductabant, vt Tertullianus. [t] Juſtinus, [u] oſtendunt, Hilarion pene puer latrones ad ſanctam vitam adduxit. [x] Sozom. [y] Nicephorus. [z] Exemplo ſuo Macarius, nobiliſſimus Armenus, multos qui linguam eius non intelligebant conuertit.

t *In Apol.*
u *Ad Antonium & de Verit. fidei Chriſtianæ.*
x *Hier. de Hilar.*
y *l.3.c.13. & l.3.c.9. & 14.*
z *l.9.c.19.*

Sic igitur cenſura, & ſic exempla parantur,
Cum iudex, alios quod monet, ipſe fuit.

Habent eiusmodi exempla aulæ & caſtra, quamuis tum in caſtris aula. Julius miles nobilis vtriusque militiæ, Imperatoriæ & Chriſtianæ, emeritus, [a] Alexandro Cæſare religionis cauſa ad ſupplicium raptus eſt. Ad virtutis imitationem exarſere commilitones, quos inter Heſychius martyri glorioſum gratulatus iter: *memor*, inquit, *eſto mei, nam & ego ſubſequor te. Paſicratem & Valentionem commilitones ſaluta* (illi iam Deum morte ſua glorificauerant) cui Julius: *feſtina frater, mandatum tuum iam audierunt quos ſalutaſti.* Vterque coronam eſt adeptus, & viæ monſtrator, & ſecutor, paruo temporis interuallo. Atq; hoc documentum nobilis aulici, & militis generoſi, omnium animis inſcriptum velim. Nimirum ita viuendum inter æquales, vt animus ſemper ad eos transferatur, quibuſcum victuri ſumus æternum. Heſychius ætatem degebat in colluuie malorum, verum mens ibi habitabat, vbi amabat, apud coronatas commilitones, quos ſancta vrbanitate ſalutabat. In palatij ſordidis & obſcuris locis nemo ſe diu

Exemplum Iulii
a *martyr. Rom. Ado. Beda. Petrus in Catalogo l.5.c.56.*

conti-

Imitatio bonorum. continet, ſplendorem parietum & ſupellectiles miratur. hoc in virtutum ſpectet ornamentis, vitioſorum moribus nequaquam attendat, virorum illuſtrium dicta factaque dilaudet, & quod eſt probatiſſimum genus laudationis, imitetur: virtutem qui laudat, Deum laudat, qui exercet, pluſquam laudat. magnum eſt ſummos viros vel parum imitari, ſed ex animo, vt virtutes; non vt echo vocem, ſed vt ſancti ſanctos; non vt multi S. Baſilij barbam, inceſſum, loquendi tarditatem, æmulabantur, ſed virtutem, vitia quæ in nullis viuentibus non ſunt, in omnibus vitare. cauenda fouea in qua alij iacent.

§ 5.

Stultorũ eſt omnibus placere velle. Qui omnium voluntatibus abſque diſcrimine honeſti ſe offerunt, & obſequio omnes demereri conantur, ſimiles ſunt ſcurris, leuiſſimo hominum generi, qui iocis & riſibus excitandis famam captant, & ſimulata fatuitate, quibus illudunt, placere ſtudent: qui etſi omnes delectant, à nullo tamen amantur. Hos Clemens Alexandrinus paraſitos vocat agreſtes, ſine ratione riſum captantes. illi profectò ſtultitiam ſimulando ſapientiam perdunt, & quod eſſe videntur, etiam fiunt: nec comicè, ſed reuera deſipiunt. hos qui punire & corrigere velit, ridicula dicentibus non arridebit. Obſequi igitur æqualibus, ſeruire maioribus, vrbane etiam comiterque loqui & iocari in aula ſcitum eſt. at ſint ioci ſine vilitate, ſales ſine amaritie, ſine felle facetiæ: nulli ſe præbeat aduerſum, nec ſe iungat indignis; ne tangat immundum, hoc eſt, prauis actibus ne præſtet aſſenſum, nec plauſum; errori comiter reſiſtat, ne approbare videatur: veritas enim dum errori non reſiſtitur, indefenſa opprimitur: non enim caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto deſinit obuiare delicto, vt Pontifex Innocentius monet. Non ſatis innocens in hominum multitudine eſt, qui etſi (quod Pius Papa affirmat) errore non polluitur ſuo,

Digitized by Google

ſuo,tamen conſenſum præſtat erranti: par pœna fere, facienti & cõſentienti, Hic magnanimus & nobilis eſto. Lex aulæ cœleſtis eſt,nullius probare crimen, peccantibus non auxiliari, non arridere: hic ex caritate lacrymas, mœrorẽ, preces, & cũ res exigit, aut ſinit, monitiones poſtulo: pia eſt illa triſtitia,& ſi ſic dici poteſt, bona miſeria, vitiis alienis tribulari, non implicari, mœrere, non hærere; contrahi, non attrahi. Hortatur Salomon. [b] *Fili mi, ſi te lactauerunt peccatores, ne acquieſcas eis.* Et in Eccleſiaſtico. [c] *Diſcede ab iniquo,& deficient mala abs te.* Agnoſcere & expaueſcere eos iubet Bernardus, qui ſalutem animarum impediunt. Omnia officia exhibeto, ſed vsq; ad aram, cum peccati cauſa agitur, nam non eſt officium, ſed inquinatio. Faciunt aliquando viri magni quod volunt, quod etſi indecorum videtur, non eſt crimen tamen. Alphonſus rex Hiſpaniarum inſaniæ genus eſſe ſaltationem dicere ſolebat; præſente Cæſare Frederico & ipſe ſaltauit, mirantibus reſpondit, cum magnis viris aliquando inſanire non indecorum videri; quam tamen ille ſententiam ad ea, quæ legibus diuinis prohibentur, non extendit: qui enim in aliorum conſpectu male agit, quantum in ſe eſſe videtur, occidit. Quin hoc quoq; in turbis illis memori mente reponẽdum: ne ad aliorum mores, ſed diuinæ legis normam vitam exigas tuam, nõ enim ideo tu innocens, ſi alius eſt nocens.

b *Prou.1.10.*
c *c.7.2.*
Alphonſus

§ 6.

Ne quicquam mali vllius cauſa faciat, nec virtuti obicem eſſe patiatur vllius temporis morem, aut hominis arbitrium, vel illa cauſa magni momenti eſſe debet quod illis poſtremo reddantur inuiſi, quos per flagitia demeruerunt, quod Daniel exemplo demonſtrat. [d] *Et in temporibus illis multi conſurgent aduerſus regem Auſtri: filii quoq; præuaricatorum populi tui extollentur vt impleant viſionem,& corruent.* Cum enim in Judæos Ptol. Philopater ſæuiret, multi ſpe præmiorum à patria

Qui peccato placent, cito redduntur inuiſi.
d *c.11.14.*

L lege

lege defecerunt, vt l.3. Maccab. ſcribitur. Verum mutata diuinitus in beneuolentiam regis ira, impetratum eſt, vt præuaricatores liceret interimere, vt eodem libro ſcribitur. [e] & vna die ſunt interfecti trecenti. Quamuis autem liber ille canonicus non eſt, huic tamen hiſtoriæ cõuenit, nam verſus ille ad Philopatrem pertinet. verum hac de re alibi actum. Andreas rex Vngariæ Conſtantinopolim profectus Bambanum regni gubernatorem conſtituerat. [f] Gertrudis regina cognito fratris, quo Bambani vxorem deperibat, amore, facile artibus muliebribus effecit, vt ſcelere potiretur. Bambanus iras omnes in reginam conciliatricem effudit, eamq; interfecit. quod homini potenti, & iam regis vices gerenti difficile nõ fuit. Facta cæde, ipſe Cõſtantinopolim profectus, regi crimen vxoris & vltionem expoſuit, rex Bambanum abſoluit, dolori viri fortis indulgens, præcipuo odio coniugis, quam fore caſtitatis amantem ſperare nõ poterat, alienæ vxoris lenam: nec frater quicquam tum mouit. inuiſa omnibus ex æquo nequitia, etiam illi, cui bono fuiſſe videbatur.

e 3. *Macc.* c. 7.

f *Bonf. de rebus Vngar.*

Cap. XXV.

Ad bene in aula, ac curia viuendum opus eſſe ſumma Sapientia.

§ I.

SApientia rerum diuinarum, & cauſarum primarum prudentia rerum agendarum; ſumma opus eſt, mediocris in priuato locum habet, palatium vt genus nobile, ita prudẽtiæ apicem poſtulat, vt inter tot laqueos ſecurus incedat, ne inter malos inficiatur. Inter ſcopulos procella ſurgente ſumma peritia vix efficit, ne nauem allidas, nauclerus inexpertus certa eſt calamitas nauigantium: & quo quisq; audacius vela pandit, eo propinquior eſt periculo. Prudentius regna ac prouincias Chriſtianorum orthodoxorum, quam Ethnicorum

Neceſſitas prudentiæ.

rum

rum adminiſtrari magno argumento docemur. Inter illos pauci ſine ſanguine reges ad generum Cereris deſcenderunt,& ſicca morte tyrāni: procerum rari in aula conſenuerunt mutuis calumniis, & regum ſæuitia eliſi. Regum Chriſtianorum pleriq; placida morte obierunt,parciſſimi etiam ſanguinis fuerunt. nec qui vocantur in aulam gladios valde metuunt, aut crudelitatem. Egent tamen multa prudentia Cauſæ& bonorum & malorum ſub diuerſa ſpecie latent, non niſi ſapientibus iudicandæ,prudentes inter,imo aſtutos, fallaces æmulos vita agitur: pluribus noxæ eſt non delinquere,nec paucioribus in aliena peccata non conſentire, ſumma igitur requiritur prudentia, vt actiones caute diſponantur, ne inſidiatori latus nudum præbeatur.

§ 2.

Danieli datam, & ſociis ſapientiam excellentem *Sapientia*
conſtat,ex ipſa Scriptura. [a] *Pueris autem his dedit Deus* *Danielis.*
ſcientiam & diſciplinam in omni libro & ſapientia: Danieli a c.1.17.
autem intelligentiam omnium viſionum & ſomniorum. Et
deinde. [b] *Cumq; eis locutus fuiſſet rex, non ſunt inuenti* b v.19.
tales de vniuerſis,vt Daniel, Ananias, Miſaël, & Azarias: & & 20.
ſteterunt in conſpectu regis. Et omne verbum ſapientiæ & intellectus quod ſciſcitatus eſt ab eis rex,inuenit in eis decuplum, ſuper cunctos ariolos & magos, qui erant in vniuerſo regno eius.
Teſtis ipſe Daniel Deum coram rege laudans. [c] c c.2.30.
Mihi quoq; non in ſapientia, quæ eſt in me plusquam in cunctis viuentibus, ſacramentum hoc reuelatum eſt: ſed vt interpretatio regi manifeſta fieret, & cogitationes mentis tuæ ſcires. Illi
quoq; teſtimonium dat regina Babylonis. [d] *Eſt vir in* d c.5.11.
regno tuo, qui ſpiritū deorum ſanctorū habet in ſe: & in diebus patris tui ſcientia & ſapientia inuentæ ſunt in eo: nam & rex Nabuchodonoſor pater tuus,principem magorū,incantatorum, Chaldæorum & aruſpicum cōſtituit eum, pater, inquam, tuus ô rex: quia ſpiritus amplior, & prudentia, intelligentiaq; & interpretatio ſomniorum, & oſtenſio ſecretorum, ac ſolutio ligatorum, inuentæ ſunt in eo; hoc eſt in Daniele.

Digitized by Google

e c.6.3. Perſeuerauit ſapientia illa ad ſenectam. [e] *Igitur Daniel ſuperabat omnes principes & ſatrapas: quia ſpiritus Dei amplior erat in illo.*

f c.7.16. Nec mirum diſcipulus erat angelorum. [f] *Acceſſi ad vnum de aſſiſtentibus, & veritatem quærebam ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi interpretationem ſermonum, & docuit*
g c.8.16. *me.* Imo Gabrielis ipſius. [g] *Et audiui vocem viri inter Vlai: & clamauit, & ait: Gabriel fac intelligere iſtum viſio-*
h c.9.22. & 23. *nem.* Et ait ille: [h] *Intellige fili hominis.* Ingreſſus eſt autem de cœlo angelus vt illum doceret. [i] *Et docuit*
i c.10.14. *me, & locutus eſt mihi, dixitq́; Daniel nunc egreſſus ſum vt docerem te, & intelligeres. Tu ergo animaduerte ſermonem, & intellige viſionem.* Quin hoc ipſum affirmat, non intellige-
k c.12.10. re impios, [k] *neq; intelligent omnes impii, porro docti intelligent.*

Porro quam facili ſapientia ſenes impuros, iudices iniuſtos puerulus calumniæ conuicit? & Suſannam
l c.13. ſeruauit. [l] Plane Danielis exemplo in teſtibus, & complicibus examinandis omnia tribunalia vtuntur, vt falſarij ſe mutuo prodere cogantur. *Dic,* inquit, *ſub qua arbore videris eos colloquentes ſibi?* Et cum verbo deprehendiſſet, morti adiudicauit. Jucundo ſtratagemate, ſacrificulorum fraudes inuenit, & ipſos omnia de-
m c.14. 13. tegere coëgit. [m] *Præcepit Daniel pueris ſuis, & attulerunt cinerem, & cribrauit per totum templum coram rege: & egreſſi clauſerunt oſtium.*

n c.14. 18. & 19. Et deinde [n] *& riſit Daniel: & tenuit regem ne ingrederetur intro: & dixit: Ecce pauimentum, animaduerte cuius veſtigia ſint hæc. Et dixit rex: video veſtigia virorum, & mulierum, & infantium. Et iratus eſt rex.*

Facili etiam ſapientia draconem occidit, ſine fuſte
o c.14. 26. & enſe. [o] *Tulit ergo Daniel picem, & adipem, & pilos, & coxit pariter: fecitq́; maſſas, & dedit in os draconis, & diruptus eſt draco.* Et dixit: Ecce quem colebatis.

Quantum viribus præſtat ſapientia, omniũ poëtarũ ingenia laſſauit hydra, quæ creuit in Herculẽ vinci dolentem, Daniel offas ſeptem faucibus deuorandas obie-

obieciſſet, quo multo citius creparet. Regulus quoq; exercitu, & catapultis in Africa ſerpentem oppugnauit: pice, adipe pilis Daniel interfeciſſet. Hæc enim vis ſapientiæ eſt, vt quiete, facileque perficiat, quod ſtulti magnis iuribus, impenſis, periculis moliuntur, & multorum damno: neque dubium eſt, quin Monarchiam prudentiſſime gubernarit, plurimaq; prudentiſſime dixerit, legibus ſanxerit, fecerit. Sapientia eius notior toto orbe, quam regnum Chaldæum fuit. Ezechiel, [p] enim principem Tyri reprehendit, at- p c.28.3. & 4.5.
que exitium prædicit, quod DEVM ſe dixerit, & Danieli ſe prætulerit. *Ecce ſapientior es tu Daniele.* Omnes ironiam eſſe conſentiunt, & conceſſionem: nam opinione ſua ſapientior erat: ad quod indicandum 72. interpretes interrogandi forma poſuerunt verba prophetæ, *An prudentior tu Daniele?* Hoc certum eſt regem Tyri ſapientiorem ſe exiſtimaſſe. nam dixit: [q] *Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi in corde maris*: Alioqui ſapiens fuit Tyrius. [r] *Omne ſecretum non eſt abſconditum à te. In ſapientia & prudentia tua feciſti tibi fortitudinem: & acquiſiſti aurum & argẽtum in theſauris tuis. In multitudine ſapientiæ tuæ, & in negotiatione tua multiplicaſti tibi fortitudinem: & eleuatum eſt cor tuum in robore tuo.* & fatetur hoc propheta. [s] *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore.*

Sapientia Tyri.

q Ezech. 28.2.
r v.3.4.5.
s v.12.

Noxia & ſtulta fuit iſta ſapientia, ſibi enim ſucceſſus tribuebat. [t] *Eleuatum eſt cor tuum, quaſi cor Dei*, quod extremum erat dementiæ, quare Deus illi minatur: [u] *Et nudabunt gladios ſuos ſuper pulchritudinem ſapientiæ tuæ, & polluent decorem tuum.*

t v.6.
u v.7.

Stultam ſapientiam diuinitatis affectricem amare ridet verus Deus. [x] *Nunquid dicens loquêris: Deus ego ſum, coram interficientibus te: cum ſis homo, & non Deus, in manu occidentium te?*

x v.9.

Hac ſuperbia ille perdidit ſapientiam, [y] *Et eleuatum eſt cor tuum in decore tuo: perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo, in terram proieci te: ante faciem regum dedi te vt*

y v.17.

cernerent te. Perfectus autem fuit, donec eſt in eo inuenta iniquitas: itaq; ignis ab eo egreſſus eſt, & in cinerem
z *v.18.* redegit. [z]

§ 3.

Hæc teſtimonia de ſacris Scripturis ponere oportuit, vt ſapientiæ ſeu prudentiæ (nomina enim confudimus) aulicæ exempla cognoſcantur. Duo hic ſapientes, Daniel & Tyrius. Danielis ſapientia ſecundum *Duplex ſapientia.* DEVM, omnia DEO tribuens, iuncta religioni, in ſacco & cinere adorans. Sapientia mundi gubernatrix ſapientiſſima, populi fidelis conſeruatrix. Sapientia deinde regis Tyrij, etiam illa à Deo, ſed conſurgens contra DEVM, regnum callide adminiſtrans, in cathedra DEI ſedens, cor eleuans quaſi cor DEI, & regnum patriamque, & ſemetipſum in cinerem redigens. Hæc infatuata eſt, qua rex ſuperbiſſimus tum primum ſe DEVM dicere veritus eſt, cum de manu occidentium reciperet ferrum, & morte pulſante palleret. Hæc in aulis hodieque gemina ſapientia cernitur, ſapientia Chriſti quæ vbique eſt, ſed tamen longe à malis eſt, qui vbique ſunt: ſapientia vera cultus eſt DEI, operumqui ad ſcopum vnum & verum impigra directrix. [a] Hæc cælo erigere docet animos quo & vultus erectus eſt. [b] Sapientia vero, quæ in actu iuſtitiæ, & virtutis non verſatur inanis eſt, [c] vt Lactantius ait, & Auguſtinus, [d] adeoque ipſe Tullius. [e] Qua cauſa vera ſapientia & religio inſeparabili nexu cohærent. Nam ſi numen aliquod mundum gubernat, bona donat, ſi indulgentia mortales fouet, poteſtate creat, vult omnino gratiam ſibi, & honorem deferri, quod qui negligit, ſapiens non eſt, cum ſit ingratus. Non alius igitur doctor ſapientiæ, alius religionis eſt. Nam colendo DEVM ſapere oportet, & ſapiendo hoc eſt, ſciendo quid & quomodo colere oporteat, re & actu ipſum implere. [f] Sapientia itaque vera in

Sapientia cum religione nexa.
b *Lactant l.3.c.6.*
c *l.3.16.*
d *l.19.de ciuit.c.3.*
e *l.1.offic.*
f *Lactantius l.4.c.3.*

Digitized by Google

ra in lingua, digitis, & geſtu. Semper igitur, vbi fuit vera religio, Dei cultus, ſtudiumq; virtutis etiam vera ſapientia fuit, quam falſo Seneca mille ante ſuam ætatem annos initia cepiſſe exiſtimat. [g] Sapientes enim ante Homerum, & Heſiodum fuerunt, illi autem non fuerunt ſapientes. Sicut neque ſeptem illi quibus Græcia gloriatur, Thales, Solon, Periander, Pittacus, Chilon, Bias, Cleobulus, quorum obſtat famæ, quod non Dei ſed hominum, & quidem ſtultorum iudicio dicti ſunt ſapientes, ſtultus autem ſapientiæ iudex idoneus non eſt. Danielem, & Tyri regem ſapientes Dei iudicio cognouimus. Sed Danielem vere ſapientem, qui vere iudicarit de rebus agendis, & ſingularum precio. Regem dein Tyri multa vere cognoſcentem, ſed finis ignarum, omnem enim ingenij vim ac eruditionis, in congerendos theſauros, vt Ezechiel memorat, imprudens contulit, & rem nobiliſſimam, de cœlo venientem terræ cœnoque immerſit: quod in palatio imitantur, qui omni ope in hoc incumbunt, vt regum animos demereantur, quo opes colligant, familiæ ſplendorem augeant, prouincias ſpolient, & cenſus imperij in gazas ſuas nimium cruentas inferant, imitatores Tyrij regis, late dominantes, regum ipſorum, principumque tyranni. Plerunque in malo potentes. [h] *Egreſſa* eſt iniquitas de Babylone à ſenioribus iudicibus, qui videbantur regere populum. Et deinceps: *Nunc venerunt peccata tua. Et: ſic faciebatis filiabus Iſrael.*

Antiquitas ſapientia.

g *Lact. l. 3.*

Falſa ſapientia.

h *Dan. c. 13. 5. v. 52. & 57.*

¶ 4.

Hic plane requiro iuuentutem aulicam, cautam prudentia διαγινωσκόμενον φρόνησιν, quæ prudentiam ipſam cognoſcat, ac iudicet, qualis Daniel deſcribitur. [i] Veram à falſa diſcernat. præiudicia caueat: non perſonas, ſed rem penſet, ne cum diuitem quempiam

i 6. 1. 3.

aut gratioſum potentia florere cernit, ſapientiam arbitretur, atque eius vitia, quod paraſiti ſolent, adoret. Ne Tyrios reges cum opulentos videt, etiam beatos iudicet, quos cœleſte oraculum infra omnes homines abiicit, contumeliis & pœnarum diritatibus contritos. Aulam prius cognoſcat, quam adeat, ad portam mores, exitusque hominum vt olim liberi Perſarum [k] obſeruet. Prudentiam in palatio ſimilem eſſe, quem ad eius indicandam naturam vetuſtas finxit Argo, oportet. Plenus erat oculis, ne quid non videret, in vicem illi dormiebant, & excubabant: aut Iano bifronti, antecedentia, & ſequentia videnti; aut, ſi de Scriptura ſimilitudinem mutuari malumus, animalibus Ezechielis, [l] quæ plena erant oculis intus, & foris. Intus vt ſeipſas cognoſcant, foris vt alios. Intus vt ex naturæ & gratiæ principio motuque facta & verba ad recti normam gubernarent, foris, vt euenta omnia, familiaritates, ipſa ſibi infortunia accommodent, ne leui cauſa in luctum, aut lætitiam ſe dent, quod eſt imprudentiæ, cui ſoror eſt malitia. Quemadmodum vero calamitates antecedit inſipientia, ſic eas moderatur, minuit, & in bonum vertit prudentia. Hæc os eſt, dux, & aduocata cœterarum virtutum, vitæ oculus: vt enim nulla vox eſt piſcibus, ita nulla virtus imprudentibus, nulla prudentia improbis. Magna autem eius officij pars in æſtimandis rerum preciis conſiſtit: ſi rem nullam magnam exiſtimes, ſi totam aulicorum obſequiorum comœdiam iudices, cuius maior pars ſit ludicra, ſolam virtutem, & benefacta digna ſeriis cogitationibus. Hoc enim modo conſequetur ſapiens, vt ſemper ſibi ſimilis ſit, quæ eſt prima dos ſapientis, quemadmodum palma, & in pugnam contracta eadem manus eſt, vt Auguſtinus docet, ita proſperis, & aduerſis meus eadem. Sapiens enim vtrumque euentum propoſuit, & quem optauit, & quem formidauit. Illo ſtudio facile perturbationes euitare licet, quæ vt vere Pindarus canit, [m] *imponunt etiam ſapienti.* Murus

k *Xenoph. l. 7 ped.*

l *c. 1. & 2.*

Sapientiæ oculus.

Officium prudentiæ.

m *Pyth. 7.*

rus

rus eſt enim vitæ humanæ, & felicitatis propugnaculum, vt Antiſthenes dicebat, ſapientia. Non enim calamitatis tanquam arietis incurſu diſſoluitur, nec proſperitatis cuniculis ſubruitur. Magnum eſt in homine ornamentum ſapientia. Maximum in minimo eſſe dicebat Periander, ſapientiam in humano capite.

§ 5.

Sapientiam ſibi omnes expetunt, ne facile fallantur, quod omnes fugiunt. Verum alterum illius, & primarium officium, ne facile delinquant, pauci ſpectant, & cauent. Meminerint ſapientis eſſe, nemini nocere. Huius enim ſapientiæ ratio in Deo eſt. Secundarium eſt, vt ſibi caueat, quod facile conſequetur, ſi ita viuat, vt non ſit aliis cauendus. Plato etiam monebat, attendi oportere, ne rationum oſores ſint, qui in hominum conuictu vitam agitant. Multa in vtramque partem dicuntur aut vere, aut probabiliter, & ſpecie quadam veri, quod quale ſit cognoſcere ſapientis eſt. Imprudenter enim agunt, qui licet verum, & æquum intueantur, non tamen quomodo oppugnetur, attendunt; ideo nec reſiſtere illis, qui tenebras obiiciunt, nec ex ignoratione ſatis eluctari queunt; Hæc cura illis, qui ſibi viuunt, minus neceſſaria eſt. Bonum enim, quod non oppugnatur, ſequitur, at in acie, & illo vitiorum, & virtutum conflictu omnia præſidia conquirenda ſunt. Quorum præcipuum eſt, vt res tuas ipſe tacitas habeas, nihil iactes, nihil queraris. Ceruus cum odoram canum vim concitus fugit, ventos ſequitur, vt odorem proditorem ſui ſecum vehat, non relinquat indicia, & ſagacitatem inimicarum narium fruſtretur. In palatio, qui inuidiam, obtrectationem, irriſum vitare ſatagit, omnia ſibi ſua, & ſe quoque intra ſe colligat, indicia ſuarum rerum ne in alienos oculos ingerat: ne occaſionem ſui ad inſequendum, mordendumq; hoſtibus præbeat. Hoc in genere delinquunt, præcipue iuuenes, ſtulti prudẽtiæ oſtentatores.

Sapientia eſt prodeſſe non nocere.

Incerta cognoſcenda.

Iuuenum imprudẽtia.

res. Quæ namque recens didicerunt, paulo ante ignari, etiam ignorare ſenes ſuſpicantur, quia ſecum vna non didicerunt. *Bonum nouum*, ait Pindarus, *quiuque extollit*. Hinc videmus adoleſcentes, qui dapes inferunt, canum, aut falconum curam gerunt, grandi ſupercilio ſonare, ſophos, ſapientiæ apicem vertici impoſuiſſe putes. Quod ſi aut Sequanam guſtarint, aut viderint niues Appennini, etiam habitu, flexúque peregrinam ſapientiam, non ſine ſtultitiæ irriſu venditant: ignari non eſſe prudentis, prudentiores velle docere. Cœcis illi perſimiles ſunt, qui cum viam neſciant, in omnes partes brachia tendunt, omnia pertentant, vt non magis pedibus, quam manibus ambulare videantur, parum tamen proficiunt, quoq; magis ſatagunt, artusq; mouent, eo magis cœcitas apparet, aliis miſeranda, & vbi adeſt iactantia, ridenda, errores ſuos, & geſtus indecoros, quia cæci ſunt, videre nequeunt.

Cap. XXVI.

Nullam hominis ſapientiam vitæ in aula aut curia degendæ ſufficere.

§ 1.

De humana ſapientia loquor, quæ ſumma eſt, innocens, norma vitæ ciuilis, virtutum ductrix. Illa, inquam, aulicarum rerum molibus ſuſtinendis impar eſt. *Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia*: Magnifice, non vere dixit Satyricus. Etiam oculatiſſima ſapientia in hac rerum temporumque caligine cæcutit. In Daniele maior erat, quam in cunctis viuentibus, [*a*] ceſſit tamen ciuium violentiæ, [*b*] ceſſit procerum dolis, [*c*] ne regio quidem patrocinio ſeruari potuit. [*d*] *Quod verbum cum audiſſet rex, ſatis contriſtatus eſt: & pro*

a c.2.14.
b c.14.
c c.6.
d c.6.14. & 15.

Digitized by Google

pro Daniele poſuit cor vt liberaret eum, & vſque ad occaſum ſolis laborabat vt erueret illum. Cogitur tradere Danielem inuitus. [e] *Vidit ergo rex, quod irruerent in eum vehementer: & neceßitate compulſus tradidit eis Danielem.* Neq; ſocios Danielis ſapientia liberare potuit. [f] Dauid vir ſecundum cor DEI, quamuis prudentius ſe geſſit, quam omnes ſerui Saul, in exilium tamen excuſſus eſt. [g] Atq; hæc de Sapientia eximia accipienda ſunt, vulgaris parum in tantis periculis valet, multæ enim imprudentiæ miſturam habet, & errores, qui circa mentem hominum pendent, vt de arbuſtis niuium vellera, quæ ſolus lumine ſuo cœleſti Sol iuſtitiæ decutit.

e *c.14.29.*
f *c.3.18.*
g *1.Reg.*

§ 2.

QVamuis autem ab incommodis ſapientia immunem reddere nequeat, illa quæ humana ratione vitam erudit: efficit tamen ſapientia ſublimior vt nocere non poſſint, quæ vitari nequeunt mala. Laceſſunt illa, non ſubuertunt, hac Daniel Leones, Collegæ vicêre fornacem. Hac Maccabæi Antiochum, Martyres tyrannos ſuos triumpharunt. Mala enim, quæ nulla prudentia fugere potuerunt, ſumma ſapientia ad diuinam gloriam, ſuamque ſalutem retulerunt, feliciores, quam ſi declinaſſent. Atque hæc medulla eſt, & anima ſapientiæ, vt ſi inopiam, infamiam, alia toleratu aſpera vitare non valeamus, per illa ad ſummum bonum expeditiores, ac velociores euadamus. Chriſtiana illa ſapientia eſt, & ſola ſufficit. Hæc in paruulis quoque, ſed in CHRISTO adultis viguit. [h] Pancratius adoleſcens nobilis annorum quatuordecim, Diocletiano carus, magno ſtudio ad idololatriam impellebatur. Diocletianus ipſe blanditias, & minas adhibebat, improuidam ætatem fraudibus obnoxiam ratus. at ille oſtendit Chriſtianos cœleſti ſapientia præditos non cedere prauis conſiliis, non lædi male-

Sapientia cœleſtis.

Sapientia pueri Pancratij.

h *Sur.t.3. & Turon. de glor. Mart.c.30.*

in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum: ſic erat omne conſilium Achitophel, & cum eſſet cum Dauid, & cum eſſet cum Abſolon.

Cæteri regum quorum res memorantur, vſi ſunt conſiliariis ſe multo prudentioribus. Pharaonis erat quaſi pater Joſephus, [b] Daniel Chaldæis, & Perſis regibus multo prudentior fuit. Nehemias quoq; Artaxerxi, Mardochæus Aſſuero aderat, ſalutari & prudentiore quam ipſi cogitare poterant conſilio. Agamemnoni Neſtorem & Vlyſſem poëta adiungit. Stolidus enim rex erat, hi etſi minore potentia, ſapientiores tamen. Dario etiam alteri adoleſcentes Judæi de ſapientia diſputantes aderant. [c] Alexandro Ariſtoteles, Antiſthenes, alij, adeo vt in aula ſua temeritate cæteros ipſe ſuperexet, nunquam magnus, ſæpe ſtolidus. Aderat Scipioni Lælius, Auguſto Agrippa, & Liuia. Tiberio Seianus, Neroni Seneca, Burrhus, Conſtantino complures. Carolo Magno Eginhardus, Alcuinus, Henrico Meinwercus. Nunquam bellum Carolus ſuſcepit, niſi belli cauſam, modumq; Epiſcopis & ſacerdotibus approbantibus. [d] Aulæ Dagoberti regis ſupremus magiſter fuit Arnulphus Epiſcopus Metenſis ſummæ prudentiæ, tantæ auctoritatis, vt illorum temporum felicitas, Rex ipſe, adeoq; regina ab illo penderent, conſilij cauſa noctu quoque ad eum ventitarent. Laborem illius Deus probauit, nam Dagobertum remouere eum à republica cogitantem corripuit, & obtrectatores grauiter puniuit. [e] Beda, [f] Paulus Diaconus, [g] Otho Friſing. [h] Vincentius Noddo aliique, qui inuidia ducti ſancto viro conuitiabantur, atque in ſuſpicionem trahebant, quaſi regij thori ſubſeſſorem, cum vino maderent, flamma circumdati ſunt, vrebantur, eiulabant, tandem in proximo volutabro ſeſe verſantes magno labore flammam exſtinguunt, ipſe Noddo tanta caſtigatione non melior, in adulterio deprehenſus pœnas luit, quas inſonti machinabatur. Arnulphus & in palatio, & eremo, ac demum

b 45.2. *Geneſ.*

Regibus prudentiores conſiliari.

c 3. *Macc.*

Carolus.

d *Regino l.2.*

Arnulphus Metenſis.

e *T.3.*

f *De geſtis Long l.6. c.5.*

g *Otho Friſ. l.5. c.9.*

h *In ſpeculo l.23. c.71.*

Digitized by Google

demum vita functus, miraculis claruit. Quin etiam Theodoberti & Clotarij temporibus regni columen fuit S. Faro, vir iuſtitia, ingenio, ſapientia incredibili, regum inſtructor, & dictator, [i] Meldenſis Epiſcopus annos ſexaginta ſex Eccleſiam gubernauit, regiam conſiliis rexit, illius inter cætera hoc quoque præclarum narratur: Venerant ad Theodebertum Saxonum legati rebellionem excuſaturi, rex ira præcipiti iugulari eos iubebat, conſiliarij valere ius gentium voluerunt, non irritandam noua ſeueritate gentem: Rex contra nitebatur: legatos quoque eſſe ſubditos, illos eodem crimine inquinatos, rebellione eorum ius ſuum non eſſe factum deterius, nec illorum melius: Faro cum diſceptando, quaſi ventilando videret iram regis accendi, ſe quoque regis ſententiæ accedere ſimulauit, vnius tantum noctis ſpacium petiit, & facile impetrauit. Nam regis impetus cum obſiſteretur, vires colligebat, obſtaculis remotis vt ſolent venti, diffluebat: noctu ad legatos Faro in carcerem abit, quo ſint in periculo docet, ad fidem Chriſtianam conuertit, erudit, precibus magis, quam diſputatione victor perfidiæ, altera die regem docet, quid actum ſit, iam Chriſtianos eſſe, rex euentu lætus morte captiuos liberat, & more legatorum honeſte haberi iubet, gentem deinde etiam vicit. S. Gallus floruit [k] ſub regibus Theodorico, & Childeberto tutatus eſt Galliam ſapientia, & conſiliis, quæ quantum profuerint, euentus docuit, illo enim per ſcelus in exilium pulſo regia domus extremis calamitatibus conflictata eſt. Leodegarius Auguſtodunenſis Epiſcopus, maior domus Theodorici, [l] diuina & humana ſapientia omnibus maior, cum omnia ſalutaria ſuaderet, multa perficeret, improborum in ſe odia concitauit, præſertim Ebroini, qui regis & regni arbitrium tenebat, atque omnia turbabat, ſæculi ſui Seianus. Ille cum Auguſtodunum iniquo Epiſcopi ductus odio obſideret, & crudelitatem in omnes

S. Faro in aula ſapientia præſtat.

i *Sur. t. 5. Sigeb. in Chron. Vincētius in ſper. l. 24. c. 17. 18. 19. Trithem. de viris ill. l. 3. c. 74. tabula Meldenſ Eccl.*

Parcitur legatis rebellium.

k *Tur. de hiſt. Frãc. l. 4. c. 5. & 6. De vita ſanct. c. 6. Venãtius l. 4.*

Leodegarius.

l *Sur. t. 5. Vrſinus in hiſt. eius. Ado. Vincentius.*

mnes

mnes exerciturus videretur, Leodegarius ne ſui cauſa ciuibus periculum crearetur, impio principi caput ſuum obtulit, atque in caſtra progreſſus poſt tormenta mortem lætus obiit. Eadem Lambertus, Nicetius, Fredericus, alij præſtiterunt. Thaſſilonius Boij felicitas, patriæque ſalus S. Virgilio Salisburgenſis, à cuius conſilio rex nunquam diſcedebat, aſſcripta fuit. *Lambertus, Niceti, Fredericus, Virgilius.*

§ 2.

Rarum eſt, prudentiſſimos eſſe reges & principes. Singulis tamen de ſede magnitudinis ſuæ æterna ſapientia miſit, quam decreuit, prudentiam. Sæpe minorem, quam ſubiecti habeant. Quod adeo clara demonſtrant exempla, vt nemo negarit. Agit hoc in regno DEVS, non vt regia maieſtas ſugilletur, verum, vt reges ipſi ſe agnoſcant, alienis ſe auxiliis egere intelligant, non poſſe ſolos ſuſtinere molem regni, potentiam aliorum iudicio temperent, ſupercilium ponant, eos quorum prudentia regnant, comiter habeant, libertatem loquendi, non concedant modo, ſed exigant, obſequia quæ in dando conſilio cernuntur, reuereatur. Prudentia enim res ſacra eſt, quam venerabilem DEVS eſſe voluit: quam in Daniele Chaldæi, Perſæ, Medi coluerunt. Nec vereor, ne reges offendam: nam ſi quis ex his ſapientior eſt omnibus Palatiuis, tantumque prudentia, quam maieſtate antecedit, ille minimum ingenio ſuo fidet, alios audiet, iraſci neſciet. Si quis non re ipſa, verum errore ſuo in culmine ſapientiæ ſedere ſe iudicarit, eximium ille ſe arbitrabitur: non enim dixi nunquam, ſed raro fieri, vt reges ſapientiores ſint conſiliariis, ipſe ſe inter raros cenſebit. Hinc proceres magna cura, & formidine conſilium accedent, quaſi de ſuo capite ſententiam dicturi. Nam & de ſalute ſua, & multorum proſperitate in medium conſulunt. *Cur raro reges ſapientiores ſint conſiliarÿs.* *Conſiliariorum officium.*

Aureum

m *l.1. de ſerm. Dom. in monte c 1.* Aureum conſilium eſt Epiſcopi Hipponenſis. [*m*] *Elige tibi conſiliarios bonos, Deum timentes, & veritatem amantes, ſæpe enim adulatores blanda facie decipiunt animas audientium ſe, & perpetuis mortis laqueis interimunt. De talibus dicit Pſalmiſta.* [*n*] *Quoniam non eſt in ore eorum veritas: cor eorum vanum eſt. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant, Iudica illos Deus,* à Spiritu ſancto eſt, vt dare poſſis vtile, & fidele conſilium. Conſilium, vt idem docet Auguſtinus, [*o*] à melioribus petitur. Etſi enim conſulens melior eſt, eo qui conſulitur, illum tamen velut in hac re ſe meliorem interrogat, dari enim ab ipſo ſibi poſſe putat, quo eget, & quidem in nobiliſſimo munerum genere, quo ſapientiæ beneficia conferuntur. Quæ ſi quiſpiam precio, aut aliquo affectu corruperit, diſſipabit DEVS oſſa illius, quod fieri ante annos aliquot multi viderunt, nos legimus.

n *Pſal.* 5. 10.11.

o *Pſalm.* 140.

Regum officium. Sancti conſulendi. Ioan. Eremita.

§ 3.

Regibus quidem tutiſſimum eſt, in conſilium adhibere non modo rerum gnaros, & prudentes, ſed vere prudentes, pios, DEO dilectos: ſuæ enim illi vtilitatis rationem non habent, omnibus affectibus, qui veri cognitionem ſtudiumq; propediunt liberi. Ita feciſſe Theodoſium magnum contra Maximum tyrannum, quē terribilem ſucceſſus fecerat, recenſet Auguſtinus. [*p*] De bello enim conſuluit Joannem in eremo Ægyptia agentem, qui victoriam illi prædixit, & alteram maiorem contra Tyrannum Eugenium: vt etiam teſtatur Romanum Martyrologium. [*q*] *In Ægypti S. Ioannis Eremitæ, magnæ ſanctitatis viri, qui inter cætera virtutū inſignia, etiam prophetico ſpiritu plenus, Theodoſio Imperatori victorias de tyrannis Maximo, & Eugenio prædixit.* Eius conſiliis in arduis rebus vſum ſcribit Paulus Diaconus, Rufinus, [*r*] Theodoret. [*s*] Sozom. [*t*] Euagrius, [*u*] Nicephor. [*x*] Proſper Aquit. [*y*] Palladius. [*z*] Vt igitur regum eſt audire bonos, ita conſilia-

p *l 5. c. 26. de ciuit.*
q 27. *Mart.*
r *l. 2. c. 32. hiſt.*
s *l. 5. c. 24.*
t *l. 7. c. 22.*
u *De vit. patr. c. 1.*
x *l. 11. c. 29.*
y *In Chronico.*
z *in Lauſiacis.*

ſiliariorum ſuadere bona. Nam malum certo certius redundabit in caput auctoris. Senſit hoc Vlpianus ſuaſor perſecutionis in Chriſtianos, ſenſit Mardonius auctor belli Græcanici, qui lapide ictus occubuit. Iudicabant ita Carthaginenſes, qui ducem, etſi belli euentus proſper fuiſſet, ſi tamen malo conſilio vſus eſſet, crucifigebant, [a] Valerius. Moſyni mali conſilij auctorem fame necabant. [b] Stobæus. Difficile eſt dare conſilium; nam pendet ex præteritis, præſentibus, futuris, quorum prima habent notitiam, altera circumſtantias plurimas, & ſingulares tertia coniecturam. [c] Quæ optime examinat Clemens Alexandrinus, optimum, vt Phocyon dicebat eſt in literis: mortuis, ſine ſpe, & metu dant, non blandintur, nec oderunt.

Malum conſilium. *Chartaginenſes.* a *l.1.c 2.* b *S.t.42.* c *p 162.*

§ 4.

Tam publice, quam priuatim in dando conſilio adhibenda eſt cautela.

Periculum in dando conſilio.

Multis exitium attulit ſine culpa datum conſilium. At in aula, qui conſilium petunt, raro circumſtantias, nec ſæpe mentem aperiunt, alienos ſenſus ſcrutantur, & ad ſua commoda interpretantur inſuper habito periculo reſpondentis. De pace cum inimico conciliianda, de obtinenda dignitate poſtquam conſtituerunt, tum demum conſilium petunt, cum explorare alienas voluntates conantur. Conſilium vulgo penſatur euentu, optimum cenſetur, quod propoſitum tenuit, peſſimum, quod male ceſſit. Ideo vero periculoſius, quia plerunque quæritur in aduerſis. Vtrinque peccari ſolat, pallium conſulentis venenum eſt perimentis: ſiue in petendo, ſiue dando ſimulatio adhibeatur. [d] Daniel Nabuchodonoſori in magno metu dat conſilium. [e] Balthaſari eadem nocte morituro monita non obtrudit. Bonum conſilium multas vincit manus, ſed multos habet inimicos. Hoc primo tenendum eſt: Nullum dandum eſſe contra

Conſilium non petitur ſincere. d *c.4.* e *c.5.*

M domi-

Dominum. *Non eſt enim ſapientia, non eſt prudentia, non eſt* f Prou.21. *conſilium contra Dominum.* [f] Deinde cauendum ne ſero detur: nam oſtendere poſt naufragium, quo dirigenda nauis fuerit, exprobratio eſt, non conſilium. Deniq; ſit in lingua ſilentium, in fronte verecundia, in corde conſilium.

CAP. XXVIII.

Ad ſapientiam diſcendam admonitio: de ſtudio Nobilium palatinorum & exercitationibus.

§ I.

PVerilis eſt plurimorum error, vſu noxius, exitu triſtis: palatia non eſſe ſapientiæ gymnaſia, nec ſtudiorum phrontiſteria: aulicos exiſſe de poteſtate magiſtri, ſuos iam factos eſſe, vti iam ſapientia non diſcere: qua opinione inducti iuuenes, qui leuioribus obſequiorum curis occupantur, nullum ad ſeria tempus ſeponunt, multos annos imperiti, ætatem ignaui, ne in ſenecta quidem ad magna idonei, ne canos quidem orant prudentia, talem gerunt iam tremuli atque effœti annis, *qualem prima lanugine mentem.* ex quo conſequi neceſſe eſt, vt cum iuuenilium laborum in aula tempus exierit, deſit ſenectæ ineruditæ ætate digna occupatio, locus, & honos, aliquando & cenſus. Similes ſunt illi ſymphoniacis, quos cum liquidæ vocis ſuauitas, aut articulorum agilitas defecit, nulli operi ſunt habiles, ad ludicra ſolum exerciti, ſimiles equis vetulis, quos robore, velocitate, & nobili ferocia perdita ex palatio ad ruſtica opera ablegant. Omnia in ſenibus deficiunt præter ſapientiam, hæc ſola illis precium facit, ſola venerabiles, quæ ſi abeſt, infra iuuentam ſunt nec queri poſſunt honore ſe deſtitui, cum nõ fuerit ipſis vnquam reuerentia ſui, vt dignam canitie

Neglectus ſtudiorum in aula.

Senectus vera.

Digitized by Google

tie mentem efficerent. Palatinus itaque meus cum illa quæ in præſens agenda veniunt, ſedulo perfecerit, ad illa quæ in futurum vtilia ſunt, ſe parabit. Non quæ & quo cum tempus fallar, cauebit ne tempore fraudetur, ne ab horis tranſeuntibus fallatur: ſtultorum eſt de annorum tarditate querela, quorum velocitate nihil citatius, iactura nihil damnoſius. Sapiens omne tempus occupat, dies redimit, nec annos numerat, ſed fructus. Stolidi ſunt eruditionis contemptores quos graui irriſione confutat Nazianzenus. [a] a Orat. 20.

Quamobrem non idcirco eruditio contemnenda eſt, quod ita quibuſdam videatur: quin potius ſtulti atque imperiti habendi ſunt, qui hoc exiſtimant: qui omnes ſui ſimiles eſſe cupiant, vt priuata eorum inſcitia ſub communi deliteat, nec quisquam ipſorum imperitiam prodat & coarguat.

§ 2.

Danielem & condiſcipulos illius ob oculos ſibi ponant, aulam Chaldæi regis ingrediantur: non potuerũt ſtare in conſpectu regis adoleſcentes indocti: iuſſit, [b] *vt introduceret de filiis Iſraël, & de ſemine regio & tyrannorum, pueros, in quibus nulla eſſet macula, decoros forma, & eruditos omni ſapientia, cautos ſcientia, & doctos diſciplina, & qui poſſent ſtare in palatio regis, vt doceret eos literas & linguã Chaldæorum.* In aula barbara, in aula inimicorum *iniquorum,* [c] *& peſſimorum, præuaricatorumq;, & regis iniuſti & peſſimi vltra omnem terram.* Studium erat tamen qualiſcunq; ſapientiæ, quæ vtcunque

Chaldæi ſcientiæ amatores.

b c. 1. v. 3. & 4.

c c. 3. 32.

Emollit mores, nec ſinet eſſe feros,

nec eas diſciplinas Daniel contẽpſit, nec ſocij: ſciebant enim illa animam ſuam non contaminari, ſed expoliri. DEVS quoq; illis ſapientiam dedit, non daturus, niſi vtilis eſſet habentibus, quemadmodũ & Moſi profuit, erudito in omni ſcientia Ægyptiorum. Quid igitur in palatio diſcendum? Omne illud, cuius ignorãtia obeſſe, cognitio prodeſſe poteſt viro prudẽti, viro nobili. Quicquid inſerere põt nobilitatẽ, aut illuſtres ornare. Diſce omnia, ſi nõ quæ ſunt diſcẽda, at illa quæ potes.

Daniel ſciẽtias amplexus eſt.

Daniel omnia didicit, & puer didicit, & vt poſſet, in-
dc.1.20. genium DEVS excitauit. [d] *& omne verbum ſapientiæ & Intellectus, quod ſciſcitatus eſt ab eis rex, inuenit in eis decuplum, ſuper cunctos ariolos & magos, qui erant in vniuerſo regno eius.* Laudatas diſce & ingenuas diſciplinas, vana & inutilia vitabis, vt ocium ſit fructoſis: impia & vana non modo facere, ſed ne cognoſcere quidem fas eſt: eorum enim doctores, & alumni, impietate & ruina, quam ſcientia, ſunt clariores. Daniel ariolos & magos decuplo ſuperauit, non tamen eorum artes didicit, niſi quantum ad refutandos ſatis erat, non eſt cognoſcenda profunditas Satanæ, ne diſcentibus placeat, & placendo abſorbeat. [e] Veterum exercitationes in magna varietate erant: diſco, curſu, ſaltu, lucta, iaculis, equitatu, nauigatione, natatu, pugna, præliorum imagine, muſica exercebantur. In Chaldæa equeſtris diſciplina florebat, quemadmodum & Aſſyria, ante translatum imperiũ: deinde vero apud Medos & Perſas, qui negocia ſua in equis pertractabant. [f] Briſſonius. [g] Hinc ſacræ literæ equitatus Aſſyrij frequentes meminerunt. ſane Ezechiel principes, & Magiſtratus iuuenes, dicit, *vniuerſos equites, aſcẽſores equorum.* Prouinciæ plano camporum æquore tendebantur, lutoſa erat pinguisq; gleba, incilibus interrupta, pabulo abũdans, equiti apta non pediti. Artium plerasq; didicerunt, quas liberales dicimus, quæ à Chaldæis originẽ habuerũt, poſtea bellis, barbarie, vitiis obſcuratæ ſunt; iura etiam legesq; patrias memoriæ mandabant. Sunt igitur iſta diſcenda, poëſis, eloquentia, philoſophiæ partes, Logice, Matheſis, Ethice, Phyſice, Politice, Polemice, Oeconomice, Jurisprudẽtia vtraq;, Theologia. Hæc omnia diſces ſi tempus eſt & ingenium; ſi fieri nõ poteſt vt omnia, at plurima; ſi pauca, at optima & vtiliſſima. imprimis ſapientiam, qua nulla eſt poſſeſſio precioſior, quam Salomon præpoſuit auro obrizo & lapidi precioſo: *Accipite*, inquit, [h] *diſciplinam meam, & non pecuniam: doctrinam magis, quam aurum eligite. Melior eſt*

Danielis ſcientia.

e *Apocal* 2.

Exercitatio veterũ.

f *Herod.* P.1.

g *De Rep. Perſ.*

Aſſyrij equites.

h *Prou.* 8. & 10. & 11.

Digitized by Google

eſt enim ſapientia cunctis pretioſiſsimis: & omne deſiderabile ei non poteſt comparari; Ne vero diſcendam non putemus eruditionem ſibi iungit ipſa. [i] *Ego ſapientia habito in cõſilio, & eruditis interſum cogitationibus.* Primarium ſuum opus ait eſſe in regnando & conſilia dando regibus. [k *Meum eſt conſilium, & aequitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo. Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt: Per me principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiã, Ego diligentes me diligo: & qui mane vigilant ad me, inuenient me. Mecum ſunt diuitiae, & gloria, opes ſuperbae, & Iuſtitia.. Melior eſt enim fructus meus auro, & lapide pretioſo, & genimina mea argento electo. In viis iuſtitiae ambulo, in medio ſemitarum iudicii, vt ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam.* hortatur regum ſapientiſſimus Danielis progenitor, quo nullum habuit ex poſteris, excepta culpa ſibi ſimiliorem. [l] *Poſside ſapientiam, quia auro melior eſt: & acquire prudentiam, quia pretioſior eſt argento.*

Sapientia diſcenda.
i ibid. v. 12.
k ibid. v. 14. vsq; ad 22.
l Prou. 16. 16.

At quereris non eſſe in domibus regum ducem & magiſtrũ. non deerit, ſi tibi ſit diſcendi ardor, & labor quaerendi. Et ſi nemo ſit viuus, diſce à mortuis, à beſtiis, [m] *Vade ad formicam ô piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam.* Non obſtat ſapientia viribus, animi conſtantiae, ſed eam roborat, lorica & galea praeſtantior. [n] *Melior eſt ſapientia, quam arma bellica: & qui in vno peccauerit, multa bona perdet.* Si te mala premunt, ſi vitiis angeris, ſi licentia diffluis, nullum praeſentius remedium, toto orbe approbatum: [o] *nam per ſapientiam ſanati ſunt quicumq; placuerunt tibi Domine à principio.* Vtinam tibi imperare poſſis vt ſapientibus, ſeueris, pijs, lubens adhaereas, ab ore doctorum pendeas, ab ore eorum, quos DEVS ad te legatos miſit, concionatores, confeſſarios, religioſos, alios viros graues, pios. Conſilium meum non eſt ſed aeternae ſapientiae. [p] *Ne deſpicias narrationem presbyterorum ſapientium, & in prouerbiis eorum conuerſare. ab ipſis enim diſces ſapientiam, & doctrinam intellectus, & ſeruire magnatis ſine querela. Non te praetereat narratio ſeniorum: ipſi enim didicerunt à patribus ſuis: quoniam ab ipſis*

m Prou. 6. 6.
n Eccleſiaſtes 9. 18.
o Sap. 9. 19.
p Eccli. 8. v. 9. & ſeq. vsq; ad 13.

pſis diſces intellectum, & in tempore neceßitatis dare reſponſum. Hos ſi audias, reſponſum dabis aulæ cœleſti & terrenæ. probatum, ſi antequam loquaris diſcas. [p]

q Eccli. 18.19.

¶ 3.

Quid igitur tandem? an ad pulueres ſcholaſticos, labores ſordidos, retrahis nobilitatis ſplendorem? Planè ad ſapientiam voco reges, principes, proceres, palatinos,

Non indecoro puluere ſordidos.

Diſcere proceres debent.

Schola eſt, vbicunq; vigilatur ad fores ſapientiæ. Academia eſt, vbicunq; de virtutibus inquiritur & reſpondetur. Amanti ſapientiæ omne atrium, etiam ſphæriſterium, porticus eſt. Archimedes non in minio, non in cedro, ſed puluere eruditas lineas duxit. Ad proceres iſta pertinere ſapiens nos docet, minatur non diſcentibus, exitium inſipientibus denunciat. [r] *Melior eſt ſapientia quam vires, & vir prudens quam fortis. Audite ergo reges, & intelligite, diſcite iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altißimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius non rectè iudicaſtis nec cuſtodiſtis legē iuſtitiæ, neq; ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam iudiciū durißimum his, qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormēta patientur. Non enim ſubtrahet perſonam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam: quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus. Fortioribus autem fortior inſtat cruciatio. Ad vos ergo reges ſunt hi ſermones mei, vt diſcatis ſapientiam & non excidatis. Qui enim cuſtodierint iuſta iuſtè, iuſtificabuntur: & qui didicerint iſta, inuenient quid reſpondeant. Concupiſcite ergo ſermones meos, diligite illos, & habebitis.* Tantam ſapientiæ curam ſtudiumq; Deus ſapientiæ largitor vobis imperat: & iure optimo: Mundus conditus eſt & gubernatur æterna ſapientia, illius miniſtri

r Sap. 6. v. 1. vſq; ad 13.

Digitized by Google

niſtri maiores, ſunt reges, & minores, ſub regibus principes & aulici, quos etiam ſapientes eſſe oportet, aut manum remouere de tabula, clauum tradere melioribus: nam ſtultitia regum non eſt diuinæ ſapientiæ idonea miniſtra; procerum imperitia calamitas eſt regum. Principibus imperatur à DEO, vt legem DEI cognoſcant, ex ea iudicent. hoc ſibi quisque dictum exiſtimet, qui vel regum conſilia regit, vel Rempubl. in parte adminiſtrat. Legislatorem ipſum audire præſtat. [s] *Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à ſacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum DEVM ſuum, & cuſtodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt.* Non ſine cauſa iſta poſtulat rex veſter Opt. Max. adeoq; ipſa patria: Non arare, non fodere, non ſecare marmora, non paſcere iumenta iubet. Ocium honeſtum, victum, lautitias, ſplendorem, pretia veſtium, locum inter mortales primum indulget. Non ad luxum faſtumque, ſed vt aliorum ſecuri ſapientiæ ſoli operam detis, quia ſola poſſunt rectè imperia gubernari, quam ſi non quæritis, patriam fallitis, DEVM cum fallere non poſſitis, habebitis vltorem; ſi officio functi fueritis, remuneratorem. planè beati; non quia illa quæ impij poſſident, bona tenetis, ſed quia bono vſu per illa acquiſiſtis æterna.

Stulti non ſunt apti miniſtri ſapientiæ.

s Deut. 17. v. 18. & 19.

Cur proceres teneantur dare operam ſapientiæ.

¶ 4.

Danielis etiam ſententiam exquiramus. Duplex ille genus hominum nobis in aduerſis Eccleſiæ temporibus (quæ nunc ſunt triſtiſſima) prædicit: Eſt enim *populus ſciens Dominum*, qui *obtinebit, & faciet*, populus, qui eſt *inuentus in libro vitæ*, qui fuga impiorum, & ſua ſalute cõtentus reſurget ad vitam æternam. [t] Quales erant, qui in ſimplicitate ſancta moriebãtur. [u] *Et non reſponderunt eis, (Antiochi ducibus) nec lapidem miſerunt in*

Duplex genus hominum.

t Dan. c. 12. 2.

u 1. Macc. 2. 36. & 37.

Innocens ſimplicitas. *eos, nec oppilauerunt loca occulta, dicentes: Moriamur omnes in ſimplicitate noſtra: & teſtes erunt ſuper nos cœlum, & terra, quod iniuſtè perditis nos.* At Mathathias iam princeps religionis defenſor, occiſo tyranno, magna voce exclamat. [x] *Omnis, qui zelum habet legis ſtatuens teſtamentum, exeat poſt me.* Illius filij comitesq; maiorem pietati prudentiam iungunt. [y] *Et dixit vir proximo ſuo: Si omnes fecerimus ſicut fratres noſtri fecerunt, & non pugnauerimus aduerſus gentes pro animabus noſtris, & iuſtificationibus noſtris: nunc citius diſperdent nos à terra* Muneris enim regentium eſt, DEI gloriam, ſalutem ſubditorum tueri prudentia, ſine qua vis & robur arena eſt ſine calce, murus ſine cæmento, paries ſine paleis, vrbs ſine mœnibus. De Mathathia filiisque ducibus, bellatoribus, catechiſtis, & doctoribus pietatis, vltoribus perfidiæ, oraculum Danielis eſt. [z] *Et docti in populo docebunt plurimos: & ruent in gladio, & in flamma, & in captiuitate, & in rapina dierum.* & deinde: [a] *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamẽti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Hebræis dicuntur Maſchilim, qui ſunt intelligentes, prudentes, & qui faciunt alios intelligere: illa eſt enim coniugationis vis, quæ Hebræis dicitur Hiphil. [b] & [c] Illi in aliorum animis lucem accendunt, ſiderum imitatores. qualis Daniel ſalubre ſidus in monte Nebuloſo, in medio Babylonis. Horum ſtudia tempore Antiochi DEVS excitauit, noſtro etiam ſæculo falſis doctoribus multos oppoſuit; cum vero *erit tale tempus,* [d] *quale non fuit, ex quo gentes eſſe cœperunt,* in atrociſſima tyrannide Antichriſti, doctiſſimos viros & fortiſſimos extremis Satanæ conatibus opponet; quod Angelus quaſi miratus dicit, [e] *& multiplex erit ſcientia.* neque illa ocioſa & inefficax: ad *iuſtitiam enim erudient multos,* ſeu, vt Hebræus, *iuſtificatores erant multorum,* exemplo præibunt, ſapientia trahent. Fecerunt illud Maccabæi vltimorum temporum figuræ, noſtri in eandem gloriam prouocatores, vt eorum docet hiſtoria. [f] *Et circuiuit Mathathias, & ami-*

Marginal notes: x 1. Macc. 2.27. — y 1. Macc. 2.40. — Prudentia Mathathiæ. — z Dan. c. 11.33. — a c. 12.3. — Docendi homines. — b Hier. Pererius in Danielem. — c Pſalm. 64.10. Ierem. 10. 10. 2 Reg. 18, 14. Dan. 12. 10. — d Dan. 12.1. — e Dan. 12.4. — Scientia ſanctorũ. — f 1. Macc. 2. v. 45. 46 & 47.

Digitized by Google

& amici eius, & deſtruxerunt aras: & circumciderunt pueros incircumciſos quotquot inuenerũt in finibus Iſraël: in fortitudine. Et perſecuti ſunt filios ſuperbiæ, & proſperatũ eſt opus in manibus eorum. Multiplex illa fuit ſcientia in DEI populo, cum de ſua conſolatione ſcribunt Spartiatis fratribus [g] *Nos, cum nullo horum indigeremus, habentes ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris.* g 1 Macc. 12.9.

§ 5.

Antiochi tyrannidem exercuit in Iudaica ſynagoga legis imperitia, quæ antea quoq; exilij Babylonici cauſa fuit, teſtibus Iſaia & Jeremia. Et auorum memoria apud nos quoq; portenta turpiũ errorũ peperit. Jaſon contra Dei legem ſummũ ſacerdotiũ data regi pecunia ambiebat, illud Menelaus de tribu Beniamin *ſuperponens Iaſoni trecenta talenta, in ſe retorſit.* [h] Tam fœda religionis nundinatio, ſacrarij prophanatio regem impium ad templum dæmoni dedicandum incitauit, præſertim cum pecunia ſcelerate promiſſa non ſolueretur. Inſcitia vero ſumma erat, quod Pontificatum de ſtirpe Aaronis in poſtremam tribum transferri poſſe iudicabant. hinc prima illa tempeſtas in eruditos ſæuiit, vti & Daniel prophetauit. [i] *Et de eruditis ruent, vt conflentur, & eligantur, & dealbentur vsq; ad tempus præfinitum: quia adhuc aliud tempus erit.* Hoc nimirum antiquitus egit Satan, vt eruditos de Eccleſia exterminaret, per illos ipſos qui Eccleſiæ præſidere videbantur, eaq; fraude plus quam perſecutorũ gladiis actum eſt. Et neſcio ſane, an etiam hodie plus ab æmulis vlli tolerent, quam illi, quorum eruditio & labor in orthodoxa religione tuenda, hæreſibusq; confutandis plurimum Eccleſiæ prodeſt, quos foris hoſtium furor, domi inſidiæ inuidentium conflãt vt eligantur, & dealbentur. ſed hoc vsq; ad præfinitum tempus: nam cum iudicium ſederit, [k] & regnum dabitur populo ſanctorum, non modo auferetur iniqua potentia, ſed & fraudes malitioſæ. Non ignorabat Julianus Apoſtata eruditione

Imperitia cauſa malorum.

h 2. Macc. 4.24.

i c.11.35.

k c.7.26.

& ſtudio Chriſtianam religionẽ ſeruari & augeri, quapropter Chriſtianos docere & diſcere literas vetuit: quem hoc edixiſſe ſuarum rerum deſperatione Naziãzenus refert, perinde ac ſiquis athletam illum fortem iudicaret, qui prohibet, ne alius fortior in arenam deſcendat, ſi ideo ſe virtutis inuictæ putet, quod hoſtem non ſinat armari. Studium igitur diuinæ legis in principibus, in optimatibus ſummum requiri, quibus non poteſt deeſſe quod agant, cum illis regum maximus dixerit. [l] *quoniam in lege Domini voluntas eorum, & in lege eius meditantur die ac nocte.* cuius diligentiæ præmium propheta eximium adiungit. *Et omnia, quæ faciunt, proſperabuntur:* Erunt enim *tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Ligni natura eſt ſemper creſcere; Chriſtiani hominis, ſemper proficere, vbi ſtare incipit, retro relabitur. Folia, hoc eſt, externa ornamenta, non defluent, aut ſane meliora reponentur. Si populus ignorat, at proceres eruditos eſſe oportet. Jeremias de his magis queritur. [m] *Ego antem dixi: Forſitan pauperes ſunt & ſtulti, ignorantes viam Domini, iudicium Dei ſui. Ibo igitur ad optimates, & loquar eis: ipſi enim cognouerunt viam Domini, iudicium Dei ſui. & ecce magis hi ſimul confregerunt iugum, eruperunt vincula.* Hæc quoq; cauſa eſt, cur gentes pereunt, cum illi quos Deus ſaluti eſſe cæteris iuſſit, auctores ſunt ſcelerum, properantq; vindictam. Recte igitur & diſcant & faciant, antiquius eſt autem diſcere, quam facere doctrina. altera natura eſt, prior corrupta eſt, hęc integra. doctrina facit vt rebus mundi ſine noxa, cum vtilitate fruamur: ferrum, aurum, ager, alia, niſi ſcienter tractentur, vtilia non ſunt. In optimatibus ſi ſoli boni mores vel ſola ſcientia reperitur, ſententia Nazianzeni, luſci cenſentur. [n] altero enim oculo carent, quos geminos eſſe natura iuſſit.

Iulianus literas diſcere Chriſtianos vetuit.

l *Pſal. 1.*

Proceres mali plebe deteriores

m *c. 5. v. 4. & 5.*

n *orat. 20.*

¶ *6.*

Noſſe remp.

Jura quoque legesque & rempublicam noſſe oportet, cum iudices ſint, & conſilia de repub. daturi, Carolus

lus M. iuri dicũdo Comites fere præfecit: *illi* enim, qui genere nobiles & opibus pollent, magis integre caſteque iuſtitiam adminiſtrant, à muneribus incorruptiores. Tibicinem non ferres canendi imperitum, ſaltatorem loripedem rident omnes, & myſtem Juſtitiæ conſtituent reges, qui ex iure ſuum cuiq; tribuat, legis & moris ignarum? aut ad iſta aſpirabit inſcius eius, quod geſturus eſt, officij? Aulici igitur iuniores ad eos ſe applicent, à quibus diſcere poſſunt; libros habeant, legant; doctos æſtiment, non modo honorent: quod Antoninus faciebat ſtatuas præceptoribus aureas ponendo, ſepulchra floribus ornando, hæc enim nec poſſunt & ambitioſa ſunt: ſed imitando, vt virorum doctorum ipſi docti ſint imagines viuis coloribus, ſtudioſo labore, cœleſtis artificis penicillo expreſſæ. Vix hominum in numero eſt, qui totam ætatem nihil proficit. Barbaries illa quondam Gothorum, Arabum, Moſcorũ, Indorumq; aulas obſidet apud quos in precio eſt imperitia, quia auſteris regnantium imperiis magis obnoxia videtur. Chriſtianorum principum illa laus eſt, imperare intelligentibus, adeoque regnare valentibus, & forte quandoq; regnaturis. Nec temporũ anguſtiis præpediuntur, nemo tam eget tempore, vt non hora ſuperſit ad cultum animi, pſecados minutæ guttæ, torrentes, & lacus efficiunt. Nemini ætas obſtat iuueni glorioſum eſt diſcere, ſeni turpe neſcire, turpius certe, quam diſcere. & flagitioſum argumentum eſt, nolle diſcere, quia non didiceris: ſane, quod in iuuentute non diſcitur, ætate matura neſcitur. Senes quidem oportebat potius docere, quam diſcere, hoc tamen honeſtius eſt, quam ignorare: ipſa ignorantia in magnatibus eſt crimen. Vt multa diſcant, plura ignorabunt; & optimus quisq; & grauiſſimus plurima ſe fatetur ignorare; qui ſcire ſe dicit, quod neſcit, temerarius eſt; qui facere aggreditur, quod ignorat, pernicioſus; qui negat ſe ſcire, quod ſcit, ingratus eſt DEO: qui negat ſe poſſe diſcere, impius.

Iuniorum aulicorum officium.

Barbaris grata imperitia.

§ 7.

Digitized by Google

§ 7.

Diſcendū omnibus. Carolo Magno ſingulare eruditionis ſtudium hiſtorici tribuunt, [o] non filios modo & nepotes, ſed filias quoq; erudiri curauit. Gamelberti nobilis adoleſcentis, quem ob mite ingenium ferox pater rus ad vitam paſtoritiam ablegarat, pectori Angelus librum impoſuit, quo ille ad ſtudia ſe inuitari ratus, magiſtro ſe erudiendum tradidit, egregiè patriæ totius bono profecit. [p] Si adoleſcentia eſt neglecta, in eius vicem ſuccedat maior ætas. S. Ignatius iam triginta annos natus, poſt nobilem militiam, inter pueros didicit. Gerardus vir nobiliſſimus,* & ſanctus, ex gente Auſtraſiorum, principum familiaris, legationibus etiam obitis clarus, iam ſenex literas didicit, illudq; ſibi accommodabat: *quam ſpecioſa in veteranis ſapientia!* [q]

o *Crentzius* l. 2. c. 7. de *Saxon.*
Meginhard.
Gamelbertus.
p *Brun.* l. 6. *Bau.*
S. Ignatius.
S. Gerardus.
q *Eccl.* 25. 7.

§ 8.

Iſidorus nobilem iuuentutem ita ſerio ad ſtudia hortatur, [r] vt reum agat damnationis æternæ, qui ingenium neglexerit: talentum enim, quod eſt in natura præſtantiſſimum, in terram defodit, vt ocioſum ſit, ſitu & ſqualore conſumatur. Abditi autem ſub terra talenti culpam ſuſtinet, non modo, qui nihil agit, ſed etiam cuius eſt infructuoſus labor, qui precioſam ſupellectilem, ingenium velox, perſpicax, conſtans, rebus perituris implicat, earum contagione periturum. Nemo de ingenij tenuitate queratur: vaſa anguſta tardius recipiunt, ſed incorruptum liquorem ſeruant fidelius. non omnis fert omnia tellus, ſed nulla nihil. Multi præſtanti memoria valuerunt: Cyrus, Julius Cæſar, Mithridates, Mnenon, Portius Latro, Apollonius Thyanæus, Archippus, Theodectus, Hippia, Metrodorus, Simonides, Cyneas, L. Scipio, Lucullus, Hortenſius, Seneca, Fredericus I. Franciſcus I. Cui tanta vis retinendi audita vel lecta non eſt, mediocritate ſua ad magna perueniet, ſi perſeueret, ſi mens illi ſit,

r l. 3. de *ſummo bono.*
Ingenium ſeriis applicandū.
Ingenij bonitas.

fit, quæ Saluio Julio multorum principum familiari, profitebatur ille: *etſi alterum pedum in ſepulchro haberem, adhuc diſcerem.* Neminem æqualium riſus deterreat: Juliano Cardinali Otho Varanus ſtudiorum aſſiduitatem exprobrabat; *Quid cum mortuis,* inquit, *latitas? exi ad nos, qui viuimus.* cui ille: *Hi fama viuunt. Tu nec nomine, nec re viuis, ſed more pecudis ignaua tempora transmittis.* Miramur Antoninum Caracallam omnia oblitum, [s] pari fato quoque Franciſco Barbaro memoriam excidiſſe. [t] Quidam ſeruorum nomina oblitus eſt. [u] Meſſala Coruinus nomen proprium meminiſſe non poterat. [x] Bambæ regi Gothorum venenum omnem reminiſcentiam excuſſit.

Saluius Iulius.

s *Suidas.*
t *Volat. l. 2.*
u *Plin. l. 7. c. 24.*
x *Plin. ibid.*

Miſerandi illi quidem, caſu enim animi apothecam amiſerunt; at culpandi illi, qui nihil reponunt, qui rudia pondera ſunt terræ, qui domi nihil habent præter inſcitiam, matrem erroris, quorum vita ſomnium eſt. Hoc vnicè ſtudendum, vt diſcantur vtilia, non ſuperuacuis ingenia onerentur: nihil ſaburra opus eſt, cum bonis mercibus ſatis grauantur naues. multa neſciuntur melius, quam vt in illis mens occupetur. Jus vigilantibus ſcriptum eſt, dicebat Scæuola, at ſapientia datur ſtudioſis, vanitas inſidiatur curioſis. Eſt verò hominum genus curioſum ad cognoſcendam vitam alienam, deſidioſum ad emendandam ſuam. [y] Quærunt quod non eſt, quod eſt, non inueniunt. Hoc illis euenit, qui vtilia negligunt curioſa ſectati; qui diſputant quaſi in cœlo habitarent, ſcrutantur quæ occulta Devs eſſe voluit, quorum odioſa eſt ſubtilitas, quia ſola. Soli itaque ſapientiæ ſtudendum eſt, qua Devs inuenitur, quam imprudentes oderunt. [z] *vbi tamen non eſt ſcientia, non eſt bonum.* Prouerb. 19. *Rex inſipiens perdet populum,* [a] aulicus inſipiens regem. Reipublicæ ſalutaris eſt ſapientia magnatum: nam ciuitates inhabitantur per ſenſum potentium, [b] vetat autem ſapiens ſtultos in conſilium adhibere. [c] *Cum fatuis conſilium non habeas: non enim poterunt diligere, niſi eis quæ*

Vtilia diſcenda.

y *Aug. l. 10. de Ciuit.*

Sapientiæ ſtudium.

z *Prou. 8.*
a *Eccli. 10. 3.*
b *Ibid.*
c *Eccl. 8. 20.*

pla-

d Eccl. 21. 17. *placent.* Cauſam reddit Salomon, [*d*] *cor fatui quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit.* Quæramus igitur ſapientiam omnes, at præ omnibus illi, quos DEVS ſuæ ſapientiæ vicarios conſtituit. De illa dictum

e Eccl. 21. 16. eſt à rege ſapientiſſimo. [*e*] *Scientia ſapientis tanquam inundatio abundabit, & conſilium illius ſicut fons vitæ permanet.* Hæc certior eſt quam natura, certior quam omniũ artium humanarum, quamuis vtiles, callidæq́; inuentiones. Optandum omnino foret, vt omnium principum aulæ ad normam, quam Ludouicus primus inſtituit, exornarentur: ad eam multi tamquam omnium ſcientiarum ac ſapientiæ domicilium confluebant; inter quos etiam Radbodus, in aula Caroli Magni diu verſatus, ſolius eruditionis adipiſcendæ cauſa, Imperatori obſequium detulit.

CAP. XXIX.

Aſtutia, & doli aulici ex Daniele, eorumq́; exitus.

§ 1.

Aſtutia & Fraus. CAllida ſapientiæ, & praua imitatrix eſt aſtutia, doli mali ſolers conciliatrix, aulæ probrum, populi pernicies. Nuſquam non illa ſe ingerit, quæ nuſquam eſſe debet: Tecta ſapientiæ velo, & laude promota: In regia tamen ſedes eius, ſolium, currus, arma. Fraus ſoboles aſtutiæ, cum aliud agitur, aliud ſimulatur, aliud in ore, aliud in pectore eſt, aliud in factis, idque ad alium fallendum. quando amicitia, atque iuſtitia oſtentatur, cum odij atque iniquitatis conſcientia. Sapientia bonum ſemper finem, & legitimas ad illam vias rationesque eligit: aſtutia aut finem malum, aut illicitos illius conſectandi modos, aut vtrun-

In aula regnat. que malum vſurpat. Qua cauſa aſtuti ac callidi ſemper

Digitized by Google

per malus eſt animus. & aſtuti olim male cordati intelligebantur: [a] vt refert Auguſtinus. Porro omnium in ore eſt illud ſapientis aulici. [b] *Fraus ſublimi regnat in aula.* In commerciis vrbium, in vicis ſtruere nouit inſidias, nulli deeſt opifici. Omnes artes fraudem admittere affirmat Cardanus, [c] Medicinam ſolam accerſere. Cur in aula ſit regnum calliditatis ac doli, cauſæ tam magnæ ſunt, quam iniquæ. Vberior ibi fallaciæ fructus, exercitatio, technæ operoſæ munera captantium, & certamina vel aſcendere anhelantium, vel ſocios de ſublimi detrahere molientium. Etſi enim aſtutiæ non datur attolli, æmulum tum deieciſſe iuuat. Hanc auaritia, ambitio, liuor exercet, & ipſis viciſſim aſtutia vitiis ancillatur. Huic debere ſe putant faſces, prætoria, menſas, comitatus, ducatus, aliorum quoq; damna, lapſus, dedecora, mortes. Doli igitur in aula aſtu tractantur, artificio cælantur, laborioſe vitantur, vno ſolo præſidio ſapientiæ, quæ monet timere, & cauere fraudes, non facile fidere. *Vix fraudi locus eſt*, inquit barbara venefica, *Timemur.* [d]

a *In gen. l.11.c.2.*
b *Sen. in Hipp.*
c *De ſubtil.*
Vbiq; eſt.
Dolis multa tribuuntur.
d *Sen. in Medea.*

§ 2.

Fatum doloſi eſt, dolos pati, Cretenſis incidere in Æginetam ſolet, aſtus deluditur aſtu. Inde quisq; decipitur, vnde decipere voluit. Indignantur ſe falli, nec perpendunt ſuis ſe exemplis peti. opus ſuum probare debent artifices. In talione tantum iuſtus Phalaris viſus eſt, cum

Ipſe ſuum, dixit, imbuat auctor opus.

Verum de verſutia doliſque, eorumq; progreſſu, & fine Danielem, Magiſtrum aulicum legamus. Aſtutia ſapiētiæ eſt ſimia, qualiacunq; tandem geſtet inſignia, dolus eſt fucus, leui arte, vel iactis nucibus, vel aquæ aſpergine deprehenditur. Quam callida Ariolorum, & Magorum, ſapientumque Babylonis profeſſio? [e] *Dic ſomnium ſeruis tuis, & interpretationem eius indicabimus,*

Aſtuti ſuo vitio plectuntur.
Aſtutia facile putescit.
e *c.2.4. & 7.*

Digitized by Google

f c.2.9. *bimus.* Quibus eadem linea rex occurrit: [f] *Si ergo ſomnium non indicaueritis mihi, vna eſt de vobis ſententia, quod interpretationem quoque fallacem & deceptione plenam compoſueritis, vt loquamini mihi donec tempus pertranſeat.*

Si enim quæ eadem nocte in animo regis acta ſunt, cognoſcere non potuerunt, quomodo illa, quæ futura erant cognoſcerent? Multo ſimplicius ſapientia Danielis. [g] *Myſterium, quod rex interrogat, ſapientes, magi, arioli, & aruſpices nequeunt indicare regi. Sed eſt Deus in cœlo reuelans myſteria, qui indicauit tibi rex Nabuchodonoſor, quæ ventura ſunt in nouiſſimis temporibus.*

h c.2.30. Et deinde, [h] *Mihi quoque non in ſapientia, quæ eſt in me plus quam in cunctis viuentibus, ſacramentum hoc reuelatum eſt: ſed vt interpretatio regi manifeſta fieret, & cogitationes mentis tuæ ſcires.*

Doli finis. Finis porro fraudis omnibus decreta mors, & iam inchoata cædes, quæ non niſi ſimplicitatis interuentu repreſſa eſt. Non eſt illius auxiliator Deus, qui malitioſæ calliditati fidit, cui etſi ad tempus proſpere cedant artes, eunt tamen in interitum. Simplex ſinceritas ſucceſſus habet, quia à Deo eſt. Sapientiſſime dixit magnus heros, Matthathias flagellum impiorum iam moriturus: [i] *Daniel in ſimplicitate ſua liberatus*
i 1. *Macc.* 2.46. *eſt de ore Leonis.* Summa ſimplicitate feneſtris apertis orabat, deridentibus inimicis, & ſtultum eſſe credentibus. Deo aliter viſum: [k] qui conclu-
k 6.14. ſit ora Leonum, ne nocerent illi, qui verſutiſſimæ
l 6.24. fraudis architectos ad beſtias damnauit, [l] non curarunt argutias malæ Leonum, ipſorum, coniugum, liberorum oſſa franguntur, artus, arteſque malæ comminuuntur. Multus eſt, & vehemens in fraudibus redarguendis Daniel, quas præcipue Antiocho tribuit,
m c.8.25. & Antichriſto. [m] *Dirigetur dolus in manu eius.* Sed quis exitus aſtutæ proſperitatis? *Sine manu conteretur.* Contra murum ruentem non valet flabellum, non contra febrim ſophiſmata. contritio fraudes obterit.

An-

Digitized by Google

Antiochum nobilem prædicit fore regem *impudentem facie, intelligentem propoſitiones*, problemata, ænigmata, in omni genere verſatum, non alia cauſa, quam infeliciſſimum illius exitum cogitemus, qui in Maccabæis n *1.Macc. 6.8 & ſeq.* deſcribitur. [*n*]

§ 3.

Omnia Danielis capita aulicarum fraudum ha- *Daniel regum fraudes prædicit.* bent exempla, etiam primum, in quo cætera bona & ex virtute facta narrantur, non tamen tacere Spiritus ſanctus voluit, peculatum Malaſaris. [*o*] *Porro Malaſar* o *c.1.16.* *tollebat cibaria, & vinum potus eorum dabatq; illis legumina.* Callide alienam pietatem ſibi quæſtoſam fecit. At capite vndecimo etſi regum auaritiam, ambitionem, crudelitatem, aliaq; vitia prædicit, principatum tamen fraudibus tribuit.

De Alexandro poſt multos annos venturo ſic vaticinatur Daniel: [*p*] *Surget vero rex fortis, & dominabi-* p *c.11.3.4.* *tur poteſtate multa, & faciet quod placuerit ei. Et cum ſteterit, conteretur regnum eius, & diuidetur in quatuor ventos cæli, ſed non in poſteros eius, neq; ſecundum potentiam illius, qua dominatus eſt.*

Surget rex ille, aſtu & dolo nominatus dux Græciæ *Fraudes aulæ Macedonicæ.* occiſis domi fratribus, ne rebellionis occaſio naſceretur, Darius ſuorum perfidia cecidit, nec iniuria, cum enim de pace cum Alexandro ageret, eodem tempore caput eius pecunia licitabatur, & in parricidium domeſticos incitabat. Surget rex, ſed agitatus dolis & inſidiis ſuorum perpetuis, cum ſteterit conteretur regnum eius, quod Curtius, Plutarchus, [*q*] omnes do- q *In Alex. & de fortuna Alex.* cent, periit crapula, & Babylonio veneno, cum victor ab Indiis omnium gentium gratulatione Babylonem rediſſet: vt autem conſtet nihil in eius aula ſinceri, om- *Alexander fraude cecidit.* nia verſuta, tecta, doloſa fuiſſe, ſummum fuiſſe de morte eius Macedonibus gaudium tradit Curtius. nec mirum proceres velut tyrannum, ebrioſum, inter epulas cruentum, amicorum ſanguine aſſuetum for-

N mida-

Digitized by Google

midabant, ex morte eius regna ſperabant omnes, quæ imperio lacerato nonnulli ſunt conſecuti: Imo & externi in Bactris, aliiſque. Quis fuerit principum ſenſus in Alexandrum, quam ſe mutuo fraudibus deluſerint, hiſtoria explicat, adeo vt inferis aula illa ſimilior, quam hominum cætui fuiſſe videatur. Principes inter imitamenta luctus mutuis odiis ardebant, dolo malo alius alium ſubuertebat, inter triginta ſex primates, nemo fuit, qui non alteri inſidias ſtruxerit, cum autem doli in bella & acies erumperent orbem lacerarunt, omnes mutuis fraudibus, aut vi ceciderunt.

§ 4.

Seleucus in Syria præualet ſuper Ptolomæum. Moderatiſſimus & ſapientiſſimus inter duces Alexandri fuit Ptolemæus Lagi Rex Ægypti, Rex Auſtri, ſed tamen de principibus Alexandri præualebit ſuper eum, nimirum Seleucus, quod Daniel præuidit. [r] *Et confortabitur Rex Auſtri: & de principibus eius præualebit ſuper eum, & dominabitur ditione: multa enim dominatio eius.* Callidè Ptolemæus viuis hæredibus Alexandri, & ducibus eius inter ſe armis doliſque belligerantibus Ægyptum occupauit, & Syriam, clementiæ ſimulatione populos ſibi deuinxit, Syriam tenuit, Judæam afflixit, cum Seleuco Nicanore bella geſſit, atque etiam Antigono, & tandem Syriam tenuit Seleucus, præualuit enim, & multa dominatio eius ad Indum vſque, nemo enim ſociorum Alexandri Seleuco latius regnauit, nemo Ptolemæo opulentior fuit. [s] Hieronymus, Theodoretus, Juſtinus, Pauſanias.

r c. 11. 5.

s In Daniel.

Bella deinde inter horum poſteros continua fuerunt, & fœdera, vt Daniel exponit. [t] *Et poſt finem annorum fœderabuntur: filiaq; regis Auſtri veniet ad regem Aquilonis facere amicitiam, & non obtinebit fortitudinem brachii, nec ſtabit ſemen eius.* Jam ante verba illa expoſui, nunc hoc ſolum ſupereſt monere, in re geſta plures fraudes eſſe quam in Daniele verba. Facta ſunt fœdera pactæ nuptiæ, ſed verſuta fraudulẽtia, vt Laodice cum regiis liberis pellici ditiori cederet, filij regno pelleren-

t v. 6.

Ptolemæi Philadelphi, & Antiochi Dei fraudes.

rentur, quod factum eſt. Nec tamen ſceleris fidem Antiochus ſeruauit, Laodicen ſimulatricem reduxit, illa maritum veneno interemit, Seleucum filium regem conſtituit, qui Berenicem nō vna fraude cum filio occidit. [*u*] Nec melius ceſſit aſtutià infelix Seleuco, & matri Laodicæ. Danielem audiamus. [*x*] *Et ſtabit de germine radicum eius plantatio: & veniet cum exercitu, & ingredietur prouinciam regis Aquilonis: & abutetur eis, & obtinebit. Inſuper & deos eorum, & ſculptilia, vaſa quoq; pretioſa argenti & auri, captiua ducet in Ægyptū: ipſe praualebit aduerſus regem Aquilonis. Et intrabit in regnū rex Auſtri, & reuertetur ad terram ſuam.* Fraudulenti fraude pereunt. Germen radicum eſt Ptolemæus Euergetes rex Ægypti filius Philadelphi, frater occiſæ Berenices, qui cum ad liberandam ſororem ſero veniſſet, mortem eius vltus eſt, periit Laodice mariti doloſa interfectrix, victus eſt Seleucus, nouercæ, & fratris ſanguine oblitus, cæſi fraudis auctores, fugientē tempeſtas afflixit, miſericordia tamen motæ ciuitates quædam naufragiū recepe-rūt, dolo Ptolemæum eludentes, Seleucus impar Ptolemæo à fratre Antiocho, qui Hierax dictus eſt, auxilia petit, fecit id Antiochus & cōductis Galatarum copiis pro fratre ſterit, ſed vt ſibi vinceret, fratri regnum eriperet, meruit Seleucus habere fratrem, qualem ſe ille fratri innocenti præſtiterat; nec miratus eſt fraudē de ſuo exemplo: deinde equo prolapſus periit. Nec diu gauiſus eſt ſcelere Antiochus, à Gallogræcis quorum opera fratrem vicerat, captus, auro libertatē redemit, ab Eumene victus eſt, & regno amiſſo ad regem Cappadocem profugit, inde quoq; fugere coactus inſidiarum metu, conſumptis omnibus in caſſum aſtutiæ artibus Ptolemæi hoſtis miſericordiam implorauit ſeq; illi dedidit, ſed virum ſanguinum, & doloſum ille abominatus in cuſtodiam dedit, ex qua habitu mutato elapſus à latronibus in deſerto trucidatus eſt. De regibus loquor: fuit idem finis aulicorum, qui omnes artibus irretiti perierunt. [*y*]

u *Iuſtinus* l.27. *Hieron.*
x v.7.8.9.

Fratrum doli.

Antiochus dat pœnas fraudis.

y *Iuſtin.* l.3. *Pererius. Hieron.*

Ptolemæus Euergetes fraudum iſtarum vltor, aſtu ſuo vicit, & periit: odio cædis Berenices regnum Seleucidarum dedentibus ſe vrbibus pene totum occupauit, mox dolo inimicorum in Ægypto tumultus miſcentur, reuocatur domum victor, tum ille ſine diſcrimine Aſiam amicam vaſtauit, contumelioſeque tractauit, quare Daniel dicit, *Abutetur iis, & obtinebit.* Laodicem aulamq; eius ſupplicio affecit, reliquit quidem præſides in Aſia, ſed ſpoliata, quadraginta millia talentorum, præter vaſa pretioſa, & deorum ſtatuas auexit in Ægyptum, eamq; ditauit, qua de cauſa dictus eſt Euergetes, benefactor. [z] Polybius & [a] Juſtinus, Hieron. Quæſtuoſæ fraudis pœnas dedit filio ſuo, qui ex facinore quo patrem occidit dictus eſt Philopater, non pietas eſt vbi fraus regnat, non cicurantur beneficiis vulpina pectora. Simul Euergetę coniux, & filius periere. Simul in conſiliarios & amicos paternos ſæuiit Philopater, Aſiaticamq; prædam cum ſanguine extorſit. [b] Polybius. [c] Juſtinus, ex illis Hieronymus. Sic reuerſus in Ægyptum regni ſpoliator pœnas dedit.

Ptolomæo ſe dedũt Aſiatici eos ille ſpoliat.

z l.5.
a l.28.

b l.2.
c l.29.

Ptolemæus Philopater ſceleri debitum regnum male adminiſtrauit, contra illum conſurrexerunt, filij Seleuci, cuius fraudem & pœnam explicaui. Habuit ille filium Seleucum cognomine Ceraunum, & Antiochum magnum, de quibus Daniel prophetat. [d] *Filii autem eius prouocabuntur, & congregabunt multitudinem exercituum plurimorum: & veniet properans, & inundãs, & reuertetur, & concitabitur, & congredietur cum robore eius.*

Ceraunus Antiochus.
d v.11. & ſeqq.

Tam accurate deſcribit, ac ſi rei geſtæ interfuiſſet. Filij autem eius, hoc eſt, Seleuci Callinici, Seleucus Ceraunus, & Antiochus magnus prouocabuntur, & ſe mutuo ad vltionem concitabunt, ſpoliatis arma ſupererant. Antiochus quidem priuatam vitam agebat, ſed fratri aderat labore, & conſilio, dum igitur bellum Ægyptium meditantur ſubito dolo eos aggreditur

At-

Attalus Pergamenus, regno turbato, & nondum firmato Seleuco, ſe potiturum confidens, Seleucus impigre trans Taurũ occurrit Attalo, ſed per inſidias ab Apaturio, & Nicanore occiditur, fraudem illam animoſe Achæus regis cognatus vlciſcitur, cæſis perfidis, mox eodem tamen ſe crimine implicat, diadema ſumit, & imperium, contempto Antiocho nondum magno, arripit. Seleucum alij veneno à purpuratis occiſum volunt, quos Achæus trucidauit. [e] Achæum vicit Antiochus, Molonemq; & alios, ac deinde Syriam quæ Ptolemæi erat dolo accepit, quare etſi duo fratres bellum pararunt, vnus tamen venit, vt ait Daniel & [f] Polybius. Dolo malo Antiochum ex progenitoribus nemo ſuperauit, ingens ſpecimen dedit. cum occupata Syria legatis Ptolemæi inducias conceſſit, pollicitus prouincia ſe diſceſſurum, omniaque facturum, quæ vellet Ægyptius, idq; ea cauſa, vt iuuenem voluptatibus marcidum à belli cura auerteret. [g] Pauſanias. [h] Polyb. Juſtinus, Hieronymus.

Attali calliditas. *Dolo caſus Ceraunus.* *e Pol. l. 4. & 5. Appianus.* *f l. 5.* *Antiochus fallit Ptolomeum.* *g l. 5.* *h l. 5.*

Verum cum deinde de pace non conueniretur, reuerſus eſt Antiochus inundans, & congreſſus cum robore eius. Tunc prouocatus rex Auſtri Ptolemæus Philopater egreditur contra Antiochum, & multitudo Antiochi datur in manus Ptolemæi, hinc cepit multitudinem, & exaltatum eſt cor eius, & deiecit multa millia, Polybius decem millia peditum trecentos equites cecidiſſe ſcribit. Hebræum Ribbooth decem millia ſignificat, alij geminant, & viginti millia eſſe aiunt. Quomodo exaltatum ſit cor eius liber Maccabæorum Apocryphus habet. [i] Primo quidem gratus Deo ſacrificia obtulit, cum autem autem illi in templum negaretur ingreſſus in Judæos ſæuiit, & totam gentem delere decreuerat. Felix igitur doloſus parentum, & fratris parricida, ſed manet eum alia mors, in præſens Antiochi fraus punienda fuit. nec tamen vt omnino Ptolemæus præualeret. *Sed non præualebit*, inquit Daniel. Nam Ptolemæus Antiocho victo, anxioq; pręter ſpem

i 3. Macc. c. 1. & ſeq. *Templum ingredi conatus Ptolomaus.*

inducias conceſſit, quibus ille in perniciem regis vſus maiores copias collegit, beneficio redditus infeſtior, vt ante nominati ſcribunt auctores. Et Daniel cauſam

k *v.13.* reddit cur Ptolemæus non præualuerit, [k] *Conuertetur enim rex Aquilonis* Antiochus, *& præparabit multitudinem multo maiorem quam prius: & in fine temporum annorumq́; veniet properans cum exercitu magno, & opibus nimiis.* Hic ergo conatus Antiochi, ſequitur deinde pœna

l *v.14.* Ptolomæi: [l] *In temporibus illis multi conſurgent aduerſus regem Auſtri: filii quoque præuaricatorum populi tui extollentur, vt impleant viſionem, & corruent.*

Ptolomæi mors. Ille in priſtinas libidines reuolutus Eurydicen vxorem, & ſororem occidit, amoribus Agathocleæ, & fratris illius Agathoclis perditus, qui cum Euanthe matre omnia regni officia vendebant, Agathocles vrbem adminiſtrabat, inimicos, atque amicos fraudibus ſubuertebant, rex ſagina in morbos prolapſus, ſolutis neruis à Cleomene Spartano occiſus eſt. Fœminæ aſtu mortem cælarunt, donec aurum regiæ diriperent, dum autem inita cum perditiſſimis ſocietate opes ſtabilire moliuntur, Agathocles occiditur, mulieres in crucem aguntur, dignum regiarum libidinum præmium. Daniel multos conſurrecturos ait contra regem Auſtri: nam tota Ægypto tumultuatum eſt, & ab exteris prouinciis rebellatum. vt auctores ante citati recenſent.

¶ 5.

Translatio regni doloſi ad ſincerum. Sic hircus caprarum, ſic Leopardus tertia beſtia regnum Græcorum paulatim in vulpem mutatur, & quarta beſtia adoleſcit, Imperium Romanum: nam dum iſta geruntur Romani Carthagineſes ſubiugant, & imperij fines dilatant. Fallax ſapientia hominum, vere ſtultitia. Regnum Græcorum ad Romanos translatum eſt falſa ſapientia, fallacia, aſtu, non Romanorum, qui tum ſincere egerunt, iuſteque, & moderate, ſed Antiochi & Philippi, qui augere regnum conabatur,

Digitized by Google

tur,& artibus ſuis extollere. DEVS aliter vertit, vt conſtet DEI iudicio non præſidio fraudũ dari regna. Mortuus Philopater quadriennem filium reliquit Ptolemæum Epiphanem, occaſionẽ ſuam eſſe ratus Antiochus, regnum Ægypti occupare conſtituit. Juſtinus hunc in modum recenſet. [*m*] *Mortuo Ptolemæo Philopatre rege Ægypti, contemptaq́; paruuli filii eius ætate, qui in ſpem regni relictus, præda etiam domeſticis erat, Antiochus rex Syriæ occupare Ægyptum ſtatuit. Itaq; Phœnicem cæteraſq; Syriæ quidem, ſed iuris Ægypti ciuitates cum inuaſiſſet, legatos ad eum ſenatus mittit, qui denunciarent ei, abſtineret regno pupilli, poſtremis patris precibus fidei ſuæ traditi, quibus ſpretis, interiecto tempore, alia legatio ſuperuenit, quæ omiſſa pupilli perſona, ciuitates iure belli factas populi Romani in integrum reſtitui iubebat, abnuenti bellum denunciatur, quod ille facile ſuſceptum infeliciter geſſit.* Ne vere aliũde obſtacula obiicerentur: in ſocietatem politici facinoris Philippum Macedoniæ regem vocauit, qui multa quoq; loca & Inſulas debellauit, quæ deinde reſtituere coactus eſt. Pacti igitur diuiſionem Ægypti bellum impigre gerere inſtituerunt. Antiochus Phœnicem Syriamque intercipit, Scopam ducem Ptolemæi victum, Sidone cum decem millibus incluſum obſidet, vt Daniel prædixit. [*n*] *Et comportabit aggerem, & capiet vrbes munitiſſimas: & brachia Auſtri non ſuſtinebunt, & conſurgent electi eius ad reſiſtendum, & non erit fortitudo.*

m *l.31. Ægypto inſidiatur Antiochus.*

n *v.15.*

Sidonem enim aliasque vrbes extra Ægyptum, quæ velut brachia ad Aquilonem tendebantur, ſuſtinere non potuiſſe Ptolemæus expertus eſt. Miſſi ad ſoluendam obſidionem Eutopus, & Menecleas duces re infecta abierunt: aggeribus enim vrbem, & caſtra cinxerat Antiochus, vt brachia Ægypti, duo illi duces nocere non potuerint, nec Sidon defendi. Omnia igitur occupat, Judæam quoq; & Samariam. Beneuolus in Judæos fuit, templum honorauit, immunitates ſacerdotibus dedit, Joſepho teſte. Itaque [*o*] *ſtabit veniens in terra inclyta, & conſumetur in manu eius.*

o *v.16.*

Digitized by Google

victoria itaque & bellum in conſpectu terræ inclytæ, ſanctæq; conſummabatur. Verum veteratoria illa nequitia ſaluti fuit Ptolomæo, Antiocho & Philippo exitium attulit. Philippus omnia reddere coactus eſt, vt [p] Juſtinus, Polybius, Appianus, Pauſanias. Antiochus magna regni parte excidit. Miſſus enim à ſenatu eſt Lepidus, qui Ægyptum tutorio nomine adminiſtrauit, & duces Ægyptij regem puerum defenderntt. Nec tamen ſpes improbas peruerſa prudentia decerit: Regnū vniuerſum occupari poſſe credit cæſo puero, itaq; ſceleratiſſima poſt homines natos fraude circumuenire adoleſcentem ſtatuit. Impium ſtratagema Daniel præuidit. [q] *Et ponet faciem ſuam vt veniat ad tenendum vniuerſum regnum eius, & recta faciet cum eo: & filiam feminarum dabit ei, vt euertat illud: & non ſtabit, nec illius erit. Recta.* εὐλυσίαν omnium difficultatum ſolutionem facere cogitabat, imo ſimulabat cogitare. in pace bellum, in nuptiis ſanguinem quærebat. Cleopatram filiam Ptolemæo deſpondit, pro dote Cœleſyriam, Phœnicem, Samariam, dedit, filiam fœminarum vocat, forma, genere, ingenio eximiam. Cur autem dedit? dolo malo, vt regnum auerteret à genero. *Et non ſtabit, nec illius erit.* Nam Cleopatra viri, & æqui iuſtiq; amantior, quam parentis, facinus eſt auerſata, & coniugem monuit, vt inſidias caueret. Doli mali tam nefarij ſocerum cautum faciebat generum, filiamq;. Juſtum Dei iudicium, prouincias multo ſumptu ac cruore partas donat inimico. Nec quicquam præter inimicitias infamiam, & ludibria reportat. Hic finis rerum eſt, quæ flagitioſa ſapientia adminiſtrantur. Quid hic Aſiaticus Vlyſſes? Excluſus ſpe Ægypto potiundi, alio rapitur, vt regnum dilatet. Ad inſulas & Græciam arma vertit, Ætolorum, & Hannibalis hoſtem Romanis, toto orbe quærentis ſuaſu. Hiſce conſiliis Daniel quoq; interfuit. [r] *Et conuertet faciem ſuam ad inſulas, & capiet multas: & ceſſare faciet principem opprobrii ſui, & opprobrium eius conuertetur in eum.*

p l. 31.

Impia frās Antiochi.

q v. 17.

Doloſa fraus.

r v. 18.

Hic

Digitized by Google

Hic quoque fraudibus fauere viſa eſt fortuna. Helleſpontum, Æoliam, Joniam, Phocæam, Eubœam, Delon, Samum, Thraciam ſubigit. Sed mox excutitur, vt [s] Liuius, Juſtinus, Polybius narrant. Victus primum eſt ab Acilio, cæſis, vt Antias ſcripſit, quadraginta millibus, quinque captis, rex turbida ſuga Chalcidem ſe recepit, inde fugit Epheſum metu anhelus. Deinde pugnæ naualis non melior exitus, maius etiam dedecus, quod maritimos populos Mediterranei vincerent. Bis iterum Oceanum claſſibus ſtrauit, & ſuorum ſanguine decolorauit, ad Mionneſum, & Magneſiam. Itaque tot cladibus, & aulæ ſuæ fallacis ſanguine, fraudibus parentauit. Quod ne dubitaret, gener & filia fecerunt. Nam quod triſtius ipſis cladibus fuit, Ptolomæus & Cleopatra legatos Romam miſerunt, ſenatui gratulatum de victoria, hæc contra patrem, ille contra ſocerum obtenta, ipſa curia inhorruit. Quid enim exſpectare aliud ex filiæ legatione fas erat, quam preces! Sed dolus malus facit, vt omnes neceſſitudines in odiorum fomites mutentur. Nec modo gratulati ſunt, verum auxilia contra patrem promiſerunt, quæ ſenatus, ne iuſtum bellum domeſtico ſcelere impiaret, prudens recuſauit: atrocius etiam viſum, quod legati hortabantur, vt victum porro protererent, atq; in Aſiam traiicerent, pietatem rati impium patrem, fratresq; regno exuere.

Punita fraus Antiochi.

s l. 35.

Ptolomæi & Cleopatræ odia contra Antiochum.

Hæc omnia in eius opprobrium conuerſa ſunt. *Ipſe ceſſare fecit principem opprobrii ſui.*

Nimirum princeps opprobrij Antiochi erat L. Scipio, quem victorem legationibus, precibus, Scipioni Africano filium remittendo, multa pollicendo fecit ceſſare, ne totum regnum occuparet, magno faſtu Europam erat ingreſſus, quaſi alter Xerxes, maxima irriſione ex ea fugit, etiam Lyſimachiam vrbem munitiſſimam, omnibusq; rebus inſtructam deſeruit, metu & imprudentia. Romanis Helleſpontum tranſeuntibus non obſtitit: adeo aſtutia non ſapit,

Antiochus in opprobriũ ſuum prudens.

Opprobria Antiochi magni.

Digitized by Google

vbi ſapere oportebat, ea cauſa in magnum contemptum venit. Adeo abiecti animi fuit, vt Africano nunciari iuſſerit, ſi per eum pacem obtineat, omnia in regno eius arbitrio acturum, vno nomine regio excepto. Hæc omnia opprobria, quæ Ægyptio, Romanis, Græcis intulit in ipſum conuerſa ſunt. Fuit in eo inſatiabilis opum, & regni amplificandi cupido, nec quicquam nefas exiſtimauit, quo regnum augeretur: omnibus probrum iugi per fraudem imponere conatus, opprobrium ipſe ſuſtinuit. Princeps opprobrij illius in ipſum opprobrium deuoluit pacis conditionibus, quæ regi probroſæ fuerunt. [t] Europa abſtineat, Aſiaq; omni quæ cis Taurum eſt, decedat. Pro impenſis in bellum factis quindecim talentorum Euboicorum millia pendat, quingenta præſentia, duo millia quingēta, cum ſenatus, populusq; pacem cōprobauerint, mille deinde per duodecim annos. Quadringenta Eumeni, & quod patri illius debebat, redderet. Traderet obſides viginti, quos victor nominaſſet, naues & Elephantos quot imperaſſet, etiam Hannibalem, & Thoantem. Nec tamen in opprobrio illo quies miſero fuit. Interitum itaq; Daniel illi prædicit. [u] *Et conuertet faciem ſuam ad imperium terræ ſuæ, & impinget, & condet, & non inuenietur.*

Pax cum Romanis. *t Liuius l.37.* *u v.19.*

Supererat victo regnum trans Taurum, Syriæ, Babylon, Media, Perſis, Suſiana. Itaq; trepidus Suſa ſe recepit, & Apameam, & de pace legatos miſit. Impegit autem dum fraude templū Jouis Elymæi ſpoliare vellet, cum exercitu cæſus, [x] vt Hieronymus docet [y] Strabo fuiſſe templum Jouis Beli, Juſtinus [z] Jouis Dodonæi, alij Dyndimæi. Sed fere iſta conueniunt, Bel erat Jupiter Aſiaticus, qui ab Elymaide dicebatur Elymæus. Plinius ab hiſce diſſentire videtur; nam ait à ſodalibus, quos in conuiuio temulentus pulſarat, occiſum. Vtrunque fieri potuit: nam à barbaris nocturno tumultu cæſus eſt, ea occaſione aulici vti potuerunt, ad priuatas iniurias per tenebrarum licentiam vindican-

Periit Antiochus. *x In 11. Dan.* *y l.16.* *z l.30.*

Digitized by Google

candas, abiectus autem & obtritus eſt, nō agnitus, neo curæ barbaris fuit cadauerum luſtrare vultus: atq; hic fuit exitus regis potentiſſimi, & fraudulentiſſimi: cuius præpoſtera ſapientia fecit Monarchiam Romanam Græca fortiorem, in Aſiam enim venêre Quirites, & Antiochus illis tributarius fuit. Ægyptus quoq; Lepidum rectorem habuit, cuius rei cauſam Antiochi fraudes dederunt.

¶ 6.

Hoc quoq; ad Antiochi opprobrium pertinet, filios habuiſſe improbos & contemptos, ſucceſſit illi Seleucus, de quo nihil aliud Daniel quam iſta: [a] *Et ſtabit in loco eius viliſſimus, & indignus decore regio: & in paucis diebus conteretur, non in furore, nec in prælio.* Hæc de Seleuco, qui dictus eſt Philopater, & Soter, annos duodecim regnauit. [b] Hieronymus, [c] & Appianus auctores. Veneno interemptum aiunt, alij gladio. Eius ingenium ex Maccabæis intelligitur. [d] Ille enim eſt, qui Heliodorum ad ſpoliandum templum miſit, & flagellatum recepit: ad eum profectus Onias eſt: [e] Goronides. Interemptum autem ab eodem Heliodoro iuſſu Antiochi nobilis auctores tradunt: vt plane appareat fraudem in auctores redire. Et euentum quidem eſſe incertum, malæ voluntatis pœnam certiſſimam.

a *v.20.*
b *In Dan.*
c *In Syriacis.*
d *2. Macc. c. 3.*
e *De Onia.*

Paternæ fraudis magis quam regni hæres fuit huius Seleuci frater Antiochus Epiphanes ſeu nobilis, Antiochi magni filius, quem multis verſibus Daniel deſcribit, typum Antichriſti. [f] *Et ſtabit in loco eius deſpectus, & non tribuetur ei honor regius: & veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia.*

f *v.21.*

Fratri Seleuco ſuccedet deſpectus, nam Romæ obſes fuit, & in vrbana ſeruitute, cultor, & adulator Quiritum, Roma volēte Senatu, alij clam diſceſſiſſe aiunt. Principio non eſt acceptus vt rex, ſed Demetrij nepotis ex Seleuco fratre tutelam geſſit, conniuentibus ad regiæ domus diſcordiam Romanis. Liuiana epitome ab

me ab vrbe dimiſſum ait, & renouata cum eo fœdera. In fraudulentia, ſeu vt Hebræus habet, *in blanditiis* regnum obtinuit, ſimulatione clementiæ.

g *v.22.* [g] Brachia pugnantis, principes ciuitatum, duces Demetrij pueri ab eo expugnabuntur, adiutoribus Eumene, & Attalo, quos ſibi per Romanos cõciliarat: vt Hieronymus. Et dux fœderis Philometor rex Ægypti, qui natus ex Cleopatra Antiochi nobilis ſorore fuit, quæ data erat ad ſanciendum fœdus, ſed reuera ad interimendum regem Ægypti, vt ſupra dictum eſt. Belli & modum

h *v.23.* & victoriam Daniel prædicit. [*h*] *Et poſt amicitias cum eo faciet dolum: & aſcendet & ſuperabit in modico populo.*

Omnia plena dolis, nec finis vllus mali. Euſebius in

i *In Chro.* Chronico hunc in modum rem geſtam narrat. [*i*] Ptolomæo Epiphani ſororio Antiochi nobilis duo filij fuêre. Ptolomæus Philometor, & Ptolomæus Euergetes, abaui nomen referens. Philometor maior natu ab Euergete eiectus eſt cum annos vndecim regnaſſet. & hoc eſt, quod Daniel ait, Dux fœderis expugnabitur. Cauſa belli, quod mortua Cleopatra ſorore Antiochi Eulalius Eunuchus, & Lenæus regiæ pueritiæ rectores Syriam dolo ereptam repeterent; Victus itaq; ab auunculo eſt Philometor, & pax doloſa vtrinque

Fraus Antiochi. facta. Deinde cum dolo iunior Ptolomæus maiorem eieciſſet, & ipſe Alexandriæ regnaret, Antiochus honeſtè ſpecie nepotis reducendi Ægyptum occupat.

k *v.23. 24.* Quod Daniel ſic narrat. [*k*] *Et poſt amicitias cum eo faciet dolum: & aſcendet & ſuperabit in modico populo. Et abundantes & vberes vrbes ingredietur: & faciet quæ non fecerunt patres eius, & patres patrum eius: rapinas, & prædam, & diuitias eorum diſſipabit, & contra firmiſſimas cogitationes*

l *l.44.* *inibit: & hoc vſq; ad tempus.* [*l*] Epitome Liuiana, Hie-

m *l.1.c.1. 17.* ronymus, Juſtinus. & [*m*] liber Maccabæorum, *Et paratum eſt regnum in conſpectu Antiochi, & cœpit regnare in terra Ægypti, vt regnaret ſuper duo regna.* Cognita fraude Ptolomæus maior ad fratrem refugit, & reſiſtunt.

Nam

Nam quamdiu quaſi pro tutela egit, facile vicit, at cum præliari cœpit, vt eſt apud Danielē. [n] *Et abundā-tes & vberes vrbes ingredietur : & faciet quæ non fecerunt patres eius, & patres patrum eius : rapinas, & prædam, & diuitias eorum diſſipabit, & contra firmiſſimas cogitationes inibit : & hoc vſq; ad tempus.* Ægyptij reſtiterunt. Itaq; concitata eſt fortitudo eius, vt Daniel ait. [o] *Et concitabitur fortitudo eius, & cor eius aduerſum regem Auſtri in exercitu magno : & rex Auſtri prouocabitur ad bellū multis auxiliis, & fortibus nimis : & non ſtabunt, quia inibunt aduerſus eum conſilia.* n v.24. o v.25.

At ne ſic quidem proſpere : Ægyptiis conſenſu, & conſilio repugnantibus. Itaque ad dolos ſe conuertunt, pacem ſimulant : Antiochus Ægyptium è medio tollere cogitabat, ſed metu Alexandrinorum non eſt auſus. Ægyptius inſidias ſtruebat auunculo, ſed irrito labore. Tragœdiam Daniel repræſentat. Philometor à ſuis proditur, & Antiochus. [p] *Et comedentes panem cum eo, conterent illum, exercitusq; eius opprimetur : & cadent interfecti plurimi.* *Mutuæ fraudes.* p v.26.

Regum mutuas inſidias & technas ſic explicat: [q] *Duorum quoque regum cor erit vt malefaciant, & ad menſam vnam mendacium loquentur, & non proficient : quia adhuc finis in aliud tempus.* Itaque Ægyptum deſerit, vt Daniel ait : [r] *Et reuertetur in terram ſuam cum opibus multis : & cor eius aduerſum teſtamentum ſanctum, & faciet, & reuertetur in terram ſuam.* q v.27. r v.28.

Eluſa arte, aperte deinde vim parat, & magnas copias, magnam etiam regni partem occupat. [s] *Et ſtatuto tempore reuertetur, & veniet ad Auſtrum : & non erit priori ſimile nouiſſimum.* s v.29.

De hac expeditione liber ſecundus Maccabæorum. [t] *Eodem tempore Antiochus ſecundam profectionem parauit in Ægyptum.* Hanc expeditionem deſcribit [u] Juſtinus, cæterique auctores, cum Popilius Roma miſſus circulo regem circumſcripſiſſet, imperioſo mandato. Sed iam quartæ Monarchiæ indoles & vires ſe exe- t c.5.1. u l.34. *Popilius regem circulo includit.*

runt,

rant, Ptolemæi ſupplices ante curiam Romanam per legatos iacuerunt, Antiochus circulo incluſus parere cogitur, quaſi robori incluſus, aut cōpedibus vinctus. Non fuit illa profectio priori ſimilis, nulla ſpolia re-
x v.30. portabat. [x] Venerunt *enim ſuper eum Trieres & Romani: & percuſſus eſt, & reuerſus eſt, & indignatus eſt contra teſtamentum ſanctuarii, & fecit: reuerſusq́ eſt, & cogitauit aduerſum eos, qui dereliquerunt teſtamentum ſanctuarii.* Percuſſus dicitur tam violento imperio, quo magis quam vlla clade conſternatus eſt. Græcus textus, *Et humiliabitur.* Inopem exercitum reduxit, Ægyptiis inſultantibus, & hoſtem, qua poterant, cædentibus. Atque hactenus fraudes regum, & horribiles exitus. Et concludit Da-
y v 30. niel. [y] *Et impii teſtamentum ſimulabunt fraudulenter: populus autem ſciens Deum ſuum, obtinebit, & faciet.*

Impij illi, & fraudulenti omnes hypocritæ: Antiochus, Eupator, Simon Jaſon, Alcimus, Menelaus, Nicanor, qui libris Maccabæorum deſcribuntur.

De fraude ſacrificulorum, & iudicum, quæ Daniel
z c.14.13. [z] habet, ante dictum.

Quibus ex prophetiis aula regum dolo malo, & fraudibus imbuta deſcribitur. Quæ omnia Propheta Dei ſpiritu, & futuri proſpicientia meditatus, quid in aula fugere, quid proſequi debeant proceres, edocet. Et ſi quidem nobiles ad Alexandri, vel Seleuci, vel Antiochi aulam ituros ad hæc præſcius inſtituiſſet, magnam vitandi infortunij occaſionem dediſſet, & nunc prudentibus eadem doctrina proponitur. Quid eſt enim, quod futurum eſt, & non factum? Eccleſia.
a c.1.9. [a] *Quid eſt, quod fuit? ipſum quod futurum eſt, quid eſt, quod*
10. *factum eſt? ipſum quod faciendum eſt. Nihil ſub ſole nouum, nec valet quiſquam dicere: Ecce hoc recens eſt: iam enim præceſſit in ſæculis, quæ fuerunt ante nos.*

CAP.

Digitized by Google

Cap. XXX.

De falſa ſapientia & dolo malo cauendo in admini-ſtratione & cura publica.

§ I.

QVantum in fallacia malorum ſit ex Daniele demonſtraui, nunc de exterminanda fraude dicendum eſt. Equidem rationem, qua fraudem alienam euitent, omnes ſcire exoptant, falli nemo deſiderat: qui ſuo commodo ſe deceptos gaudent, mallent tamen ſine fallacia bonis, quæ amica fraus attulit, potiri. at vero ita cōponere ius animi candoremq; virtutis, vt neminem fallere velint, pauci norunt, nec diſcere admodum ſatagunt. Rarus eſt, qui non aliquando mentiatur & fallat. quamuis in aula capitale ſit dicere: mentientem mentiri. odere nomen, rem vſurpant; at vnicum præſidium contra fallaces artes eſt, non fallere, vſitatum eſt fallentem falli, maximè ſi calliditatis opinione delectentur. tales decepiſſe, culpæ quidem eſt, ſed apud plebem laudabilis, quæ ſequitur doctrinam moribus non lege firmatam. *Falli nemo vult, multi fallere.*

Fallite fallentes: ex magna parte profanum
Sint genus, in laqueos quos poſuêre cadant.

Hoc igitur à fraudibus deterrere debet. Qui fraudē parat, fraudem expectet: captor capitur. Hac præcipuè ratione vitandæ fraudes: quod Deo decretum eſt, ſucceſſum illis negare. hominem fallere & malæ artis à Deo præmium expoſcere, impudentis eſt. Hominum eſt ea ingenuitas, vt quod dare volunt, dolo tamen nolint à ſe deceptis extorqueri, & quod cōcedere ſtatuerant, ſi fraus acceſſit, reuocant. Si hoc illi faciunt, qui dolis vtūtur, quanto magis increata veritas ingratitudinem improborū deteſtabitur, qui proſperitatē ſuam

non

non DEI beneficiis, ſed ſuis aſtibus acceptam ferunt? Mentiri DEO homines poſſunt, quia mali ſunt, fallere DEVM non poſſunt, quia omniſcius eſt; ſi tamen decipi DEVM poſſe crederent, etiam mentiendo fallere conarentur: Cain ſanè dum parricidium DEVM latere credidit, negando fallere voluit, impia expoſtulatione: [a] *nunquid cuſtos fratris mei ſum ego?* Infeſtus fratri inimicus, non niſi morte iuſti poſiturus inuidiam; grauior in pectore dolus, quo DEVM fallere conatus eſt. Irrita ſunt igitur vota fraudulentiæ. Job *ſpem hypocritæ perituram* pronunciat, & fiduciam eius telis araneæ perſimilem, de viſcerum putredine textam, fragilem, ignem [illegible]oq; eius tabernacula deuoraturum [b] gaudium vero inſtar momenti, ſomnium auolans. [c] Eccleſiaſtes quoque [d] ingredientem duabus viis negat habiturum ſucceſſum.

Deum nemo fallit.

a *Gen.* 4.
b *c.* 13.
c *c.* 10.
d *c.* 3.

§ 2.

Viro igitur doloſo obſiſtit Dominus, nec ſucceſſum permittit, quin grauia ſupplicia decernit. Quo quidem rerum tumultu nihil eſt in Daniele admirabilius: dum enim reges regumque miniſtri laborioſis diſcurſibus fatigantur, turbantur, animos finitimorum diſponunt, Daniel in DEI ſecreto cõſilio ſedens, decipi & falli omnes intelligit. In illos tamen diuinæ iuſtitiæ iacula maximè fulminantur, qui electos DEI ſeruos circumueniunt, ſeque illis fraudulenter adiungunt. Senſit illam ſeueritatem Rex Antiochus Eupater. [e] *Et iurauit illis rex, & principes: & exierunt de munitione. Et intrauit rex montem Sion, & vidit munitionem loci: & rupit citius iuramentum, quod iurauit: & mandauit deſtruere murum in gyro.* Eodem tempore quo iureiurando populum DEI fallebat, regnum periuro ereptum eſt, & paulò poſt vita: [f] Maledictum enim virum doloſum [g] Jeremias profitetur. Accuratâ fraude egit Jezabel, vt Nabothum occideret & vineam poſſideret: Falſo teſtimonio innocentem circumuenit, teſtibus falſis

Pœna fallentiũ.

e 1. *Macc.* 6. v. 61. & 62.
f 1. *Mac-ca.* 7. v. 6. 10. 15.
g *c.* 9.

Digitized by Google

falſis crimen probauit, ſententia iudicum damnauit, & ſaxis obruit, duplicis crimine perduellionis, in Deū & regem; ager occiſi ad fiſcum deuenit: Poſſedit vineā Achabus verū in agro Nabothi paulopoſt lingebant ſanguinē Achabi canes, vindices necis iniuſtæ, & propheticæ virtutis nouo latratu præcones. Carnes etiam Jezabelis in plateis tanquam ſtercus terræ iacuerunt, deuoratæ etiam tandem à canibus. [h] Non diſſimilis pœna in pari ſcelere Lucretij præſidis: prædium virginis Chriſtianæ Beatricis concupierat, virginem de religione accuſat, profitetur illa Chriſtianam ſe eſſe, martyrem in carcere præſes ſuffocari imperat, prædium occupat, in quo dum conuiuia agitat, & per temulentiam martyribus inſultat, licentioris commeſſationis laſciuiam infans interrupit, forti voce exclamans: *Lucreti, occidiſti, & poſſediſti, ideo datus es in manus inimici.* Inſolita voce omnes trepidant, nulla cura dapum, cadunt luxuriæ inſtrumenta de manibus, Lucretium malus dæmon arripit; & tres horas immaniſſime tortum rumpit, animamque in nouos inferorum cruciatus deuoluit. conuiuæ attoniti, & Chriſti potentiam veriti religioni accedunt. Hiſtoriam recenſent ſcriptores Eccleſiaſtici. [i] Expertus & DEI manum Deſiderius, qui ſimulatione pietatis Romam ingreſſus, [k] multos in vincula coniecit & excœcauit, quæ cauſa fuit infelicium euentuum, quibus poſtea attritus eſt. Non defuerunt Chriſtianis temporibus ſimilia & crimina, & ſupplicia. Hilarius imperante Arcadio pecuniam accepit, ne ex lege Cæſaris idola tollerentur Byzantij; qui impiam auaritiam graui malo luit, exemplar omnium qui hodie in aulis principum auro corrupti religionem oppugnant, hæreſibus patrocinantur, quos hodie facilius eſt, noſſe, quam nominare. læſa Dei Maieſtas breui illos non modo grauitate ſupplicij, ſed etiam infamia perfidiæ notatos tradet inimico, & male tectas fraudes aperiet; nunc fruſtra ingenio ſuo, & aſtutiæ fidunt reges principesq; fraudum ignaros ludunt.

h 3. reg. 21.
Beatrix.

i *In actis Anthimi Surius t. 3. Adem t. 3. Ado 29. Iuly*
k *Sigeb. in Chron ad 769.*

§ 3.

Cum igitur hominum curas, ſpes, metus, tumultus, æſtus, & iactationes animo reuoluo, hoc peſſimum in omni rerum genere inuenio, quod ad metam per aſtum & dolos tendentes fruſtrentur & puniantur. Hominum omnium ſui temporis aſtutiſſimum fuiſſe Syſyphum narratur in fabulis; ea de cauſa grauiſſimum laborem illi tribuunt, æternum, & inanem: vt grandem lapidem immenſo ſudore in verticem montis euoluat, quo poſtquam peruentum eſt,

Effugit ille manum, rurſumq́ ad ſumma reuolui
Poſtulat.———

Stat mœſtus Siſyphus, & in fine laborum nouum initium auſpicatur. Symbolum illud fraudem aulicarum ærumnoſam negociationem ſignificat: falſa prudentia aſcendunt, cumq; iam tenent, aut tenuiſſe apicem ſupremum putant, ad infima reuoluuntur, dolos meditantur

———*Et fronte polita*
Vapido ſeruant ſub pectore vulpem.

l prou. 13. Animæ doloſæ errant in peccatis. [*l*] Roſimunda Helwigi iuueni à venatu redeunti venenum propinat ille inter bibendum ſentiens virus, ſtricto gladio cogit illam bibere reliquum, bibit, & ſimul mortua eſt. Hoc habet omnis dolus, cum alteri nocet, auctorem ſuum perimit: maximam partem fraudis, & fœces ipſas fraudulentus haurit. nec ideo bene ſucceſſiſſe putandum eſt, ſi alium præuerterit aut euerterit, hoc ipſum anteuertiſſe per dolum ruinam ſecum trahit. [*m*] Poſtquã Leſcus fato ceſſit rex Sarmatarum, conſtitutum eſt (ea erat temporum ruditas) vt candidati de regno curſu equorum certarẽt. Vanum hoc quidem, & Perſicæ ſtultitiæ ſimile; prudentia enim, iuſtitia, virtute, non iumentorum velocitate Reſpub. gubernatur; ſed meta tamen carceresq; conſtituuntur. Inter candidatos erat & Leſcus priori cognominis, qui viam, qua decurrendum

Dolo ſus capitur dolus.

m Cromerus de rebus Polon.

Leſci fraus.

dum erat, muricibus ſtrauit, quibus equi ſociorum induti ad metam pertingere non poterant, ipſe ad latus innoxio itinere primus ad palmam euaſit, regnumq; adeptus eſt, & mox cognita fraude, concurſu popularium diſcerptus, æternaq; infamia notatus eſt. Semper iſta citius aut tardius eueniunt, nunquam fraus ad finem vsq; fælix. Galeazius dux ex tempore fraudem in auctorem regeſſit; præſtigiator quidam longam ſibi vitam, Galeazio breuem vaticinabatur, & quaſi mortuo viuus tantum non inſultabat: princeps iſta prophetantem ſtrangulari iuſſit, laqueo ſimul fauces; ſimul oraculum eliſit, dolum mentientis exitio, riſu aulicorum detexit. Hoc omnibus accidit: non vident omnes qui negociis interſunt, Daniel etiam præuidit in ſuis regibus. Viſum tamen eſt factum ducis aſperum cenſoribus, mihi æquiſſimum, genus illud hominum ſemper fraudis & imposturæ conuincitur, durat tamen & auditur. Nullum videlicet tam impudens eſt mendacium, vt ſit ſine teſte, vt vere [n] Plinius. Ignarus docendus eſt, fallax priuato cauendus, principi damnandus venit. Prouincias quondam Leonum, tigrium, aut anguium multitudo perdidit, hoc eſt vis & potentia, non paucas vrbes animalcula puſilla, pauida, mures, locuſtæ, ranæ, cuniculi. [o] hoc eſt, fraudes, quæ ſunt venena animorum humi repentium, quorum humile, ſed acre virus eſt.

n *l.8.c.1.2*

o *Plin.l.8. c.29.*

¶ 4.

Turpitudo fraudum.

Quanquam ſupplicia deeſſent fraudulentis, adeſſet etiam fælicitas, res fœda tamen & improba fraus eſt, artificem facit deteſtabilem, fraus furtum eſt, quo veritas aufertur, falſis aſſueſcere eſt infame. Proprium autem dæmonis eſt decipere, atque in re omninm grauiſſima, dum temporaria ac fucata pro veris offert, & perſuadet inſanis. Fugiant igitur fraudulentos.

Valeant qui nigra in candida vertunt.

Leones, tigres, vrſi, raro bona fide manſueſcunt, aſpides nunquam: matris vterum genitalem naſcendo perrumpere feruntur, vt tanta peſtis morte parientis edatur; non quod ille ſit in naturæ molitionibus error, parabola eſt, non hiſtoria, quæ fraudulentiam diſtare à cæteris vitiis longiſſimè, docet. aliæ feræ iam adultæ nocent, angues in ipſo ortu. Leunculorum imbelles ſunt vngulæ, malæ inermes, cum tigrium catulis & pueri ludunt; at viperæ naſcentis tam atrox eſt venenum quam annoſę, regulus mox ab ortu letale ſpirat. omnis dolus, etiam paruus, eſt virulentus, & fallit. Ea cauſa ſerpenti comparatur, omnium animalium aſtutiſſimo, verſatili, & flexuoſo, quod tamen ſuper ventrem proſerpat, terram comedat, & calliditatem ſuam luat. [p] Doloſi indolem ſuam tenaciſſime retinent ſemper ad nocendum intenti. Non audiunt monita, & cum audiunt, ad fallendum componunt. Sirenes ſuauitatem concentuum ad naufragia intendunt. Quidam fœnerator infamis Vincentiæ Eccleſiaſtem ſummo orabat opere, vt quod inſtituiſſet contra vſurariorum crudelitatem dicere, pergeret; cauſam rogatus, cur ſua vineta cæderet, & infamiæ ſuæ quæreret præconem, reſpondit: iam multos concione territos fœnerari deſiiſſe, ſi perſeueraret, alios quoque deſituros, ita ſibi ſoli, aut cum paucis in illo regno mammonæ faciiem fore ad ingentes opes profectum.

p *Gen.* 3.

§ 3.

Dolus facile deprehenditur. Fallacia mala.

Fugiendus etiam ea cauſa dolus, quod diu celari non poſſit, quantumuis enim ſinceritatem imitetur, & virtutis inſignia oſtentet, ſuis tamen ſe argumentis inuitus & inſcius iudicat; colore oculis, ſuperciliorum & capitis nutu, manuum pulſu ſimulationem produnt vt Juſtinus Martyr [q] oſtendit. Difficile eſt, imo fieri non poteſt, vt non ſit accuſator ſui qui doloſe agit: nunquam ita pectus intimum latet, vt non per frontem &

q *De vita Chriſt.*

tem,& vultum, velut animam ſuam exeat,& retruſam veritatem proferat, nec tam colorata ſunt verba, vt nō per ipſa pigmenta virus appareat. Quare ipſi ſibi fidem derogant aſtuti, verbis & fronti nulla fides, adulterinæ ſimiles monetæ, [r] quæ quanto eſt probato auro affinior, tanto aptior ad fallendum; vt cuius omnis fulgor eſt fucus. Hinc etiam fraudulenti mutabiles ſunt, in omnem ſe partem verſant, ex quo verſuti dicuntur: Nulla enim inuentionum ſufficit. quicquid inſincerum eſt, inſtabile eſt. multa nouit vulpes, & tamen poſt multa effugia incidit in caſſes, nihil cōſecuta, niſi vt ærumnoſius pereat. Hinc fraudes ſemper nouis fraudibus integendæ ſunt, dolus dolum trahit, falſitas falſitatem, donec ſeipſam deſtruat, & artificem peſſundet. Aſtuti vbi fallere ſe poſſe putant, ſunt feroces, vt ſacrificuli Beli contemnebant regem & Danielem, confiſi abditis oſtiolis, quos tamen pars rerum viliſſima, cineres prodiderunt; aſt vbi deprehenſi ſunt, ſimul erubeſcunt, ſimul metuunt. Erubeſcunt de vili, indecora, ignobili malitia, quæ ſerpentum non hominum eſt, fraus enim ſimilis eſt hybernis niuibus, quæ eodem candore tecta aurea, ceſpites tuguriorum, lutum & amœna vireta integunt, quos vbi luce ſua & calore ſol liquefecit, apparent vera diſcrimina. fraus virtutū colore vitia imbuit, ideo omnibus vitiis deterior, quod virtutē ſimulet & hiſtrioniam agat. Cætera vitia, vt ſuperbia, inuidia, quo magis augentur, eo magis apparet à virtute diſceſſus; fraus quo maior eſt, eo veritati ſimilior, melior cenſetur hiſtrio qui veros affectus maxime imitatur. Olim nobilis actor, vt mœrorem Electræ voce & vultu exprimeret, oſſa filij ſui ex ſepulchro elata ſecum in theatrum intulit, vt vero dolore tactus falſum accuratius exprimeret. Tanto melior tragœdus, quanto mendacior. quem nunquam ex animo filium luxiſſe credam, cuius oſſibus vſum eſſe video ad vaniſſimæ artis oſtentationem. Pernicioſiſſimi igitur ſunt, qui artibus malis fallunt, pro qualibet re falſa dicunt, cum culpa ſit et-

r *Ariſt. 6. Ethic.*

jam pro ſalute mentiri; qui enim mentitur vt viuat, ante mortem moritur. Illi ſpecie virtutum plurimos ad vitia trahunt: nihil enim in vitiis nocet periculoſius, quam ſimilitudo virtutum.

§ 6.

Non prodeſt reip. aſtutia. Attamen in aula atq; adeo in Republica opus eſt viris dextris, callidis, verſutis. Nequaquam. ad euertendam remp. valida eſt aſtutia, ad conſeruandam ſapientia. Ad res gerendas aſtuti idonei non ſunt: nam opinione dexteritatis, fiducia ſapientiæ tumidi, ad veram prudentiam peruenire non poſſunt, ſed temeritate prolabuntur. Obſeruauit illud in Græcorum liberis vrbibus prudentiſſimus hiſtoricus Thucydides. *s l. 3.* [s] *Rudiores*, ait, *melius ac felicius adminiſtrare rempub. quam nimium doctos aſtutosq́;*: Illi enim maiorum leges & ſcita ſequuntur, quos prudentius & longa experientia ſalubrius conſuluiſſe de Repub. arbitrantur, quam poſſint ipſi. Aſtuti veterum ſimplicitati illudunt, ſapientiam ſuam oſtentant, inſtituta & conſuetudines abrogant ſua obtrudunt, Remp. conuellunt, & poſtquam omnia concuſſa ſunt, ad prima redeundum eſt, nam quicquid ingenio aſtruitur, ſi in Deo, & vera ſapientia fundamentum non habet, fragile eſt, & alio ingenio acriore vel etiam hebetiore deſtruitur. Aſtutia enim, vt vere Græci definiunt, non eſt ſapientia, ſed *ἀμάθεια*, hoc eſt, ex diſcendi neglectu neſcientia, honeſti & boni ignorantia, cui iuncta eſt, eius quod non eſt, oſtentatio: videri enim volunt quod non ſunt, vile malum & turpe quale eſt venenum. *Aſtuti non apti ad diſciplinam.* Sane ſerpentes cum ſint inter beſtias verſutiſſimi, non eſt tamen eorum, vt aliarum natura docilis, ne vulpes quidē vllam diſciplinam capit: malitioſa calliditas non admittit meliorem doctrinam; ſatis eſſe exiſtimant, ſi bonum ſimuletur. Patet malum illud latiſſime, aulas obſidet.

Palatinus magni animi Frederico Cæſari querebatur de mul-

de multorum ſimulatione, & collubitum ſibi eſſe affirmabat vltra Sauromatas fugere & Garamantas, donec eo, vbi non eſſet ſimulator, perueniret; cui apte Imperator reſpondit: non defuturum ne ibi quidem, poſtquam ipſe eo veniſſet: Maxime enim de ſimulatoribus queruntur hypocritæ: non ſentiunt cum ipſi fallunt alios, cum in fraudem ipſi inducuntur, regnum ſibi eripi imaginantur, præ iracundia non ſunt apud ſe; ſunt tamen longiſſime illi à vera virtute, neq; eam, niſi plane mutati, induunt, quemadmodum nulla imago veritatem aſſequitur.

§ 7.

Neq; vero dum aſtutiam fraudeſq; damno, easque *Fatuitas*
vitandas cenſeo, fatuitatem & officij ignorationem *fugienda.*
probo: Memini enim in ſanctis canonibus [t] requiri- t *diſt.* 39.
Eccleſiaſticos etiam ſæcularium negociorum peritos Petrum Eccleſiæ Neapolitanæ electũ Epiſcopum, non promotum, quia ſimplex fuerit. [u] Pelagius Ponti- u *ad de-*
fex conſtitui iubet alios, qui negocia tractarent, quod *rum Na-*
Joannes Epiſcopus eſſet ſimplex: culpabilis eſt ſimpli- *niens.*
citas rerum agendarum neſcia. de qua vere Canon: *nã reuera vbi ſimplicitati tantum ſtudetur, diſciplina negligitur.* Quædam fraus non mala. Hedwigis Henrici Boij filia, *princeps lectiſſima,* [x] *quæ Græce, latineq; inſigniter docta non* x *And.*
ſui tantum, ſed omnis æui miraculum dici poßit. Ea tenella et *Brun. l.* 8.
iamnum ætate, Conſtantino Orientis Imperatori deſponſa Græ- *Ban pag.*
cas peroſa nuptias, neq; vultus ſui formæq; imaginem ad inui- 483.
ſum ſponſum transmitti paſſa, ſedulo oris elegantiam, corrugata fronte, obtortisq; oculis corrumpebat, quoties vultum pictori exſcribendum præbere iuſſa eſt. Hæc non aſtutiæ, ſed ſapientiæ adſcribenda ſunt.

§ 8.

Porro fraudes euitantur vera ſapientia, diuina non humana, hanc enim non ſufficere iam ſupra docui.

Digitized by Google

Sunt tamen & documenta Ciuilia, quorum primum eſt apud Græcos *ἀπιϛεῖν*, *non credere*. Quod tamen non omnibus conuenit, nec ſemper. Sæpè decipiuntur, qui omnibus, aliquando qui nulli credunt. Seruulus apud Comicum vtrumq; Senem fallit vera dicendo, idque agendo, vt ne ſibi mutuo credant. Quare Græcam ſententiam Latini correxerunt, *Fide, ſed cui, Vide*. Mendaci nunquam credes. Florentino cuidam impoſtori familiaris cum occurreret, & ille neſcio quid loqui velle videretur: Mentiris: exclamat alter. Vanitatem illi exprobrans & ſe oſtendens non crediturum.

Mendacibus non creditur.

Alterum documentum, nihil tuarum rerum fraudulento communices. De quo & ſupra dixi.

Fugiendæ fraudis documenta.

Tertium. Ne ipſi tibi mentiare: ſuis quiſque factis & ſermonibus, tanquam amicis fauet, curat opinionem, neglecta veritate. Vt vertiginoſis terra, ita ſeſe amantibus bona propria maiora veris videntur. Tum maximè falluntur, cùm ſe fallunt.

Quartum. Aliorum negotiis ne te miſceas. Si tractare illa neceſſe ſit, ne implices.

Quintum veritatis amans eſto, & amantem oſtende, falce ea falſarum adulationum, obtrectationum, calumniarum ſyluas exciderís. Fecit id aliquando ſobrius Alexander. [g] Nam cum Jouis Ammonis filius ab Imperatore Sacrificulo dictus eſſet, atque ea res licet nulli credita multis exitio fuiſſet, quæſiuit Rex ex Mandane Indo, eſſetne filius Jouis, ille negauit, Alexander vera dicentem præmio donauit.

g Strab. l. 15.

Sextum. Mores & genus Orationis inſpice: vbi recta eſt, bene ſperandum eſt, vbi artificioſa, & geſticulationibus interpolata, ſubleſta fides eſt. Nam corpus nemo ſanum eſſe credit, quod oblitum multis Pharmacis. & malagmatis obuinctum cernit.

Septimum vnicum & certiſſimum, vt Deo æternæ ſapientiæ immobilis adhæreas, cætera contemnas, ibi omnia vera, hic falſa exiſtimes. Illa aduocata clientem

tuto

Digitized by Google

tuto deducet, vera luce perfundet, per plana & aſpera gradientem inoffenſo pede deducet. Quod bona ratione demonſtrat Nazianzenus. [z] *Quin autem ob animæ cum corpore coniunctionem deterior factus eſt, ac luto vſq; adeo hæſit, vt nec in veritatis radios mentis aciem intendere, nec ſupra inferiora hæc aſſurgere queat, idq; cum deſuper originem traxerit, & ad ſupera vocetur hunc cæcitatis ergo miſerum exiſtimo, etiamſi res huiuſce vitæ illi ex animi ſententia fluant: tantoq; etiam miſeriorem, quanto magis à ſecundo ac felici fluxu deluſus fuerit, ſibiq; aliud quodpiam bonum vero bono præſtabilius eſſe perſuaſerit, malum vtiq; malæ opinionis fructum decerpens, nimirũ, vt vel tenebris mulctetur, vel eum tanquam ignem videat, quem vt lucem minimè cognouit.*

z *Orat.* 21.

CAP. XXXI.

Obſequium in aula ſincerum, & obedientia neceſſaria.

§ 1.

SInceritatis eſt non ad oculum, ſed ex animo ſeruire, vt ſint non modo oculi miniſtrorum in manibus Domini ſui, verum & intelligẽtia, & voluntas in mandatis Regum, vt omnis aſtus, vt dolus malus obedientia excludatur. Vni quidem DEO, cuius intellectus veri, voluntas boni norma eſt abſolutiſſima, prompta obedientia debetur: vt de illius imperio nunquam diſceptetur, leges non diſcutiantur. DEO omnis Creatura præter eam, quæ maximè parere debuit, ad amuſſim obedit. Regi & Principi obediendum eſt ſecundum DEVM, non iniuſta imperanti. Si iubeat, quod magnus Imperator vetuit, aut prohibeat, quod ille iuſſit, non parebit Domino minori contra decreta maioris. Contemnat poteſtatem, timendo poteſtatem. Vbiq; libertas eſt etiam in Aula tyranni, ne in legem Creatoris

Deo abſolute, homini conſiderate parendum.

O 5 com-

§ 3.

Inobedientia aulica grande malū.

Frequenter aulicis obedientia ſua expendenda eſt, ſtudioſeq́; colenda: cum quia iureiurando eſt ſancita, tum vero, quia in grauibus Reip. negotiis verſatur: verendum ſane ne vel periurij crimen incurrant, vel non obtemperando multos lædant; dum tardè maligneq́; præcepta exequuntur. Nam qui diſertè, & ex profeſſo parere recuſet, rarus erit. arte eludunt imperia, tarde exequuntur. differunt dum tempus exierit, vt fieri non poſſit, aut damnoſum ſit. Vſitatum quoque eſt, principem & conſiliarios ab inſtituto auertere. Impedimenta per artes iniicere. Deniq; negligenter exequi. Porro grauiſſime tandem peccatur, cum animus principum à Reipublicæ cura ad conuiuia, venationes, ludos, & conuiuia abducitur, atque illecebris detinetur, vt ſoli ipſi dominentur. Cuius improbitatis vtinam vetera tantum exempla legerentur, non hodie etiam magna pars orbis ſeruiret indignis regum regibus: aut ſane ſi & regum eſt ſeruire, Joſephos habeant, & Danieles, quos ſolio duntaxat antecedant: non Amanes, & Rufinos, vt nomen inane ſit in regnante, & onus diadematis, vis imperij in manu illuſorum, & prædonum: quos mundi conuitio tandem in crucem agere cogantur. Summâ contumeliâ regnantium, maiore populorū damno ſpurij illi & ſuppoſititij reges ferrea ſceptra quaſſant: & plerunque egreditur flamma de viliſſimo rhamno, & exurit cædros Libani, dum humili frutici celſitudinem ſuam inclinare coguntur. Qui enim alienâ mente, ſenſu, manu omnia agi ſinunt, ſimiles ſunt ſtatuis, & *neruis alienis nobile lignum videntur*, quod aulici pro arbitrio verſant, qui ne iras quidem & amicitias niſi ſeruorum iuſſu concipiunt: quæ eſt infima ſeruientium conditio. Jactabat olim regis ſui dominator aſper, & arrogans: felicem ſe eſſe, qui quod facere nollet, id regi ſuo mandare poſſet.

Imperia priuati in reges noxia.

Digitized by Google

Cap. XXXII.

Laborioſa in palatio obedientia, & noxium ocium.

¶ I.

QVicunque alienæ prudentiæ obtemperat, ipſo prudente ſapientius agit: nam aliena negocia melius plerunque viri magni, quam ſua gubernant, ſincero ſine affectibus iudicio, obediens igitur, quod in ſapiente eſt perfectiſſimum, libero iudicio vtitur: ſapiens ipſe iudicio quidem bono, quod tamen paſſionum nebulæ minus liquidum eſſe ſinunt. Verum in facili & tenui, vbi nec ingens labor eſt, nec periculum, celeriter dictis parent. cum primum moleſtia ſe prodit, ſimul & querelæ naſcuntur, & fuga ſequitur. Non ita Daniel, ſtat in foribus regis. [*a*] Nec valens modo, ſed æger, & extrema ſenecta. [*b*] Et ego Daniel langui & ægrotaui per dies: cumq; ſurrexiſſem, faciebam opera Regis. ***Obedientia prudentia.*** ***Danielis labor.*** a *c.1.v. vlt.* b *c.8.17.*

Non ætas, non valetudo, non oracula, & colloquia cœleſtia virum ſanctum à laborioſis functionibus auertebant. Solatium ingens viris prudentibus, quorum ſanitas, & vita palatinis laboribus atteritur: Daniel ſtationem ſuam in aulis impiorum ad finem vſque tenuit, vt Dei gloriæ, & ſaluti animarum conſuleret. Plane laborandum eſt omnibus periculoſe aulicis. Laborantibus, inquit [*c*] Auguſtinus, promittit Deus vitam æternam, ocioſis minatur ignem æternum. Labor eſt, vt bene Eurip. pater *εὐκλείας, vera gloria*, & nobilitatis in vtraq; vita, ciuili & ſpiritali. Nemo laudem fruenda voluptate meretur, aut accipit. Sudoribus venditur felicitas, ſed magna paruis. Menander hominibus decretos labores, dum viuunt, affirmat: Xenophon vitæ tranquillæ ducem agnoſcit. nam delicati dum fugiunt ***Laborandum omnibus.*** c *In Ion.*

fugiunt labores generoſos, in moleſtos, atque indecoros incidunt. Nequaquam itaq; ſatis eſt ocium fugiſſe, induſtriam impendere. ocium labore etiam delectabili vitatur, luſu venatu, aucupio. Induſtria in rebus, quæ nec corpus, nec animum fatigant cernitur, in adornanda menſa, ludicris dirigendis. Palatinos ad veros labores, fatigationes, ſudores ærumnoſos voco. adoleſcentes errare moneo, qui in aulá ſine labore delicias, & honores per delectamenta parari credunt. aulicæ negocia vitæ illi ignorant, ne humanam quidem, qua naſcimur, ſortem expendunt. Faciendum, quod ſollicitus imperator inclamabat, *laboremus*. Labor ſit ſtrenuus, ſcopus certa ſtationé fixus. alioqui labores improbiſſimi ſimiles fuerint æſtubus Oceani procelloſis, qui excurrunt, & in ſe viciſſim recurrũt, & colliſi frangunt, franguntur que, donec poſt inutiles agitationes, & ſonantiſſimos fragores in ſpumam deſinant. Talis eſt [*d*] Salomone teſte *labor ſtultorum*, qui *affligit* errantes. Nullum illis præmium, de quo ne cogitarunt quidem, nec debetur ſine ratione, & in incertum viuentibus.

Labor nō delectatio quærenda.

Laboris neceſſitas.

d *Eccleſ.* 10.15.

§ 2.

Porro non ab aula modo, verum & ciuitate etiam elimandum eſt ocium. Sane ſeuera, ſed iuſta lex à DEI ſpiritu per Apoſtolum lata: [*e*] *Si quis non vult operari, nec manducet.* Quare & Job [*f*] Hominem naſci ad laborem docuit. Lata eſt in omnes ſententia, à qua appellare non licet. [*g*] *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Nulla hic generoſitas excuſat, ne ſceptra quidem: Regium Alphonſi dictum: *Naturam non dediſſe geminam regibus manum fruſtra.* Ocioſum eſſe, & de alieno labore viuere inhoneſtum eſt. Quare S. Ægidius Franciſci ſocius panem non niſi de labore manuum comedebat. Vtiliſſima lex Athenis ab omnibus rationem, qua vitam ſuſtentaret, exigebat, Draco eam capitali pœna ſanxerat, vt [*h*] Valerius &

Contra ocium leges.

e 2. *Theſſ.* 3.

f *Iob* 5.

g *Gen.* 2.

h *l.* 2. *c.* 1.

[*i*] Gellius, atque etiam [*k*] Athenæus cum magna laude referũt. Ægyptiorum eadem, quod mirum eſt, in prouincia fertiliſſima ſeueritas, ſed antiquitus, credo ex inſtituto Joſephi, [*l*] Herodotus, [*m*] Diodorus. Si aut malis artibus victum quæreret, aut in profeſſione falleret, mors pœna decernebatur. Corinthi etiam ratio ocij, & negocij conſtare debuit, vt auctor eſt [*n*] Athenæus. Lucani alio modo ad laborem excitabant, ocioſo nihil dabatur, iniquum enim eſt ocioſos frui laboribus induſtriæ alienæ, quare ſi quis mutuum illis dediſſet, eum quaſi ignauiæ patronum precio multabant. [*o*] Beneuole Piſiſtratus, tyrannus alias crudus boues, & ſemina promittebat ocioſis, ſi colere agros vellent. [*p*] Lex etiam Sardoa multas pœnas ocioſis, multa laborantibus commodo præbebat. [*q*] Lex porro atque etiam conſuetudo eadem Argorum. Apud Spartanos quidem laboribus Helotæ opprimebantur, cæteris honeſtum cenſebatur ocium, non tamen ignauum, quia belli exercitationibus occupari ſolebant, aut aliis ſudoribus ad Eurotam. Diſertè enim Lycurgus ignauiam vetuit, per illam enim Rempublicam prodi cenſebat, quam etiam cauſam arbitror, cur Piſiſtratus ſumptu ſuo ſubiectos ad laborem exacueret. Eadem de cauſa idolorum ſtatuæ armatæ Lacedæmone viſebantur, vt ad militiam, & labores eorum cultores excitarentur. Noſter autem Deus ſemper operatur, Redemptor vir dolorum, & laborum fuit, dum homo factus in terris verſaretur. Paulus crebro ad labores vocat, ipſe laboris magnum exemplum. Studioſe itaq; laborandum eſt, vel ob eam cauſam, quod occaſio præceps tranſcurrit, nec exſpectat noſtram ignauiam.

i *l.17.c.7.*
k *l.4.dipn.*
l *In Euterpe.*
m *l.2.*
n *l.5.c.2.*
o *Ælian. l.9.*
p *Ælian. l.4.*
q *Alex ab Alex.l.3. c.3.*

§ 4.

Proceribus igitur, & nobilitati Palatinæ ſtudioſe agendum eſt, vt ſerios ac fructuoſos habeant, quibus exerceantur, labores. Diſcant, dum interualla ſunt obſe-

Digitized by Google

Labor manuum honeſtus. obſequiorum. Non eſt turpe virum nobilem diſcere; ſed nihil ſcire. nec ocium facile admittit, cui ſupereſt, quod vtiliter diſcat, aut quæ didicit, exerceat. Nec pudori ſit manibus laborare. Seruile quidem & abiectum illud ſentit eſſe Ariſtoteles, ſed honeſtum Auguſtinus. *r De opere Monach.* [r] *Neq; enim honeſtas reprehendit, quod reprehendit ſuperbia eorum, qui vocari honeſti amant, eſſe non amant.* Nobiliſſimum ego arbitror Julianum [s] Conchenſem antiſtitem, *s Sur. Martyr. RS.* qui labore manuum victum quærebat, & facultates Eccleſiæ in pauperes erogabat, quantum diuerſus ab illis, qui pauperes Eccleſiæ expilant, vt ipſi in *luxuria enutriant corda ſua.* *Opus manuũ ſanctum.* Ille certe à Deo infinitis miraculis nobilitatus eſt. Vbi ſunt, qui non modo de patrimonio Chriſti ocioſe viuunt, ſed ocioſos quoque alunt? *t Sur. t. 6. Ado 6. Nouemb. Mol. de SS. Belg.* [t] Winoci ſumma fuit nobilitas, ſummus apud principes honor, graui labore inopes ſuſtentabat, molam circumagebat, Deus, cum aliis intentus eſſet, per angelos molere perrexit, vt honoratum oſtenderet laborem ſocietate cœleſtium ſpirituum. *u Mombret. t. 1. Petrus in Catal. l. 9. c. 106. Sur. t. 5.* [u] Criſpinus & Criſpinianus claro genere, & dignitate Chriſtianorum pauperum calceis reficiendis operam impendebant. Memini & Pittacum regem Mitylenæorum exercitij cauſa molere ſolitum. Video Saram cibos coquere, Abrahamum ad armenta decurrere, cui trecenti octodecim vernaculi milites erant, præter eos, quos mobili ſuæ ciuitati præſidio reliquerat. Pædagogus quoque noſter Chriſtus apud Clementem [x] Alexandrinum iuuenes ad Gymnaſium, fœminas ad lanam, ad piſtrinum, & penum mittit, omnes ad labores. *x l. 3. pædag.*

¶ 4.

Non ad illum tamen finem hæc refero, vt nobiles viros ad ligonem, & ſarculum, aut aſciam, & cæmenta relegem. Summum oſtendo verticem, vt vel in latere montis conſiſtant. Iniqua propono, ſi tamen iniqua, vt æqua obtineam. Nimirum vt ne ſint ocioſi. Neque nobi-

nobilitas, neq; opes ocij lenocinia eſſe debent. Hæc virtutibus actuoſis ſunt data inſtrumenta: illa hero-i actibus ſacra eſt, non corporis & ſaginæ marcida cauponatrix. Si diuitias ignauiæ ſeruas eſſe velis, minuet illas Deus, piger egebit. [y] *qui operatur terram ſaturabitur panibus.* Hoc moneo, diuites oportere aut corporis, aut animi aliquo vtili labore occupari, quis ille ſit, res & negocia cuiuſq; edocebunt. Eo quidem modo, vt non ſint ocioſi, cum videntur ocioſi. Laudatur enim ocium negocioſum, vituperatur deſidioſum. ocio non eſt fruendum, ſed vtendum. Bonum plane ocium, ſi in illo maiora agas, quam erant illa, quæ reliquiſti, negocia. De illo Attilius dixit: *Melius eſſe, ocioſum agere, quam nihil agere.* Verbo rem expediam; De omni verbo ocioſo, quod locuti fuerint homines Deo rationem reddent. Peccatum eſt enim omne verbum ocioſum. Hinc alia quoq; conſectaria deduci mus. De omni cogitatione ocioſa, quam cogitauerint homines, rationem redditurↄs, De omni actu ocioſo, quem egerint homines, rationem reddituros. Qui ſunt actus ocioſi? qui nec vlli proſunt, nec vt proſint, aguntur. Quemadmodum igitur, qui verbum vnicum elocutus eſt, quod etſi neminem lædit, non tamen vel ad Dei gloriam, vel propriam cuiusque, vel proximi vtilitatem ſpectat, nec in hos fines pronunciatur, ocioſum verbum dixit; & peccati reus eſt: & ſi totum diem tali colloquio inſumpſit, multa ocioſa dixit: Sic ad eam normam de actibus ocioſis cenſendum eſt. Qui tot die fritillum fatigat, chartis ludit, pilam verberat, ad annulum decurrit, tota die ocioſus eſt, niſi hæc ex præſcripto virtutis agantur. Vt animo fatigato, tanquam arcui relaxatio concedatur, ſanitas, & vires exercitatione ſeruentur. Nam vt Hippocrates docet: Deſidia humectat, & imbecillum reddit, labor ſiccat, & roborat. Et tamen hæc ipſa bona ad vera referenda ſunt. Hos ob fines, recreatio, & oblectamenta permittuntur: in quo quidem genere plurimi diuitum

Au iro- diuites ad lab res obligari

y Prou. 12.

Ocium ex natura peccatum.

P pec-

peccant,& pereunt. Totos dies, menſes,& annos recreationibus indulgent, ſemper laxus iacet arcus, nunquam tenditur, mentis contentionem non remittunt, nunquam enim illa ad ſeria ſtudia, actionesque tenſa fuit. non ideo neruos ingenij relaxant, vt acrius deinde intēdant, ſed vt ſeſe oblectent, viuunt vt edant, non edunt, vt viuant. Ludunt vt ludant, non ludunt vt ſeria agant. Nam aſſiduitate recreationum à curis, & animum angentibus abhorrent: atque inutiles redduntur. Quin contentione rerum inutilium ac laborum ludicrorum non modo acrimoniam ingenij dilutam faciunt, ſed etiam corpus eneruant, vt dixi. Generoſos animos labor ipſe nutrit, fructu exhilarat, etſi fatigat, ocio labor iucundior eſt.

Recreationes peccata.

Pingue ſolum laſſat, ſed iuuat ipſe labor.

Huius igitur generis recreationes peccata ſunt, quia inutiles, & ocioſæ, quibus hoc agitur, vt tædium vitetur, non vt ſibi conſtet vtilitas. Nihil autem deterius eſt faſtidio temporis, quod efficit ocium deſidioſum, tollit ocium negocioſum vano labore. Perinde autem, ſi res precioſiſſima tempus effluat, aut nihil, aut vana agentibus. Non eſt autem tempus à Deo datum, vt moleſtum ſit, ſed precium acquirendæ æternitatis. Quare qui ob ocium ſibi moleſti ſunt, non poſſunt optare multos annos, quos Deus præcidere ſolet aut morborum doloribus exagitare, ne deſit, quod patiantur, qui agere nolunt. Quemadmodum Ptolemæus ingluuie & ocio marcidus, cum podagræ cruciatibus arderet, è conclaui proſpectans in litore ludentes pauperes, ſe vnum ex illis optabat eſſe; ita Deus diuitum ocioſorum vitam frequenter pauperum moleſtiis facit miſerabiliorem. Cum autem nihil agunt, nec eſſe videntur, nec ſibi, nec aliis viuunt.

Omnium recreationum debet conſtare vtilitas.

§ 5.

Porro ocium etiam ea cauſa fugiendum eſt, quod fons eſt vitiorum, occaſionemque præbeat proximam delinquendi, quæ quidem res nobilitati exitio ſemper fuit,

Ocium origo malorum.

Digitized by Google

fuit,& erit,mentem enim diſtrahit, & dum bona nulla agit,ad mala deducitur: vt corpus cum nutriri deſinit, viuere non poteſt, cum ſtomacho negantur ſalubria, trahit noxia.Mentis noſtræ infinita eſt capacitas, continua ſine intermiſſione agitatio. Spirandi reſpirandique vices, arteriarum pulſus, cordiſque motio nunquam interquieſcit, & cum morbo, aut violentia abrumpitur,mors aduenit, actiones autem animi cum ratione,& voluntate perficiantur, ex lege Dei, & virtutum regula gubernandæ ſunt, ſi enim intra hanc orbitam non contineas, per auia & abrupta deſideriorum euagantur, nec deſinunt, donec in profundum malorum venerint. Nulli igitur vel vnius momenti ocium eſſe poteſt,quo non appetitum,& animum regat, ac multo magis ipſa opera. *Variam autem dant ocia mentem.*

Nullum menti eſt ocium.

Cogitationes ſemper cohibendæ.

Ocium reges ſimul & beatas
Perdidit vrbes.

Daniel deſcribit Nabuchodonoſorem regno eiectū terræ affixum, cum beſtiis vixiſſe: Tanti ſupplicij cauſam ingentia ſcelera dederunt, tempus tamen puniendi Deus exſpectauit dum ocioſus eſſet. [z] *Deambulat enim in aula Babylonis.*

Ocium Chaldæi regis.

z c.4.26.

Tempus Reip. debitum in arrogantiſſima potentiæ meditatione,& ſe ipſe perdebat. [a] *Nonne hæc eſt Babylon magna,quam ego ædificaui in domum regni,in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Et quæ materiæ iactantiæ: De congeſtu laterum, de ſanguine ergaſtulariorum gloriatur. Illæ cogitationes ſunt ocioſarū deābulationum quas Ferdinandus vehementer oderat,& conſilium quidem dabat,vt ambulonibus illis,&paraſitis portorium conſtitueret.

a c.4.27.

Pœna ocioſorum.

Meminerint Palatini in caſtris verſari ſe, non in deliciis, negligentiam in hoſtis vicinitate letalem eſſe ſomno ſtratos facile trucidari. Sopitus autē eſt,qui cogitationibus ſuis non inuigilat, qui actibus ſuis non intereſt;omnia illo ſopore corrumpi ſinit.

Cernis vt ignauum corrumpant ocia corpus,
Et vitium capiant, ni moueantur aqua.

Ægrè capitur à dæmone, qui bono exercitio vacat, ocioſus iam vinculis irretitur. Ferrum quod in vſu non eſt, ærugo citius conſumit. Infructuoſam arborem excidi Dominus iubet, pomiferam exciſæ ſubſtituit.

§ 6.

Labori primium datur.

Demum laborandum ſemper eſt, quia eſt merces operi. Merces tanta, quantus eſt, Deus, hoc eſt immenſa. Turpis omnis defatigatio eſt, cum id, quod quæritur, eſt pulcherrimum. Labor omnis, etiam recreatio cum ratione ad Deum relatus fructuoſus eſt. Nullus videri debet labor durus, nullum tempus longum, cum æternitas acquiritur. Curam ne fugias, ne virtutem abdices. Democritus cum laborioſum, & gnauum cerneret, *Bonum*, inquit, *ſenectuti condis obſonium.* ille bonum, nos beatum, ſed opus vtili labore. Cleanthes dum alij pila ludunt, aquam haurit, aut terram fodit, non maiore, ſed vtiliore labore: Felicitati æternæ laborem eſſe conuenientem oportet. Si quis boue venatur, ſtultitiam, non fortunam accuſet, laborem ſuſtinere, quem Deus non deſiderat, abſurdum eſt. fugiendum itaque eſt ocium, vtili labori vacandum. [b] *Multam malitiam docuit ocioſitas:* eſt rubigo ſapientiæ, & virtutum, Hieronymi teſtimonio in Ægypto monaſteria nullum ſine operis labore ſuſcipiunt. Scitum eſt illud Hieronymi, [c] occupatum ab vno dæmone pulſari, ocioſum ab omnibus.

b *Eccli.* 33.29.

c *Epiſt.* 4.

C A P.

Cap. XXXIII.

Induſtriam, Diligentiam & Celeritatem in curia atque Aula plurimum requiri, præcipitantiam fugiendam.

§ 1.

SOlertia omnia artium genera conſtant: ſunt enim artes manuariæ laborum quædam & temporum compendia, in ciuitate vſitata, quibus celeritas & facilitas paratur, ſi tamen diligentia & induſtria accedat. Tarditas Principum plerumq; culpari ſolet, quam tamen ipſi grauiſſimè oderunt. Et merito ſi miniſtrorum negligentia aut nequitia, quæ celeritatis indigent, tardius expediantur. Hinc enim oriuntur dilationes vtilium, vt multi Principes euertantur. Sumptuoſæ lites & immortales litigantur, innocentes in carcere, quos æquum erat emitti, detinentur, bellica conſilia cum iam occaſiones tranſierunt, mittuntur. Danielis ſolertia intelligitur, quod eſſet in porta Regis aſſiduus. [a] æger etiam faceret opera Regis. [b] Præter hominum conſuetudinem, qua fit, vt ſuis quisque in rebus ſit aſſiduus, aliena tarde curentur. De ſolertia Danielis, qua ſacrificorum fraudes detexit, ſupra [c] dictum eſt. De deprehenſa Judicum calumnia, & occiſo dracone etiam expoſui. [d] Celeritatis ipſe refert in Hirco caprarum [e] inſigne exemplum, quale haud facile par in omni Hiſtoria legimus: *Et ego intelligebam: ecce autem hircus caprarum veniebat ab Occidente ſuper faciem totius terræ, & non tangebat terram: porro hircus habebat cornu inſigne inter oculos ſuos. & venit vſque ad arietem illum cornutum, quem videram ſtantem ante portam, & cucurrit ad eum in impetu fortitudinis ſuæ. Cumq; appropinquaſſet prope arietem efferatus eſt in eum, & percuſſit arietem: & comminuit duo cornua eius, & non poterat aries reſiſtere ei:*

Diligentia & celeritas commendata.

a c.1. v ult.
b c.8.27.
c c.14.
d c.13. & 14.
e c 8. v. 3. & ſeq.

Celeritas Alexandri.

Digitized by Google

cumq́; eum miſiſſet in terram conculcauit, & nemo quibat liberare arietem de manu eius. Aries qui Hirci celeritate vincitur eſt Monarchia Orientis, duo eius cornua Medorum regnum & Perſarum. Altius ſuccreuit Perſicum.

f c 8. 3. [f] Hircus eſt regnum Græcorum, quod venit in omnem Aſiam ad Indum vſque. Cornu inſigne Alexander Macedo. Nam quod Angelus dicit Arietē & Hircum caprarum eſſe Reges, de tota Regum ſerie ſeu regno loquitur. Singuli enim reges cornibus figurantur, vt ex verbis conſtat.

g v. 20. 21. [g] *Aries, quem vidiſti habere cornua, Rex Medorum eſt atq́; Perſarum. Porro Hircus caprarum Rex Græcorum eſt, & cornu grande, quod erat inter oculos eius, ipſe eſt Rex primus.* Porro illa verba noſtro inſtituto conueniunt: *& non tangebat terram, & cucurrit in impetu fortitudinis ſuæ.* His enim & Alexandri & aulæ totius, ducumq́; celeritas indicatur, diligētiaq́; & induſtria, quæ magnopere neceſſaria eſt, & viribus fere plus pollet. Forma autem loquēdi iſta etiam profani vtuntur. Camillam Virgilius ita velocem ſcribit, vt per ſegetes currere poſſet,

Nec ſummas calcaret ariſtas.
——per mare
Nec tingeret æquore plantas.

Ita Hircus quaquauerſum ſpatia camporum decurrebat, vt terram non tangeret, vt volare non gradi exercitus videretur. Primo mox Anno gentes rebellantes, & ſeditiones domi compoſuit, citato deinde gradu in Græciam profectus Dux conſtituitur.

h Plutarch. in Alexand. [h] In apparatu belli Perſici nunciatur Athenienſes, Lacedæmonios, Thebanos ad Perſas defeciſſe, vt Juſtinus.

i Lib. 11. [i] Quibus motibus tanta celeritate inſtructo paratoq́ue exercitu occurrit, & Græciam oppreſſit, vt quem venire non ſenſerant, videre vix crederent. Vſque adeo, vt pueritiam eius Athenienſes ſupra virtutem veterum Ducum attollerent. Deinde in campis Adraſtiis, ſeu ad Granicum exercitum Darij celerrimè vicit, Perſarum peditum ſexaginta millia cecidit,

Digitized by Google

cidit, & fugauit, equitum centum viginti millia cecidere, ex Alexandri exercitu nouem pedites, centum viginti equites cecidere. Poſt eam victoriam magna pars Aſiæ ad eum defecit. Æquè expedita fuit pugna Iſſica, & tres aliæ, quas cum præfectis Darij pugnauit, quos non tam armis, quam nominis ſui terrore deuicit. Cum Taurum montem, immane Aſiæ dorſum, tranſcenderet, ſtadia quingenta, hoc eſt quindecim noſtratia milliaria curſu confecit, velocitate nuſquam vſitata. Tyrus eum morata eſt menſes ſeptem, quæ tot annos alium ſuſtinere potuiſſet. Sed moram Ægyptus, Cilicia, Rhodus ſine certamine dedita penſarunt. Dum Alexandriam exſtruit, per Duces varia bella confecit. Ex Samaria vndecimis caſtris venit ad Euphraten. Breui tempore omnia confecit, adeò, vt Darius ipſe diceret, ſeneſcendum fore tantum terrarum vel ſine prælio obeunti. Ad Gaugamela cruentiſſimo prælio pugnatum eſt, ibi enim ad eum *venit & cucurrit*. Curtius feſtinaſſe ait Alexandrum, ne animi ſuorum ob hoſtium multitudinem caderent. [k] Alacritate ſeu tædio expectationis Macedones narrat pugnantium ſonitum edidiſſe, & contineri non potuiſſe, quin curſu quoque ad hoſtem contenderent. Sic comminuta ſunt cornua arietis, ipſe in terram proiectus eſt, conculcatus, Hircus factus magnus. Danieli quoq; teſtimonium ipſe Alexander dedit. Rogatus enim quomodo tam citò Aſiam vicerit? reſpondit: *οὐδὲν ἀναβαλλόμενος*, *nihil differendo* in aliud tempus, præſentia occupando.

k *l.4.*

§ 2.

Præcipitantia fugienda.

Celeritas laudatur: non tamen præcipitantia, quæ eſt temeraria, & ſine conſilio feſtinatio. Nimirum perinde Nabuchodonoſor præcipit, & Ariochus ad cædem ſapientum feſtinat. [l] Nimium præcipitanter tres viri in fornacem iaciuntur, quod iuſſio Regis vrgeret, [m] & celeritatem ſuam luunt miniſtri à flamma exuſti. Hircus quoque caprarum præceps in

l *c.2.12. & ſeq.*

m *c.3.23.*

hoſtem ſe immergebat pericula ſua, non militum eſſe volebat. Præcipitanter in conuiuio amicorum ſæuiebat carnifex. Theodoſius ſententia lata per dies viginti differri executionem iuſſit, quod ſemel præcipitaſſet in cæde Theſſalonicenſium. Ludouicus Palatinus Mariam coniugem temere ſuſpectam occidit, Conſtantinus Criſpum, alij alios. Superest igitur, vt obſequia actioneſque ſint feſtinatæ celereſq;, ſed examinatæ, ſolertiâ & induſtriâ comite. Omnis res properando errorem parit, in cunctando multa ſunt bona, quæ non ſtatim apparent, cito naſcitur cucurbita, ſed tarde cedrus, hæc in ætates durat, illam dies vna conſumit. Itaque & celeritas & tarditas niſi vtramque prudentia dirigat, in crimine ſunt. Magnorum in palatio virorum non eſt infrequens querela, meritis ſuis tarde reddi præmia, nec animo interim penſant, quæ ipſi incuria ſua tenuibus damna intulerunt. Quiſquis diuitum dona Principum tardo pede venire dolet, non meminit quoties oculos pauperum exſpectare fecerit.

§ 3.

Cum igitur ingenia Regum plerumque moræ ſint impatientia, cum multi æmuli ſeſe excitent, vt expeditè obſequantur, vt cum Domini eos incepiſſe putant, ipſi perfecerint imperata, cum in properando facilis ſit lapſus, adhibenda eſt ſolertiſſima diligentia, illique iungenda tarditas, & induſtriæ celeritas, quæ ſæpè plus valet, quam virtus. [n] Celeritas tarditati præſtat. Matura ſatio aliquando ſpem fallit agricolæ, ſera ſemper mala eſt. Iuſtè non poteſt reprehendi diligentia, vt Sophocles ait. Nec fallet ſi adeſt exercitium & aſſiduitas. Mali autem principium eſt negligentia boni, ſicut diſceſſus lucis eſt principium tenebrarum, vt Nazianzenus. [o] Negligentia nouerca eſt eruditionis, mater confuſionis, officij excuſationem prætendit, non habet. Nihil eſt, quod à diligentibus caueri & perfici

n Gellius l. 19.

o Orat. 9.

Digitized by Google

perfici non poſſit, nihil quod non euenire ſocordibus. Apud ignauos nulla ſunt inſignia virtutis. Piger replebitur egeſtate. [p] Porro quantum timeri debeat in Aula etiam probatorum Principum negligentia, id hiſtoria Ludouici ob oculos ponit, quam in hæc verba recenſet noſter Brunnerus. [q] Sanctioribus deinde ſolennis ieiunij feriis cum à curis publicis digreſſus tempus omne ſtudiis pietatis impenderet, ſub nocturnam quietem, Manes Ludouici patris ſibi adſtantes vidit ſpecie ſqualida & lachrymabili eiulatu, quem in hæc verba, quæ inuertere religio mihi ſit, coactum veteres annales illo ipſo æuo ſumma fide conſcripti referunt: Adiuro te per dominum noſtrum JESVM CHRISTVM & per trinam maieſtatem, vt me eripias ab his tormentis, in quibus detineor, vt tandem aliquando vitam poſſim habere æternam. Vox ſine dubio omni tragœdia triſtior, tantoque dignior ſtupore, quod illius Imperatoris fuit, cui virtutes & fama publica nomen Pij indiderunt. Hunc ergo tam Pium, poſt triginta quatuor annos (totidem enim ab illius morte numerauimus) ſerum ſibi auxilium flagitaſſe ex flamma, ingens apud bonos omnes, qui de Deo diuiniſque recte ſentiunt, momentum habeat, neceſſe eſt, neque enim Auentinum illiuſque ſimiles moramur, qui eſſe aliquos Manes & ſubterranea regna niſi experti non credunt, & hæc talia fabulis accenſa neque pluris, quam Plauti Moſtellarias, habita ſcriptione indigna & fide putant. Sanior ſanctiorque Ludouico mens; patris proinde quiritatione alte in animum demiſſa, ad placandum illi Numen totum regnum excitauit, dimiſſis quaquauerſum epiſtolis, vt ſupplicationes per omnia monaſteria decernerentur. Ipſe per ſanctiores Chriſti rediuiui ferias in Fuldenſi cænobio precum cauſa ſe abdidit, ad quas patris flammis accendebatur; cum ea cura ſubiret, diuinum tribunal non humilium tantum reorum, ſed etiam Cæſarum ſcopulum eſſe; quinimo hos deteriore

p Prou. 28.19.

q l. 6.

Ludouici Cæſaris negligentia.

hoſtem ſe immergebat pericula ſua, non militum eſſe volebat. Præcipitanter in conuiuio amicorum ſæuiebat carnifex. Theodoſius ſententia lata per dies viginti differri executionem iuſſit, quod ſemel præcipitaſſet in cæde Theſſalonicenſium. Ludouicus Palatinus Mariam coniugem temere ſuſpectam occidit, Conſtantinus Criſpum, alij alios. Supereſt igitur, vt obſequia actionesque ſint feſtinatæ celeresq; ſed examinatæ, ſolertiâ & induſtriâ comite. Omnis res properando errorem parit, in cunctando multa ſunt bona, quæ non ſtatim apparent, cito naſcitur cucurbita, ſed tarde cedrus, hæc in ætates durat, illam dies vna conſumit. Itaque & celeritas & tarditas niſi vtramque prudentia dirigat, in crimine ſunt. Magnorum in palatio virorum non eſt infrequens querela, meritis ſuis tarde reddi præmia, nec animo interim penſant, quæ ipſi incuria ſua tenuibus damna intulerunt. Quisquis diuitum dona Principum tardo pede venire dolet, non meminit quoties oculos pauperum exſpectare fecerit.

§ 3.

Cum igitur ingenia Regum plerumque moræ ſint impatientia, cum multi æmuli ſeſe excitent, vt expeditè obſequantur, vt cum Domini eos incepiſſe putant, ipſi perfecerint imperata, cum in properando facilis ſit lapſus, adhibenda eſt ſolertiſſima diligentia, illique iungenda tarditas, & induſtriæ celeritas, quæ ſæpè plus valet, quam virtus. [n] Celeritas tarditati præſtat. Matura ſatio aliquando ſpem fallit agricolæ, ſera ſemper mala eſt. Iuſtè non poteſt reprehendi diligentia, vt Sophocles ait. Nec fallet ſi adeſt exercitium & aſſiduitas. Mali autem principium eſt negligentia boni, ſicut diſceſſus lucis eſt principium tenebrarum, vt Nazianzenus. [o] Negligentia nouerca eſt eruditionis, mater confuſionis, officij excuſationem prætendit, non habet. Nihil eſt, quod à diligentibus caueri & perfici

n Gellius l. 19.

o Orat. 9.

Digitized by Google

perfici non poſſit, nihil quod non euenire ſocordibus. Apud ignauos nulla ſunt inſignia virtutis. Piger replebitur egeſtate. [p] Porro quantum timeri debeat in Aula etiam probatorum Principum negligentia, id hiſtoria Ludouici ob oculos ponit, quam in hæc verba recenſet noſter Brunnerus. [q] Sanctioribus deinde ſolennis ieiunij feriis cum à curis publicis digreſſus tempus omne ſtudiis pietatis impenderet, ſub nocturnam quietem, Manes Ludouici patris ſibi adſtantes vidit ſpecie ſqualida & lachrymabili eiulatu, quem in hæc verba, quæ inuertere religio mihi ſit, coactum veteres annales illo ipſo æuo ſumma fide conſcripti referunt: Adiuro te per dominum noſtrum JESVM CHRISTVM & per trinam maieſtatem, vt me eripias ab his tormentis, in quibus detineor, vt tandem aliquando vitam poſſim habere æternam. Vox ſine dubio omni tragœdia triſtior, tantoque dignior ſtupore, quod illius Imperatoris fuit, cui virtutes & fama publica nomen Pij indiderunt. Hunc ergo tam Pium, poſt triginta quatuor annos (totidem enim ab illius morte numerauimus) ſerum ſibi auxilium flagitaſſe ex flamma, ingens apud bonos omnes, qui de Deo diuiniſque recte ſentiunt, momentum habeat, neceſſe eſt, neque enim Auentinum illiuſque ſimiles moramur, qui eſſe aliquos Manes & ſubterranea regna niſi experti non credunt, & hæc talia fabulis accenſa neque pluris, quam Plauti Moſtellarias, habita ſcriptione indigna & fide putant. Sanior ſanctiorque Ludouico mens; patris proinde quiritatione alte in animum demiſſa, ad placandum illi Numen totum regnum excitauit, dimiſſis quaquauerſum epiſtolis, vt ſupplicationes per omnia monaſteria decernerentur. Ipſe per ſanctiores Chriſti rediuiui ferias in Fuldenſi cænobio precum cauſa ſe abdidit, ad quas patris flammis accendebatur; cum ea cura ſubiret, diuinum tribunal non humilium tantum reorum, ſed etiam Cæſarum ſcopulum eſſe; quinimo hos deteriore

p *Prou.* 28.19.

q *l. 6.*

Ludouici Cæſaris negligentia.

præ illis cauſa niti, cum non ſua tantum, ſed ſubiecti ſibi orbis facta cogantur defendere; quem ſi vel exemplo, vel indulgentia corruperunt, plectentur ſane Reges, quidquid Achiui delirant, vt nihil neceſſe ſit, cuiquam inuidere purpuram, quæ non modo à dicenda apud DEVM cauſa neminem eximit, ſed rigidiſſimi iudicij metum duplicat, cum iam olim inter oracula noſtra receptum ſit, Exiguis miſericordiam concedi, Potentes potenter tormenta paſſuros. Nam in Ludouico priuatim nihil reprehendas; vt ſi imperantibus ſatis ſit, viros Bonos eſſe, prouocare hic omnes principes poſſis; ſed dormiebat ſubinde regius ille vigor, & lenitudine in lentitudinem migrante, ſcelera, quia non vindicabantur, velut acceptatâ licentiâ & approbatione, aurâ pernicioſæ clementiæ nutriebantur creſcebantque peſſimo publico: & vero cum monitores non deeſſent, mortalibusque ſilentibus, conſiliariorum officium cœlum occuparet, monitaque grauiſſima à cœleſti genio dictata, duodecim capitibus comprehenſa, Einhardus Abbas Cæſari in manus dediſſet, ille, ſiue grauitatem rei non aſſecutus, ſiue ingenij facilitate remiſſioneque magnitudini cœleſtis conſilij impar prius viuendi finem fecit, quam imperato operi manum admoueret. Atque hinc illo æuo creditum eſt, has neglecti per eam occaſionem officij pœnas exſoluiſſe; quas orbi innoteſcere, tanti Præconis ore, principum maxime interfuit, quorum pauci cum Pium virtute æquent, præſidentes eſſe oportet, ſi Ludouicum triginta quatuor annis arſiſſe ſine animorum motu audiant, negentque exemplum illud ad ſe pertinere.

CAP.

Cap. XXXIV.

De palatinorum familia, ſenatorumq; ac nobilium.

§ I.

LEgem innocentiæ quisque non ſibi ſoli, ſed familiæ quoque dictam exiſtimet. Nunquam enim deeſt, quod in Domino culpetur, ſi familiam trahat illaudabilem. Cum ex Thoma Zarzanenſi, qui factus Pontifex Nicolaus Quintus dictus eſt, de vita Eugenij moribusque quæreretur, reſpondit: Intuemini familiam eius, talis ipſe eſt. Supra modum enim vituperabile eſt, vel non elegiſſe probos, vel diſciplina non continere ſibi commiſſos. Qui enim ſuorum, maximè domeſticorum, curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. Danielem habuiſſe familiam inculpatiſſimam quamuis ex officio peramplam, ex eo docemur, quod nullam in eo cauſam inueniri iurati teſtantur hoſtes. [*a*] Si eius ſatelles, ſecretarius, centurio, quæſtor, aulæ magiſter ab honeſto diſceſſiſſet, non defuiſſet occaſio calumniarum contra Danielem. Mirum illud quoq; in tanta familia nullum fuiſſe, quem corrumpere ſe poſſe ſperarent, vt in Dominum falſa teſtimonia diceret. Plancus cum accuſatus eſſet, ſerui torquebantur, cum Dominum nemo proderet, ille pari amore, vt liberaret inſontes, crimen faſſus eſt. At vero integritas Baltaſſarinæ familiæ tanta fuit, vt iudicarent neminem quicquam dicturum, quod periculum creare poſſet innocenti Domino. Non diſſimilis familia Joacimi & Suſannæ, qui erubeſcebant ad accuſationem Dominæ. [*b*] *Cum ergo audiſſent clamorem famuli domus in pomario irruerunt per poſticum, vt viderent quidnam eſſet. Poſtquam autem ſenes locuti ſunt, erubuerunt ſerui vehementer: quia nunquam dictus fuerat ſermo huiuſcemodi de Suſanna.*

Ex familia indicium fit de Domino.

a c.6.3. *Danielis familia.*

b c.13.26.27.

Regi

e c.5.3. & 4. Regi Baltaſari ſimilis & familia, omnes impij. [c] *Et biberunt in eis rex & optimates eius, vxores & concubinæ illius. Bibebant vinum & laudabant Deos ſuos aureos, & argenteos, æreos, ferreos ligneosq́ & lapideos.* Alexandri familia cruenta, & ambitioſa deſcribitur, qualis ipſe fuit. Familia Antiochi Epiphanis qualis & ille fuit, vt teſtatur Daniel. [d] *Et brachia ex eo ſtabunt, & polluent ſanctuarium fortitudinis & auferent iuge ſacrificium & dabunt abominationem in deſolationem.* quod Antiochus fecit, imitati ſunt illius duces. Quamuis in Græco eſt σπέρματα, ſemina, ex ſimilitudine Hebræorum dictionum. Eupator Antiochi filius Judæos oppreſſit. Sed brachia ſunt regis ipſius aulici, amici, qui & manus, & oculus dici ſolent. De illis agitur in Maccabæis. [e] *Reliquit autem & præpoſitos ad affligendam gentem: Hieroſolymus quidem Philippum genere Phrygem, moribus crudeliorem eo ipſo, à quo conſtitutus eſt: in Garizim autem Andronicum & Menelaum, qui grauius, quam cæteri imminebant ciuibus. Cumq́ appoſitus eſſet contra Iudæos, miſit odioſum Principem Apollonium cum exercitu viginti & duobus millibus, præcipiens ei omnes perfectæ ætatis interficere, mulieres iuuenes vendere. Qui cum veniſſet Hieroſolymam, pacem ſimulans, quieuit vſq́ ad diem ſanctum Sabbati: & tunc feriatis Iudæis arma capere ſuis præcepit. Omnesq́ qui ad ſpectaculum proceſſerant trucidauit: & ciuitatem cum armatis diſcurrens ingentem multitudinem peremit.* Et in eodem libro. [f] *Sed non poſt multum temporis miſit rex ſenem quendam Antiochenum, qui compelleret Iudæos, vt ſe transferrent à patriis & Dei legibus: contaminare etiam, quod in Hieroſolymis erat templum, & cognominare Iouis Olympii: & in Garizim, prout erant hi, qui locum inhabitabant.*

d c.11.31.

e l.2. c.5. 22. & ſeq.

f 2. Macc. 6.1.2.

¶ 2.

Vt familiam ſuam bono exemplo, verbis inſtruant, delinquentes corrigãt, etiam magnates obligantur. Si non ſuo, certè ſanctorum virorum iudicio. Auguſtinus [g] comitem quendam hortatur: vt omnibus ſibi ſub-

g c.19. de ſalutaribus docum.

bi ſubiectis, & bonæ voluntatis in domo ſua, à maiore vſq; ad minimum, amorem, & dulcedinem regni cœleſtis annuntiet, de eorum ſalute ſollicitus ac peruigil exiſtat; quia pro omnibus ſibi ſubiectis, qui in domo eius ſunt, rationem Domino ſit redditurus. *Annuntia,* inquit, *præcipe, impera, ſuade eis, vt caueant ſe à ſuperbia, à detractione, ab ebrietate, à fornicatione, à luxuria, ab ira, à periurio, à cupiditate, quæ eſt radix omnium malorum.* Corripi per Dominum debent; non enim turpe eſt, ſermone caſtigare, quem cogere valeas. Si quis contumax eſt, vt corrigi non poſſit, excuſandus eſt Dominus. [*b*] Domum tamen ſuam tam improbo homine non ſinet funeſtari. An igitur magnates & comites æquum cenſes fieri concionatores? Imo vero & catechiſtas, & doctores: vt & ipſi fulgeant in æternitates. Monitis, imperio, pœnis hoc agant, vt familiam habeant integram, Dei timentem. Hoc ipſo enim, quod in eum locum te Deus prouexit, vt alere familiam queas, ſeruitutem ſeruire, & ſub alieno arbitrio viuere non cogaris, voluit miniſtros tua virtute erudiri, vt te illi auctorem ſalutis habeant, non vt tu comitatus incedas, & turbam trahas. Felix familia cui talis eſt Dominus. Beatos ſeruos regina dicebat, qui audirent ſapientiam Salomonis: Sapienti enim ſeruire libertas eſt, & beatus eſt, qui ſeruit beatis: vt Menander rectè iudicauit. Graue autem onus Dominus inſipiens.

h *Aug. ad Amb.*

Inſtruendi famuli.

§ 3.

Præter eos, quos continuus labor occupat, ſunt in ædibus magnatum, qui honoris cauſa in obſequio pene ocioſo verſantur, quo ne abutantur, re aliqua exerceri debent, præſertim qui rem non habent, ne poſt longa ocia, & lautas dapes ad malas artes delabantur. Diſcant ſcribere, rationes ducere, aliaq;, aut aliquam, quæ portus infelicitatis priſcis dicebatur, artem. Vt nunc fugiant ocium, & cum diſceſſerint quæſtum faciant, habeantque inopiæ refugium. Ipſi ſibi quoque atten-

Miniſtris ocioſis dicendum.

Digitized by Google

Docendi famuli. attendant, ne magnitudine ſeruitiorum cum pompa & publico ſpectaculo ad paupertatem profiſciſcantur. Plurimos fabros, & architectos Craſſus alebat, ipſe famulos docebat. [*i*] vt Plutarchus refert.

i *in Craſſo*

Benignitas in famulos. Summa lex eſt, vt talem te geras erga inferiores, quales in te eſſe optas ſuperiores, imo qualem ipſum Deum. [*k*] Bene Agapetus Talem te præſta tuos erga famulos, qualem optas erga te Dominum, prout enim audimus, audiemur, & vt reſpicimus, reſpiciemur à diuino, cunctaque obtuente aſpectu: priores igitur nos miſericordiæ miſericordiam conferamus, vt pari par recipiamus.

k *Ad Iuſtinian.*

Deinde ipſe rerum tuarum ſatage, diligens eſto: Fieri non poteſt, vt ſerui Domini ſocordis ſint induſtrij.

Humanitas. Grauis, amica tamen erga illos familiaritas ſit. Maiores olim ſeruos familiares vocabant, vt [*l*] Seneca teſtatur. Poſterorum faſtus loqui illos coram Dominis vetuit, vt ipſe narrat & deteſtatur. [*m*] Ariſtoteles non permittit, vt famulis Dominus arrideat; Sed hoc tamen aliquando non indecorum eſt, de quo prudenter [*n*] Clemens Alexand.

l *Epiſt* 47. m *ibidem.* n *l.* 3. *pæd. c.* 12.

Ante omnia ſint imperia moderata. Fideles ſunt, forte & ſancti, ſane domini eſt officium, facere, vt ſecum vna ſint conſerui Chriſti: Nemo in orbe tantus eſt dominus, vt non ſit ſeruus Dei, & cum familia ſua in eodem ergaſtulo, in eiſdem compedibus, quare aſpere tractare fideles non debet: oportet miſereri conſerui quemq; ſui, ſicut & noſtri Deus miſertus eſt. Legem ſibi Deus à nobis poni, & Maieſtati ſuæ præſcribi patitur: vt quod conſeruis facimus, ab ipſo exſpectemus. [*o*] Remittimus cōſeruis noſtris centum denarios, ille nobis decem millia Talentúm condonat. repetis denarios? exigeris ad vltimum quadrantem talenta. Barbarorum eſt in miſeros ſæuire. Querebatur iam olim Auguſtinus de crudelitate dominorum, & [*p*] Saluianns atq; adeo inter cauſas, cur in omnes Romani imperij pro-

Aſperitas fugienda.

o *Matth.* 18.28.

p *De gubern. Dei.*

prouincias immiſſi ſint barbari, non minima fuit, ſer-uulorum oppreſſio!, quæ tum erat numeroſior pars humani generis. Summa iniquitas eſt: Vbi ſeruus cogitur pati,& nemo ſinitur compati, dolere cõpellitur, & nemo condolere permittitur. Seruus amicus eſt domeſticus ad omnia promptus, vtendum illis tanquam nobis. Sunt enim & homines, ſicut domini, ſæpe dominis meliores. Conſule [q] Clementis Alexandrini pædagogum. *Bene habendi ſerui.* *q l.3.c.12.*

¶ 4.

Nulla gens hodie in familiam aſperior eſt Arabibus & Tartaris, per Africam omnes domus tormẽtis, & eiulatibus perſonant, Tartari miſeros fame,& nuditate cruciant. Spartani præter modum ſæuiebant: filiisfamilias poteſtas erat, noctu vrbe egredi, & Helotas in agris occidere, vt eo modo ad bella extitarentur. At neque gens vlla infelicior, ſine ſedibus certis Tartari vagãtur,& mutua laniena viuunt. Arabes hoſtibus, morbis, principum tyrannide premuntur. Spartanorum olim magna pars in prœlio periit. Noui ego nonuullos, alioqui viros præſtantes, qui nullo officio, nulla arte in principum dignationem venire potuerunt, multa infamia, atque incommodis agitatos, nec cauſa alia facile apparet, quam eorum in familiam iniqua aſperitas, vidi eorum cum fratribus,& filiis lites, & inopiam, plaudentibus famulis, qui ſuas iniurias vindicari gaudebunt. Tyrios olim ſerui occiderunt, & regnum tenuerunt. Vnus tota vrbe Clemens Dominus, ſeruus vnus fidelis fuit. Stratonem Dominum ſeruus, filiumque abſconderat, de rege creando in comitia eundum erat nouis ciuibus, qui occiſis dominis ſua ſe manu emiſerant, ſibi & liberti, & patroni. Conuentum fuit, vt qui ſolem orientem primus vidiſſet, Rex eſſet, hæc omnia ad Dominum ſeruus refert, ab illo conſilium accipit, vt cæteris in Orientem verſis, ipſe auratum altiſſimæ turris *Crudelitas in familiã.* *Tyriorum ſerui Dominus cadunt.*

conum

conum fixis oculis intueatur, quem vbi relucere radijs ſolis videt, iam ortum ſolem exclamat, & non ſuo lumine fulgentia faſtigia oſtentat. Dignum diademate iudicant conſerui. Quia tamen ſupra ingenium ſerui'e illam ſolertiam exiſtimabant: an ipſe ſibi auctor callidi conſilij eſſet, an alium doctorem habuerit, exquirunt. Ille dilaudata Stratonis in ſe moderatione, & modeſtia, abſcondiſſe ſe, & peperciſſe innocuo ſeni fatetur: nec mora ad eum conſenſu itum eſt, qui mortem metuens in ſolio collocatus, regem clementem, & æquum egit, regnumq; filio, & poſteris reliquit. Benè igitur mereri de ſeruis conabere: nam prodeſſe, & obeſſe poſſunt, aut ſi iſta non valent, linguas eorum metue,

Lingua mali pars peſſima ſerui.

Irati mala quæ inferre nequeunt, imperantur. Pondus infauſtum eſt mala familia, Dominum obſidet, non cingit. Arbor eſt inexhauſto ſtudio colenda. Chriſtiana diſciplina etiam fœminis eam curam imperat,
r *Pæd. l.* 3. quemadmodum [*r*] Clemens Alexandrinus ex Antip. docet. Non enim ad hoc claues tenent, vt pictæ
s 1. *Tim.* ad ſpectaculum ſedeant, ſed domum regant, [*s*] vt A-
3.4. poſtolus iubet. Domum non minus exiſtimat [*t*] Ta-
t *In vita* citus, quam prouinciam regere. In illa prima cura fi-
Agricolæ. liorum: illos ſedulo curandos monet Eccleſiaſticus
u *c.* 7. 25. [*u*] [*x*] & cauendos ſi mali. *à filiis tuis caue & à domeſti-*
Domum *cis tuis* attende. [*y*] Nec indulgendum vltra ratio-
regere magnum eſt. nem. *Lacta filium & pauentem te faciet: lude cum eo & con-*
x *c.* 32. *triſtabit te.* Seruorum, omniumq; domeſticorum ea-
26. dem cura ſit: nec enim filij frugi erunt, vbi ſerui im-
y 30.9. probi. Qualis Syrus, talis Pamphilus. Quare Deum
z *Leu.* audi, [*z*] & Moſen. Et quem ante produxi, Eccleſia-
19.13. ſticum. [*a*] *Non lædas ſeruum in veritate operantem, neq;*
a *Eccli.* *mercenarium dantem animam ſuam. Seruus ſenſatus ſit tibi*
c. 7. 22. *dilectus quaſi anima tua, non defraudes illum libertate, neque*
23. *inopem derelinquas illum.* Et [*b*] *ſi eſt tibi ſeruus fidelis, ſit*
b *Eccli.* *tibi quaſi anima tua: quaſi fratrem ſic eum tracta: quoniam*
33.31. *in ſan-*

in ſanguine animæ comparaſti illum. Cur vero in aulis magnatum tanta ſit malorum multitudo, cauſam Salomon oſtendit, cuius verba conſideranda propono. [c] *cibaria,& virga,& onus, aſino: panis, & diſciplina, & opus ſeruo. Operatur in diſciplina,& quærit requieſcere: laxa manus illi & quærit libertatem. Iugum & lorum curuant collum durum, & ſeruum inclinant operationes aſſiduæ. Seruo maleuolo tortura & compedes, mitte illum in operationem ne vacet.* c Eccli. 33. 25. 26. 27. 28.

Quod autem multi domini ſeruos habeant improbos, cauſa eſt eorum male cōpoſita vita, qui ſimiles amant à piis quaſi cenſoribus abhorrent. Dantes poëta prudens, & oris quam pauperi vtile eſſet, liberioris, Veronæ apud Canem honeſte habebatur, erat in eadem principis familia ſcurra & ſtolidus, qui inopiam Danti ferox exprobrabat, quærebatq; cur cum tanta ſapientia egeret?& quando tandem felix futurus eſſet? reſpondit ille: Vbi Dominum ſibi ſimilem adeptus eſſet. Reuera bonos ſeruos multi refugiunt, malos amāt: non enim honeſti duntaxat obſequij, ſed cupiditatum malarum quoq; quærunt adminiſtros, aut ſane laudatores. Vitant eos, quos verentur. Probitas autem vbiq; venerabilis eſt. *Domini mali amāt ſeruos ſimiles.*

Cap. XXXV.

Oeconomiæ ratio in ædibus magnatum.

¶ 1.

OEconomia alia regia eſt; alia Satrapatum, alia ciuium, ſeu priuatorum. De regia in Politicis dixi, de ſecunda & tertia iam dicam: Nam in aula ſunt magnates, & proceres, Danieli & Satrapis pares. Et minorum gentium Palatini ciuibus non diſſimiles. Eſt vero Oeconomia domus, & ſumptuum iuſta & prudens adminiſtratio. Procella rei familiaris aula eſt incautis, non quæ vnius anni prouentum anticipet, quæ à calamis *Oeconomia Palatinorum facile perit.*

 tran-

Digitized by Google

frangendis calamitas dicitur, aut oleas viteſq; flagellat, ſed quæ fundos haurit integros. Plures enim in regum ſeruitio rem frangunt, pauci ditantur.

De Oeconomia Danielis ſingulatim ſcriptum non eſt. [a] Captiuus ad aulam venit, nulla re, niſi virtute diues, ne ſuus quidem, ſed poſſeſſio victoris. Deinde vero conſecutus eſt magnas opes. [b] *Tunc rex Danielē in ſublime extulit, & munera multa & magna dedit ei: & conſtituit eum principem ſuper omnes prouincias Babylonis, & præfectum magiſtratuū ſuper cunctos ſapientes Babylonis.* Quod [c] veteres referunt de commeatu, qui Babylone fuit eo tempore, quo Darius, & Cyrus vrbem ceperunt, Danielis prudentia collectum nonnulli in annos viginti repoſitum ſcripſerunt. Inſignem fuiſſe in prudentia Oeconomica conſtat ex eo, quod Darius inter tres principes eum eſſe iuſſit, cui centum viginti ſatrapæ redderent rationem. [d] *Placuit Dario, & conſtituit ſuper regnum ſatrapas cētum viginti vt eſſent in toto regno ſuo. Et ſuper eos principes tres, ex quibus Daniel vnus erat, vt ſatrapæ illis redderent rationē, & rex nō ſuſtineret moleſtiam. Igitur Daniel ſuperabat omnes principes & ſatrapas: quia ſpiritus Dei amplior erat in illo.* Hoc quoq; indicatur, reges hacten' moleſtias rationū & Oeconomię ſuſtinuiſſe: Darium iam ſexaginta & duorum annorum eas fugiſſe. Sane res ipſa docet præſtantiorem Oeconomum non fuiſſe, nō modo regiæ, ſed domeſticæ quoq; : ſi enim domui ſuæ prouidere non potuiſſet, quomodo tantæ Monarchiæ rationes tractare potuiſſet? Regiæ quoq; Oeconomiæ ſpecimen dedit in Xerxe. [e] *Et quartus ditabitur opibus nimiis ſuper omnes.* [f] Deinde Alexandri quoque potentiam iudicat, qui *rex fortis dominatus eſt poteſtate multa*: opes erant magnæ, non modo lata regna, multa ſunt enim regna vaſta, ſed æraria vacua, at Alexandro, etſi multa largiretur, triginta mulorum millia aurum captiuum ferebant.

Margin notes: a c.1. *Daniel œconomus.* b c.2.48. d c.6.1.2.3 *Alexandri opes.* e c.11.2. f c.11.3.

¶ 2.

Digitized by Google

§ 2.

Sumptuum modus ciuilis eſt, ne reditum ſuperent expenſæ. Sumptuum ratio quæ Deo redditur ne vllæ ſint inutiles expenſæ, opes datæ ſunt in vſum virtutis ocioſum verbum culpa eſt, ocioſi, & quæ nulli proſunt ſumptus, in Deum iniuria eſt, & in pauperes. Quod enim inutiliter effunditur, ſuperfluum erat, illud autem pauperibus debetur. Verum ea de re propria erit tractatio, nunc de ciuili ſumptuũ temperatura ſermo eſt. Profuſio parit æs alienum, calendas formidabiles, hinc diſcurſatio creditorum, rigida poſtulatio, lenta ſolutio, debitorum inficiatio, præſtitæ operæ neglectus, mercedis pactæ defraudatio, munerũ capturæ, iudicia precio venalia, concuſſiones, aulicis multis non inſueta: quæ domos principum vehementer infamant. His malis implicantur fere, & ſumptu prodeunt æmulàtione potentiorum, famulitio, equis, veſtitu, ædificiis, cõuiuiis certant. indignum putant illis cedere, quibus ſunt impares. Huc impellit faſtus diſſipator opum, vt nouo opus ſit patrimonio, quo nihil habeant. Paupertas potentium in flagrantiſſima opum cupiditate & maleſuada eſt, & malefica. Amphiaraum hiatu terra abſorbuit, proceres terram ipſam ſorbent, quos Scyllæ, & Charibdi, imo ipſi Oceano comparat Tullius, qui tot res, tam diuerſis locis poſitas hauriunt. Decoram prodigalitatem exiſtimant, & dignitati conuenire, errore exitiabili, Decorum enim eſt, ſuo quemque ſe pede metiri, pro opibus mœnia exſtruere. Haud leue conſcientiæ vulnus infligit, qui æs alienum contrahit, cui non ſit ſoluendo, furti enim genus eſt, & impoſturæ, quod Romuli lege morte plectebatur, ſi enim ſoluendo non erant, ſententia inhumana proferebatur: *Partes ſecanto.* Si enim crimen eſt, apparatibus & ſplendore vitæ rem dilapidare, vt fame tabeſcat pauper, magis iuſtitiæ aduerſum eſt, ſi creditor perit, ſi hæres proſcribitur de parentum luxu mendicus.

Sumptuũ ratio ciuilis, & ſpiritalis.

Aulici ſe mutuo perdunt.

Æs alienũ non contrahendũ.

Digitized by Google

At retinenda eſt auctoritas, & decus nobilitatis. Ingens omnino ſtultitia. Nullius magis attrita eſt exiſtimatio, quam nobilium pauperum, quos exercet fenerator Alphius.

Quos rigida compellat voce Secundus.

Auctoritas parſimonia quæritur. Grauat illa paupertas & genus, & proauos, onus etiam ipſa ſibi. apud pleroſque tanti quiſque eſt, quantum habet. Sapientibus videri magnus non poteſt, qui plus erogat, quam habet: cuius domum creditores obſident, aures querelæ. Cuius mali cauſa crebro ſunt ipſi reges, qui cum propria dilapidant, aliena rapiunt, ſimul prodigi, & raptores. Hinc Palatini æs alienum non diſſoluunt: à rege enim ſalarium ſibi ſolui negant, g *Sigon. l. 6.* [g] Theodoſius vt modum ſumptibus poneret à ſe, & palatio cenſuram inchoauit, leges deinde ſumptuarias fecit. Nam quando luxuriæ, & ſuperbiæ certamina inualeſcunt, vix reſiſti poteſt, non poſſunt catarrhactæ inhiberi, cum obex ablatus eſt, nec inſania de ſplendore pugnantium, ex quo ſequitur egeſtas & prædæ, nullo diſcrimine. Exemplum eſt auarus, & prodigus tyrannus. Facinus, qui cum à Gibellina factione Ticinum admiſſus omnes expilaret, amicos & hoſtes, querentibus reſpondit, Eos quidem Gibellinos eſſe, opes facultates Guelfas.

§ 3.

Magna publice ſollicitudo regibus fuit, ne nimio h *Suet in Auguſt.* ſumptu ſubiecti perirent. [h] Auguſti Oeconomia, menſa, & ſupellex vix priuatæ elegantiæ fuit. Matthiæ Coruino Vngarorum regi non aulæa, non gemmata pocula, ſed omnia etiam domi Martia, & ad arma ſpe- i *Val. l. 4. c. 3.* ctantia. [i] Cato pellibus hedinis pro dapetibus vtebatur, Ageſilaus domum habuit pauperi, quam regi conuenientiorem. Auguſtus ſubſtructiones intra ſek *Alex l. 5 c. 24.* ptuageſimum pedem coercuit. [k] Fabricius pateram & ſalinum ex argento ducibus exercitus in cenſura ſua conceſſit. iam centurionum tabernacula auro

ſplen-

ſplendent. Ælius Catus duo pocula argenti, à Paulo Macedonico legata ſolum habuit. Conſtantius Chlorus Conſtantini magni parens, ſi conuiuium exhibendũ eſſet, mutua vaſa ab amicis petebat. [l] Tiberij tertij magna cura fuit luxum veſtium reprimẽdi, Nabathæorum fuiſſe accuratam Oeconomiam docet [m] Strabo. Inſignis etiam Oeconomus fuit Otho Bambergenſis, illius Eccleſiæ tabulis laudatus. Prudentis patrisfamilias eſt, leges eas anticipare, facere ſuo cõmodo, quod vtile eſt. Cato quem merito opulentis & nobilibus accenſeo, domum definit eſſe paruam ciuitatem, cui nihil ſit ſuperfiui, nil deſit. Eius laudem, & officium, Bene paſcere, Secundo, ſatis bene paſcere. Tertio, bene veſtire. Quarto, Bene arare. Hæc enim familiam faciunt fidam, ſi Domini humanitas accedat, quod maxime iuuat Oeconomiam: vbi enim familia alienata eſt, & offenſa, nocent, damnis non occurrunt, & neceſſario Dominum ad inopiam redigunt. Thales itaque optimam Oeconomiæ rationem eſſe illis in ædibus dicit, vbi ex fidelitate miniſtrorum dominis plurimum ocij conceditur: quod ocium Palatinis ad aulicas, & publicas functiones neceſſarium eſt. Cui rei conducit in primis coniunx fortis & prudens, qualem Salomon deſcribit. [n] *Mulierem fortem quis inueniet, procul & de vltimis finibus precium eius. Confidit in ea cor viri, & ſpoliis non indigebit. Quæſiuit lanam & linum, operata eſt, conſilio manuum ſuarum.* Hanc prædicat nauem inſtitoris, noctu operantem, paſcentem, domeſticos duplicibus veſtientem, negociantem, agros conſiderate ementem, inopi dantem. Et ne dictum hoc matribus exiſtimemus, quas labor ruri atterit, ſoles exurunt, nobilis fœminæ opera recenſere ſe affirmat. [o] *ſtragulatam veſtem fecit ſibi: byſſus & purpura indumentum eius:* Nobilis in portis vir eius, *quãdo ſederit cum ſenatoribus terræ.* Fœmina timidior natura, rerum optima cuſtos eſt, telum texit, coniugium curat. Quæ ſi ſumptuoſa eſt, magnas opes labefactat, quicquid acquiritur in vas pertuſum mittitur. Si ex lege Salomo-

l *Cedren de Tiber.*

m *l.* 18. *c.* 36.

Fœmina Oeconomiam curent.

n *Prou.* 31. 10. & *ſeq.*

o *Prou.* 31. 22. & 23.

lomonis viuit, domum ſeruabit. Talis Anna Wandala, ex Vaſconibus regibus oriunda Vladislai Vngariæ regis coniux, aulam, & regnum dexteritate conſeruauit. [p] vt Bonfin.

p De reb. Vng.

¶ 4.

Largitiones inutiles.

Qui magnos ſumptus faciunt, vbi parui faciendi ſunt, è contrario, vbi magnificentia oſtendenda eſt, præparci ſunt. His nihil ſatis eſt, nihil turpe, Henricum Tuncelium veſtitum precioſis pellibus videbant aulici Ludouici regis Vngariæ & Bohemiæ, regi perſuadent, vt ſibi donari veſtem petat, Henricus negat petenti, cauſatus aulicos eius iuuenes eſſe, minus egere pellium integumentis, quam ſe ſenem: quo & illorum petacitatem, & regis facilitatem perſtrinxit. Illum enim tanquam aureum veruecem tondebant, & deglubebant, & cum regi nihil eſſet, eum ad aliena rapienda impellebant, quæ tum maxime aguntur, cum homines improbi reges in ſuam poteſtatem ſpoliatos redigunt, & principis nomine prouincias expilant. Faceta eſt ratio Oeconomiæ, quam Crates in Ephemeride poſuit. Coquo decem minas, Medico drachmam, adulatori talenta decem, conſiliario famam, ſcorto talentum, Philoſopho triobolum. Non ſuſpicor tam improbas in Chriſtianis magnatibus rationes: Ipſi tamen videant, quantum abeat in res non neceſſarias. Sibi perſuadeant, nihil tam neceſſarium, quam ſcire, quid ſibi ſit neceſſarium. Multa ſupellex pondus eſt inutile, multi equi grex noxius, multi miniſtri pompa ad paupertatem, precioſæ veſtes tinearum commeatus, eleemoſyna theſaurus in cœlis. Minus mira debent iſta videri, ſi veterum diſciplinam recolentibus, Regum vxores cibos paraſſe Herodotus auctor eſt. [q] Palamedes bello Troiano ſibi miniſtrabat, ſeruus & Dominus. Phocyon vxorem duabus ancillis contentam eſſe iubebat. Marcus Curius dentatus duos calones, [r] Scipio famulos quinque, & cum bis Conſul

q l. 8.

r Plut. in Scip.

Digitized by Google

ſul fuiſſet ſeptem, Cato duros, & bubulcos habebat, qui facile ſumptu exercerent ſuum. Innocentius Sextus, & Platina [s] familiam minuit, & vt idem facerent Cardinales, imperauit. Hoc modo & rebus ſuis, & ſibi conſulit. Nam vt rectè Petrarcha, multitudo famulorum facit inquietos; &, quod experientia docet, pauperes.

s *De Innocentio 6.*

Cap. XXXVI.

Aula accuratiſſimam verborum cautionem poſtulat, maiorem ſenatus.

§ I.

NVſquam opus exquiſitiore curâ, in conſilio dando, in conuictu, & familiaritate: vbi nutus, & colores obſeruantur, & ipſa ſilentia cenſentur loquacia. Ne tum quidem cum loqui iuſſere dominantes, vox libera eſt. Ingenia potentum norat, qui dixit, [a]

Periculum linguæ in aula.

a *Sen. in Oedip.*

Odêre reges dicta, quæ dici iubent.

Notum quoque multorum exitio illud Sophoclêum:

Magna verba, magna plagæ.

Ne aures quidem ſecuræ. aliena geſta narrant, atq; euenta, vt iudicium ſenſumque eliciant, aut vultus oculosque ſcrutentur, quo ad ſerendas ſuſpiciones anſam habeant. Silentia carpuntur, quaſi ſubdola. & quamuis maior libertas à tyranno non petatur, quam vt ſilere liceat, non ſemper tamen tuto licet. Apud Neronem capitale fuit frigide diuinam principis vocem laudaſſe. Difficile autem eſt vera & grata dicere. nam falſa profari nefas. Incauta dicta raram habent apud magnates veniam. optimè dicta carpunt obtrectatores.

Digitized by Google

§ 2.

Daniel in tanta negociorum multitudine, & grauitate, verbo lapſus non eſt. [*b*] Nec enim inimici vllis ex ſermonibus occaſionem accuſandi habuerunt, niſi ex illis, quos ad Deum habuit. Magnum linguæ rectè gubernatæ encomium, ſi in illa nihil omnino fideles reprehendant, impij ſolam pietatem loquentis accuſent. nec mirum: quid loquendum ſit, à DEO exquirit. [*c*] *Sociis ſuis indicauit negotium: vt quærerent miſericordiam à facie Dei cœli ſuper Sacramento iſto.* Chaldæorum ſapientes temerè loquuntur, ſomnium ignorare ſe fatentur, interpretationem promittunt: [*d*] *Rex ſomnium dicat ſeruis ſuis, & interpretationem illius indicabimus.* Quæ cum vanè dicerentur rex incautos refutat. [*e*] *Certe noui, quod tempus redimitis, ſcientes quod receſſerit à me ſermo.* At illi ſtultiſſimè ſapientes, verba improba, vana, contra ipſos valida proferunt. [*f*] *Reſpondentes ergo Chaldæi coram rege, dixerunt: non eſt homo ſuper terram, qui ſermonem tuum, rex, poſſit implere: ſed neq; regum quisquam magnus & potens verbum huiuſcemodi ſcitatur ab omni ariolo, & mago & Chaldæo. Sermo enim, quē tu quæris, rex, grauis eſt: nec reperietur quisquã, qui indicet illum in conſpectu regis: exceptis diis, quorum conuerſatio nõ eſt cum hominibus.* Si nemo ſcire ſomnium potuit, quod tranſactum erat, cuius ſpecies obſcuratæ in regis mente hærebant, quam incautè fatebantur, ſe interpretationem allaturos, hoc eſt rerum futurarum euentum? An ad ſolos deos pertinebat ſomnij cognitio, non etiam interpretatio? Semper incauta eſt nimia ſapientia, quid igitur de ariolis, qui ſuæ vocis indicio, velut ſorices perierunt, rex conſtituit? Daniel recenſet: [*g*] *Quo audito rex in furore & in ira magna præcepit vt perirent omnes ſapientes Babylonis.* Regis temeritate magorum profeſſio punitur. Duo planè ſunt in Daniele admiranda, quæ loquendi innocentiam oſtendunt. Primum eſt ſumma eius libertas ſine offenſa. [*h*] Nabuchodonoſorem repre-

b c.6. *Daniel cauere docet.*

c c.2.19. *Mali incauti.*

d c.2.7.

e c.2.

f c.2.10.11.

Incauta diſputationis finis.

g c.2.12.

h c.4.21.

Digitized by Google

reprehēdit. [i] Baltaſſarem increpat, & præmio donatur. [k] Iſraëlitas puer obiurgat, & paretur, ſenes iudicat, & ſaxis obruuntur. Alterum eſt illius cum angelis ſermocinatio, & quidem cum archangelo Gabriele, quas familiariter rogauit, & audiuit: & ab illis, qui verbum nullum, niſi Dei iuſſum proferunt, didicit gubernare linguam humanam, angelicis colloquiis exercitam. [l] Dimidia enim pars prophetiæ illius vel oratione ad Deum, vel angelorum alloquio conſtat, cœleſtes itaq; linguas diſcere Daniel incepit, & iam cœlo maturus nouas amicitias, ac familiaritates ſectari. Regendæ igitur linguæ Danielem virum deſideriorum, angelorum contubernalem, aula ducem veneretur, ac ſequatur. Lingua celere malum eſt, mentem crebro præuertens, cuius retinaculum eſt oratio, & conſideratio.

i c.5.27.
k c.14.
Danielis libertas.
l c.7. vſq; *ad libri finem.*
Daniel angelorum familiaris.

§ 3.

Incautæ locutionis multa mala ſunt, Eccleſiaſtes neruoſa ſimilitudine explicat. [m] *Sagitta fixa in facie, ſic verbum in ore ſtulti.* Jaculum in vultu fixum ſummos adfert dolores, tegi non poteſt, faciem deformat, maior linguæ inſipientis pernicies. Multos præſtaret eſſe elingues, quam male loquentes, an vero tibi Crocodilus, quod lingua caret, mutilus videbatur, quærit ex Cardano [n] Scaliger: & reſpondet, *Vtinam maxima hominum parti lingua potius, quam cornua deeſſent.* [o] Vincentius vehementer rogatus fœminam mutam ſanare recuſauit, quod diuinitus ſibi reuelatum eſſet, lingua illam ita abuſuram, vt in æternum damnaretur, ſi loqui poſſet, itaque poſt annos ſeptem muta, ſed pia mortem obiit. Mille exempla ſunt eorum quibus lingua cladem attulit in aulis principum: obuia ſunt, & quotidie noua naſcuntur: nam vt beluæ carniuoræ in ſingulos dies noua cæde fauces cruentant, ſic & lingua malum indomitum, quod manſueſcere non poteſt, licet feræ cicurentur. Hoc me-

m c.19.
n exerc. 182.
Lingua abuſus.
o Surius.

Digitized by Google

meminiſſe oportet, quoties loquimur, de nobis fieri iudiciũ. *Loquere*, inquit Philoſophus, *vt te videam*. Diu tacere ſtultus non poteſt, non enim loquitur, cum res exigit, ſed cum lingua prurit, quam tam continere non poteſt, quam non iraſci.

¶ 4.

Vis non errare lingua! conſule omnium dicendorum veritatem, & veritatis opportune proferendæ vtilitatem: atq; ita demum loquere. ne propera: Elige quod loquaris, ſicut eligis quod emis, quod edis. Audire gaudeas, loqui metuas: ita diſces cum voluptate, loqueris abſq; diſcrimine. Phocas dum procacius loquitur Cæſari, alapa cæſus eſt, contumeliam parricidio vindicauit, & ipſe quoque miſerrimo exilio periit, vt Sozomenus, & Theodoretus recenſent. Conſidera, ne ſortiare quid dicas. Sic fabulas, & multiloquium vitare diſces. Non eſt eloquentis multa loqui, ſed apta. Vlyſſes cautus, & breuis, diſertus tamẽ habitus eſt. Vigilanti etiam ſit linguæ quies. Loquaci euenire ſolet, quod illis, qui in ſomno loquuntur, & ambulant, nec enim quæ loquuntur, nec quæ agunt, iudicio faciunt. Horum ridicula eſt loquacitas, quos parœmia condemnat, de fabulonibus vſurpata, *Ex tympano comedi, & cymbalo bibi, factus ſum myſticus*. Semper falſi ſuſpicionem adfert multiloquium: nam veritas multis verbis non eget. Ideo enim laudabile breuiloquium, quia ſilentio finitimum eſt. Aulæa contracta imagines abdunt, explicata oſtentant, oratio longa totum animum nudat raro formoſum, hoc eſt, prudentem: Videri volunt eloquentes, & tædio occidunt. Reſpondebant Spartani prolixæ orationi, priora ſe oblitos, ideo poſteriora non intellexiſſe. Graues ſunt principibus, & collegis in quo mirabiles videri volunt aulici dum longi ſunt. Ad Vrbanum ſeptimum incommode habẽtem venerant oratores Peruſini, eorum alter prolixiſſimam orationem nauſeabundo recitauit, qua abſoluta, Pontifex quæ-

Multiloquium vitandum.

Digitized by Google

quæſiuit; An aliud à ſua repub. mandatum haberent? Tum collega eius, qui verboſitate audientem afflixerat: Habemus mandatum, vt niſi continuo negocia noſtra expediri iubeas, orationem ſuam ſocius meus de integro tibi recitet, delectatus vrbanitate Vrbanus poſtulata conceſſit.

5.

Etſi tam facilis linguæ lapſus, difficilisque cautela, non omnino tamen fugienda colloquia. Tacere plurimum, ſed ad ea quæ opus eſt, vrgente vſu reſpondere prudentis eſt. Si vitia culpanda ſunt, aut monendi magnates, Dei ſpiritu & caritate fiat. Qui carpentis, irridentis, vel inſultantis ſpeciem monendo præbet, vitia irritat, non emendat: Sui odium, non virtutis amorem inſerit. Apollodorus ob perpetuos reprehenſionum aculeos μανικὸς, hoc eſt, furioſus appellatus, nullum correxit, omnes offendit. *Quomodo loquendū.*

Dæmonactis aurea doctrina eſt: optime ab illo prouinciam adminiſtrari, *qui minimum loquens, plurima audiat.* Garrulitas enim malum difficile eſt, & moleſtum. Eius proprium detrimentum eſt, Non audire: profluunt verba mente caſſa, Verborum flumen eſt, gutta ſapientiæ. Multi errores illo in amne natant. facete Demoſthenes homini garrulo: Si ſapuiſſet, nunquam tam multa locutus fuiſſet.

Prudentis animi murus eſt ſilentium.

Vitanda non mala duntaxat alloquia, ſed inania quoq;, quæ quia bona non ſunt, mala fieri neceſſe eſt. Juſtinus martyr, [p] Chriſtianos ita viuere & loqui aſſuetos docet, vt nihil nugandi cauſa dicant: qua falce omnia verba ocioſa non modo in religioſis conuentibus, ſed in aulis etiam amputat. Sola mens rea linguam ream facit; illa ſit integra, vt hæc bene gubernetur. Sine vanitate, ſine fraude iuſta, & ſalutaria loquamur.

p *de vita Chriſt.*

§ 6.

Digitized by Google

§ 6.

Materia ſermonũ in aula. Quid igitur in aula loquemur? Quod ille dederit, qui linguas infantium facit diſertas. Immenſa eſt materia, DEVS ipſe, laudetur ille, qui laudabilis, & glorioſus eſt in ſæcula. in commune illud vtile eſt: adeo gratum creatori, vt multis prodigiis approbarit. [q] Romanus Martyr nobilis Antiochiæ cum inter cruciatus oranti lingua abſcinderetur, vacuo ore concinnius in Dei laudem verba formabat. Pari potentia numinis [r] Florentius & Hilarius reſectis linguis, carunculæ exciſæ vices implente Spiritu ſancto, perfectiſſima eloquentia Deum prædicabant, donec gladio ferirentur. Germanus antiſtes Antiſiodorenſis dum canit Alleluia, hoſtes in fugam vertuntur. Nemini deeſſe poteſt, quod loquatur, ſi Deum nouit. *Gratum eſt Deo laudare.*

q *Mombur.* T. 2. *Sur.* T. 2. *Prudentius in hymno.*

r *Petrus de natalibus.*

Deinde virtutem commendemus, contra vitia diſputemus. Nemo tam impudens, vt hæc defendat. Qui virtutem laudat, Deum laudat.

Defendamus innocentes, vt lucremur perſequentes, & obtrectantes. Vectius Epagathus aulicorũ eruditiſſimus, non vbique modo pro Chriſtianis loquebatur, ſed in medio etiam ſæuitiæ furore aduocatum ſe publicè obtulit, celeremque mercedem accepit ſanctæ profeſſionis, à Cæſare ſupplicium, à DEO coronam. Et ne multa dicam, totus mundus liber eſt, totus inuitat ad auctorem. Abſint à pectore prauæ cupiditates, non eructabunt cum faſtidio audientium verba improba.

* * *

CAP.

Digitized by Google

Cap. XXXVII.

Contumeliæ, calumniæ, obtrectationes in aula, vrbe, curia.

§ I.

DEterius omne meliori inſidiatur, ſi perdere non poteſt, contaminat. Teſtimonium mundus ipſe ſemper in peius labens præbet apud [a] Danielem. a c.2.31.
Aureum capitis fulgorem deſtruit argentum, Chaldæum Perſa ignobilior, hunc Macedonum ærugo, quam ferrum ignobile, & lutum de fæce Romuli comminuit. Quæ pugna eſt inter ſe Monarchiis, eadem eſt ſingulis. minor maiorem, peior meliorem cum re non poteſt, verbis, & calumniis exagitat. Quam acerba calumnia Chaldæorum? [b] *Sunt ergo viri Iudæi, quos conſtituiſti ſuper opera regionis Babylonis, Sidrach, Miſach, & Abdenago: viri iſti contempſerunt, rex, decretum tuum: deos tuos non colunt, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adorant.* Nec Danielem rex ſine contumelia appellat, [c] *Tu es Daniel de filiis captiuitatis Iuda, quem adduxit pater meus rex de Iudæa?* Et proceres Medi ac Perſæ: [d] *Daniel de filiis captiuitatis Iuda non curauit de lege tua, & edicto, quod conſtituiſti.* Daniel ſenes iudices aſpere compellat, vice Dei iudicans, & ſpiritu Dei edoctus: [e] *Inueterate dierum malorum.* [f] Et: *Semen Chanaan, & non Iuda.* Hæc non eſt contumelia, ſed iudicij veritas. Neceſſe eſt aliquando non quidem inferre contumeliam, ſed manifeſtare delicta. Magis nocet, qui mala cælat, quam qui nocentem accuſat. Ille multos lædit, hic vnum emendat. Optimos quosque in aula calumniæ ſternunt, aut afflant, ſubtili fulmine, cuius ante cladem violentia non videtur, & mors ſine vulnere. Nota aulicæ calumniæ exempla, Joſephus, Miphiboſeth, Nabothus, Hippolytus, Tennus, Bellerophon,

Calumniæ peioris ſunt.

b c.3.13.

c c.5.13.

d d.c.6.13.

e c.13.52.53.

f c.13.56.

Crimen noxium non celandum.

phon, Myrtilus, Timaſion, Criſpus, Sigericus, Bonifacius, Aëtius. Vix aula vlla etiam ſancti principis illo dedecore caruit.

Contumelia malum. Contumeliæ finis eſt, probro afficere præſentem, irridere. Calumniæ falſum crimen imponere. obtrectationis famam lædere, quæ omnia ad deſpicientiam, vexationemque pertinent: atque inter familiares inualeſcunt, ac demum in rabiem exeunt. Vt merito quemadmodum illorum comæ, qui bacchico furore hydris incincti, lymphatique diſcurrunt, ita maledicorum linguæ ſerpentibus coronari dicantur, mordent vbi facultas eſt, & venena fundunt, vbi ſolido illudunt, vbi felli draconum eſt obſepta via, quod vnum poſſunt, ſibilant, quid non poſſint, oſtendunt. *g Naz. orat. 1.* [*g*] Nihil hominibus adeo ſuaue ac iucundum eſt, quam de rebus alienis miſcere ſermones, præſertim ſi beneuolentiâ, vel odio trahantur, qui aduerſi ſunt veritati affectus.

¶ 2.

Qui profert contumeliam inſipiens eſt, obtrectator *Calumniator patitur calumniam.* deteſtabilis. nemini tolerandus. Diogenes maledico & caluo vnum reſpondebat, ad cætera tacitus. *Iam laudo capillos tuos, quod tam improbam caluam fugeriut.* Hoc primum maledicentiæ malum, quod eadem via occurratur. malè roganti, malè reſpondetur. [*h*] Qui quæ *h Sophocl. Eurip. in Andron.* non vult dicit, quæ non vult audiet. Et in hoc certamine par pari refertur, quin augentur mutuo concuſſu, & repercuſſu ignes, ex vno verbo cædes & bella naſcuntur. Sermo leuis haud leuiter volat, grauiter vulnerat, vt Bernardus. Amygdalum pruina, concordiam contumelia exurit. Quapropter ne legitima quidem accuſatio à canonibus admittitur, niſi de radice caritatis procedat, ſi cum irriſu, aut contumelia, repudiatur. Athenienſium hoc in genere nota erat rabies, apud

Digitized by Google

pud quos nemo bonorum morſus illos ſerpentinos anfugit, & quibus ſanata ſunt vulnera, manſit tamen cicarrix: Erat in illa plebe ficus ſuper ficum. Fano & arâ contumelia, & impudentia colebantur, [*i*] vt Cicero, & [*k*] Clem. Alexandrinus docent. Abydeni & Moſchi ad calumnias ſunt propenſi. Apud Conſtantium notus calumniator erat Mercurius, etiam ſomnia ad aliorum pericula trahebat. Et Paulus quidam Catena dictus: de quo multa [*l*] Ammianus. Talis Acacius Cyrilli apud Conſtantiũ accuſator. de quo [*m*] Theodoretus. De calumniatoribus S. Nareiſſi [*n*] Fulgoſus. Inſigne etiam exemplum in aula Alexandri: Regi carus videbatur [*o*] Dioxippus, proceres inuidia poculum aureum clam ſublatum ſub puluino poſuerunt, quâ contumeliâ tantum doloris concepit, vt ſcriptâ prius epiſtolâ, quâ innocentiam ſuam conteſtaretur, ſe manu ſuâ interemerit: furti enim conuictum pronunciabant.

i *l. 2. de legib.*
k *Exhort. ad gentes.*
l *l. 14.*
m *Hiſt. Eccl.*
n *l. 8 c. 1.*
o *Diod. l. 17.*

§ 3.

Contumelia etiam putatur ab illis, quos pulſat, cum ex vero dicitur. Multi periêre, dum vera crimina exprobrando, aut irridendo obiectant. Qui ſeuerum, verè ſeuerum, verè imperatorem nominis ſui, verè pertinacem dixêre, trucidati ſunt. Tacuiſſe oportuit: Infrenis oris vectigal eſt hæc calamitas. Alexandrini importunâ dicacitate Baſſianum Caracallam Oedipum, Juliam nouercam eius, quam vxorem duxerat, Jocaſtam vocabant, qua de cauſa multa cæde bacchatus eſt, & aliquot millia ceciderunt. Verum erat conuitium, ſed exprobratio irritabat. Domitianus Ælio Lamiæ vxorem eripuerat, hortabatur eum Titus imperator, vt aliam duceret. Tum ille: *An tu quoque eripere mihi vis, vt frater tuus?* Domitianus libertatem aſpere dicentis gladio vltus eſt.

Contumelia etiam in vero crimine.

Hera-

Heraclius dum Saracenos ſtipendia poſtulantes appellat canes, cauſam dedit, vt multis annis ab illis imperium laceraretur. Etſi peccaſſe fateantur, obiici tamen nolunt: nec fieri debet. Ex ſcintilla fit incendium, vt [p] Dorotheus, *Accendit quis ignem, primum habet carbunculum, id eſt, verbum vnicum, quo quis fratrum affligitur. Quid vnicum fratris verbum eſt, ſi illud æquo animo feras? illico ignitum carbonem extinxiſti. Sin vero poſt verbum illud tute tecum pergas cogitare & dicere, hoc mihi cur dixit, quid rei mihi eſt cum ipſo? niſi me affligere voluiſſet, hoc non eſſet locutus, ſed ne dubitet, ſe quoque à me pariter remordendum. En verbis huiuscemodi & cogitatione adieciſti ligna & fomenta, vt qui ignem accendit, cœpiſtiq́ fumum excitare, quæ eſt ipſa perturbatio.*

p *Doctrina* 8.

Plerumque fieri ſolet, vt qui alienos mordere ſe putant, proprias vocent carnes. [q] *Verboſus ſeparat principes,* in ſe vero concitat. Auguſtus primum leges contra delatores tulit: ſub Tiberio regnarunt. Nero præmia eorum ad quartas redegit. Veſpaſianus flagellis per theatra cædebat, Domitianus expulit, [r] Suetonius. Moderatè Antoninus, ſi non probaret capitis ſupplicium irrogabat. Macrinus vndique conquiſitos puniebat. nec tamen ceſſant, ne hodiè quidem talibus carent aulæ. Deo & hominibus in pœnas intentis pergunt maledicere, accuſare, ridere. *Deriſoribus conſtituta ſunt iudicia,* [s] vt Salomon proteſtatur. [t] *Honor eſt homini, qui ſeparat ſe à contentionibus: omnes autem ſtulti miſcentur contumeliis.* Cauſas deinde remouere iubet. [t] *Eiice deteriorem, & exibit cum eo iurgium, ceſſabuntq́ cauſa & contumelia.* nam odia etſi celantur, ſeſe tamen produnt. Abſcondat licet corde profundo, infra ipſos inferos, in ſolem tamen prodibunt.

q *Prou.* 16.28.
Pœna calumniatorum.
r *In Aug. Neron. & cateris.*
s *Prou.* 19.
t *Prou.* 20.3.
u 22. 10.
Cõtumelia non inferenda, ſed ferenda.

§ 4.

Contumeliæ acerbitas in Ennodio ſenatore, & patientia iniuriæ in S. Gallo Epiſcopo Aruernenſi apparuit. [x] Erat Gallus ex prima nobilitate Franciæ, ſummæ

x *Tur. de vita SS.* c. 6.

Digitized by Google

mæ auctoritatis in aula Theodorici regis, qui illius ad Epiſcopatum eligendi fuit auctor, ciuibusque inaugurationis die epulum præbuit. Ennodius inuidia & ambitione ſtuens contumeliis, calumniisque virum ſanctum vexabat. Ille nullo verbo reſpondebat, templa precatum adibat: cum in conuiuio alapa cæderetur, nec animo commotus nec aſperiore verbo de iniuria queſtus eſt. Vicit patientia iniuriam, modeſtia ambitionem, Ennodius in media platea occurrens, genibus aduolutus veniam orabat, & promptius ille dabat, quam petebatur, qui iam dudum ignouerat, & pro inimici ſalute lachrymas precesque fuderat, monuit tamen vt ſenatorem Epiſcopus, vt paſtor ouem, in poſterum conuitiis abſtineret, fututum etiam prædixit, vt epiſcopatu, quem ardentiſſime concupierat, arceretur. Paruit Ennodius, ſpem tamen epiſcopatus non poſuit, paulo poſt vt Eccleſiæ Gabelitanæ præeſſet, electus eſt, atque in ipſo momento adeundæ dignitatis, cum ſacris cerimoniis initiandus eſſet, orto tumultu deiectus eſt, & vix iratorum manus viuus euaſit, ſumma cum ignominia, qua & pœnas priſtinæ obtrectationis dedit, & viri ſancti prædictionem ratam oſtendit, ſimul anxiam ambitionem poſuit. Diuerſa, ſed durior fortuna [y] Brictij, qui S. Martinum exagitauit, ſenem delirum vocitando, aliaque conuitia ingerendo, pro illo ſanctus orauit, vt ſibi in epiſcopatu ſuccederet: quod quidem conſecutus eſt, ſed multis calamitatibus, & contumeliis obiectus miſeram & laborioſam vitam egit.

y Tur. de S. Mart. & ſulpitij *Martinus Brictius.*

Pœna non adeo grauis, facto tamen conſentanea, illata ſacerdoti, qui S. Nicetum ſtolidum appellarat: oris maledici ſupplicium fuit, vt deglutire ſalinum per quadraginta dies non poſſet, ſed more fatuorum, & inſanientium inuito humor deflueret. Sabinus & Creſecentinus, [z] Gregorium Agrigentinum in Synodo centum quinquaginta patrum accuſabant ſtupri cum Eudocia puella commiſſi, & illa pecunia cor-

Nicetius.

z Metaphr Sur. t. 6. Lipom. T. 5.

Digitized by Google

rupta in dedecus ſuum mentiebatur, vt innocenti probrum inferret. Laborabat oppreſſa teſtimoniis innocentia. Deus fraudem patefecit, nam dæmonem inferorum carnificem calumniatrici immiſit, qui veritatem tormentis extorſit, coëgitque fateri omnia eſſe falſa, illos odio & inuidia, ſe auro inductam, vt immerenti inſidias ſtrueret. Grauius in Cardinales iudices iniquos, qui Henricum Moguntinum archiepiſcopum loco mouerant, animaduerſum eſt, alter furens digitos præmordit, alter inteſtina, vt olim Arius eiecit. [a] Temerariam quoque contumeliam luit vir nobilis, qui Engelberto prçſuli Colonienſi maledicebat, eoque progreſſus eſt, vt ſibi furorem ante mortem imprecaretur, ſi ſanctus eſſçt Engelbertus: Vota audiit omnipotens, tanto furore debacchatus eſt, vt vxorem, & liberos occidere conaretur, Cauſæ irarum, quod eum Epiſcopus quadraginta marcis multarit propter filij incontinentiam, qui vim intulerat fœminæ.

a *Cæſarius Sur. T. 6.*

§ 5.

Cur magna pars hominum damnetur

Conſideratione dignum hoc eſt peccatum: eoque valde fugiendum, quod rara ſit eius pœnitentia, rariſſima famæ in integrum reſtitutio, & honoris reparatio. Summum inter homines bonum aufert, famam & honorem: difficulter adducitur vt reſtituat, nam ſe mendacij arguere aliquando opus haberet. Quare cum tot paſſim ſint detractiones, calumniæ, raræ reſtitutiones, conſectarium eſt, plurimos æternum perire præſertim magnates, qui famulis, cæteriſque inferioris notæ hominibus iure ſuo quodam in orbe vſitato, in cœlis damnato, conuitia dicere conſueuerunt.

Præſertim magnates.

***

C A P.

Digitized by Google

Cap. XXXVIII.

Contumeliæ & calumniæ ferendæ omnibus in ſublimi poſitis, & eorum ſeruis.

§ 1.

PRorſus ferendum eſt, quicquid maledicētia impo-nit. Neceſſitatis telum eſt, non volunt ora claudi, aërem proflant, hauriuntq;, linguas compeſcere nemo tyrannus potuit, non magis quam ventū vtribus includere, aut nubes obturare ne pluant. Fac de neceſſitate virtutem. Garamantes ſoli maledicunt radiis æſtuoſis fixi, ſi ferrent, beatiores. Vbiq; palam obſequia, in occulto ſimultas, irriſus, & contumeliæ, non læſuræ niſi dolentem. Hæc pati proprium eſt Chriſtianorum. [a] Dominus enim noſter beatos nos dicit, cum homines dixerint omne malum aduerſum nos, mentientes propter nomen Jeſu, at quid Chriſtianus? *Multa non audit, non videt, cæcus & ſurdus*, inquit [b] Juſtinus. Aulici degunt in regno inuidiæ, obtrectationis, dicacitatis, florenti liuor, miſero parata eſt irriſio. Daniel tot iaculis linguarum petitus, omnia tolerantiæ clypeo excepit innoxius. Juſſu regis vocatur ad carnificinam. [c] *Et egreſſa ſententia ſapientes interficiebantur: quærebanturq; & ſocii eius vt perirent.* Nihil queritur, ſed regem beneuole docet, & ſomnium exponit. à medis & Perſis crudeliſſime accuſatus, & ad Leones deductus, nihil queritur, tantum ſe innocentem eſſe, docet, ideo beluas non nocuiſſe. Omnia Daniel tulit, Deus illius defenſor, & vltor eſt.

a *Matth. 5. 13.*

b *De vita Chriſtian.*

Daniel.

c *c. 2. 13.*

§ 2.

Rem ipſam expēdenti haud graue fuerit, omnia illa nō modo ferre, ſed plane cōtemnere. Deus ipſe in quo viuimus & ſumus, iugiter toto mūdo maledictis inceſſitur, falſorum Deorū ſimulachra conſtituuntur, tanquam trophæa victi numinis qui Deum non ignorant, *Dei contumeliæ faciunt, vt noſtra negligenda ſint.*

Digitized by Google

ipſum quoque blaſphemant. non tot ſunt arborum folia, quot Deo inferuntur contumeliæ, creatori, redemptori, conſeruatori: & quis hominum conqueri audeat parum ſe comiter haberi? Si dolendum eſt, ſi iuſta cauſa irarum videtur, in tantæ maieſtatis contemptu, & contumelia tantum iuſta eſt indignatio.

Si tu quoque contra Deum feciſti, ſi in legem Dei commiſiſti, noli mirare, vt alienæ in te linguæ aſpe-rentur, meruiſti, contra peccantes omnis creatura armabitur, factori ſuo vltionem petitura. Si de alio dixiſti, quæ in te dici nolles, legem tuam agnoſce: patere, quæ pati alios coëgiſti. Hoc ſolum enitere: vt vita tua maledicos mendacij conuincat. Virtute ſola iacula in mittentem retorquentur. Ita viue, vt de te nemo malum credat. Conuitia in te iacit turba? ne concidas animo. Vide, ne illi minora carpant, maiora neſciant. Forſitan ſunt illa verba vitiis tuis remedia, ſalubri dolore vomicas ſecantia. nocent dulcia, proſunt amara, ſuauia bilem augent, acria abſtergunt, laudes arrogantiam, vituperia modeſtiam generant. De alieno malo profice. Venena, ſi recte vtaris, efficaciſſimam faciunt medicinam. Scorpius crudele virus arcuato ſtimulo infundit, & ipſe remedium eſt vulneris, quod fecit. Nec laus meliorem facit, nec vituperatio deteriorem: ſed illa ſecurum, hæc ſollicitum. Verba male prolata, ſi vrges, litem gignunt, ſi diſſimules, in laudem cedunt. Nullum præſentius innocentiæ ſignum, quam maledicti patientia. [d] Saul crudus ab aratro rex, nondum in aula perpolitus, quãdo improbi electionem irridebant, ſe diſſimulabat audire, nec populo in vltionem accenſo conſenſit. Viri fortis eſt contumeliis ab officio non dimoueri. [e] Richardus Riceſtrienſis Epiſcopus, omnibus ſpoliatus, ad extremam inopiam ab Henrico rege redactus curam gregis non abiecit. Alieno tecto vtebatur, & ſæpe cum contumelia reiectus res Eccleſiæ repetebat.

Peccans eſt dignus contumelia.

Vituperia purgant.

d 1. *Reg.* 10 27.

e *Rodulphus Ciceſtrienſis Surius t.* 3.

§ 3.

Digitized by Google

§ 3.

[f] Attamen ſeruanda fama, & maledicis occurrendum: Curandum, ne tacendo crimen videatur agnoſci. Hoc quidem præcipue, cum à noſtra fama diuinæ gloriæ & cultus augmentum dependet, cum infamia noſtra proximi ſalus periclitatur, at crebro leues culpæ ſunt, aut errata minuta, atq; acta quæ ipſi proceres narrant, quibus gloriantur, ſi eadem alius dixerit, ira & vindictę cupidine inſaniunt, fallunt, mentiuntur & de ſucceſſu doli gloriantur, ſi quiſpiam hic ſcapham dixerit ſcapham, aut ligonem eſſe ligonem, non niſi ſanguine veritas expiatur. Fama legibus, & ſine furore defendi poteſt, cum neceſſe eſt. Pleriſque magis opus eſt morum emendatione, vt boni ſint, quā famæ raſtitutione, vt honeſti videantur. [g] Hoc conabatur Ludouicus Landgrauius, qui cum in venatione lōgius prouectus, amiſſo comitatu ignotus ad lignatorem diuertiſſet, omniaq; ſua, & aulæ vitia audiſſet, agnouit, & correxit, maxime territus, quod homo ruſticanus dixerat, Et principem, & proceres inferorum cruciatus eſſe meritos. quæ ille non vt à maledico dicta, ſed à Deo pronunciata accepit. Erat ruſticus ille linguæ ſeruus, & Dominum, vt abſentem, rodebat, at princeps aurium ſuarum Dominus, quam vere iſta dicerentur ſecum cogitabat. Non ſunt cuncta in diſquiſitionē vocanda. Nihil aliud magnatibus agendum foret, ſi de ſua fama cognoſcere vellent, omne tempus ſeruulorum ſermones occuparent. Præclare [h] Titus imperator, in delatores flagellis, & virgis cæſos deportari iubebat, accuſationem illius, qui maledixiſſe ſibi ferebatur, non accepit: regia voce profatus: *Cum nihil mali faciam, nihil contumelia dignum, mendacia non curo.* Magnus animus Theodoſij, qui lata lege vetuit ſuos obtrectatores puniri, quanto is maior illis, qui vnius dicti offenſa vrbes exciderunt, nulla re magis indignati, quam quod vera dicerentur. Nec fama mouentur, ſed furore:

f August. T.7.p.202.

Fama quomodo defendenda.

g Spangenb.

Ludouicus auditis vitiis ſuis reſipuit.

Titi moderatio.

h Sueton. Tit.

Theodoſii lex.

omnia enim à maioribus ferunt, in minores ſæuiunt. Si famam tuam proximo vtilem contaminari doles, cur de tua magis, quam de aliena læſa iraſceris? cur ita torqueris iniuſtitia aliena, vt à tua iuſtitia recedas? Quid moueris? malo displicere laudati eſt viri. Magnum bonum eſt, quod diſplicet malis, malus autem eſt omnis obtrectator. Aderit famæ tuæ veritas æterna, niſi eam tu factis tuis inquinaris. Franciſcus de Paula ab improbo calumniatore oppreſſus, cum innocentiam nec teſtibus, nec verbis aſſerere poſſet, eam prunas cõplexus cum admiratione repræſentauit. [*i*] Lingua calumniatoris ignis erat in flammans rotam natiuitatis, *lingua ignis eſt vniuerſitas iniquitatis*, eum ignem ſuſtulit alius ignis, dum nefas oſtendit ſæuire in innocentem.

i *Iacobi* 3.6.

¶ 4.

Si igitur vera ratione contumelias odimus, primum ante omnia deteſtemur, quæ numini inferũtur, deinde quæ Dei amicis, aliiſque, quos nobis caritas proximos eſſe, iuſſit. [*k*] Sancta mente Beſa miles eos, qui Julianum & Eunum Martyres, dum camelis impoſiti, per vrbem circumducti flagellis laniarentur, & rogo iniecti exurerentur, cõuitiis inceſſebant, inſultàbantq; reprehenderat. quam ob cauſam ad iudicem tractus, capite eſt truncatus. Chriſti gloriam, & Martyrum innocentiam in refutandis maledictis defendebat. Nihil inde ſibi cõmodi, niſi Martyriũ ſperabat. At Martyres ipſi qui cruciatibus ſuis illudi videbant, ſibi gratulabãtur, contemnebant ſui contemptum, ſciebant facere illos, ꝙ ſolent hoc eſt maledicere. Fecerunt illud, & alij licet improbi Chryſippus maledico reſpondit: *optime feciſti, quod nihil eorũ, quæ in te ſunt, prætererius.* Socrates mirantibus improbi conuitia: *Non didicit*, inquit, *bene loqui.* Ariſtippus: *vtinam Dominus linguæ eſſes.* Piſiſtratus cum audiret à maledico ſe laudatum: *mortuum me putat*, inquit, *de nullo enim viuo bene locutus eſt vnquam.* Contemnenda ſunt Chriſtianis illa vitia, homines ipſi miſerandi: Non reſpondendum: nam vti porticus Olympica ſepte-

k *Euſeb.* l.5.c.30. *Martyr. Rom.* 27. *Febr.*

ſeptenis vocibus reſonant, Metuant omnes, quod [l] Granatenſis habet, & probat. Maximam partem hominum illo ſcelere perire, quo aliorum famam lædit, vix aliquem apud inferos eſſe qui non ſit contumelioſus obtrectator, & delator. Fit hoc vitio humani ingenij aliena infamia gaudentis. Huic ſententiæ aſſentior, & alteram adiungo, maximam quoque partem damnari, dum acerbius recriminantur, & augent malum ſua impatientia. Anaſtaſius Synarita cum dies ſupremus adeſſet, iamq; accuſator diabolus crimina pararet, & tribunal appareret, terrorq; iudicis, hilariter mori ſe affirmabat, quod nec vllum iudicaſſet, nec iniuriam intuliſſet: quo continebatur patientia tolerandi, & cautio non malefaciendi. [m] Remouendum igitur os prauum, & labia detrahentia. Deinde vetat cum illis agere. [n] *cum detractoribus non commiſcearis* Sepulchrum patens eſt guttur eorum, & *Ventus Aquilo diſſipat pluuias & facies triſtis linguam detrahentem.*

l conc. 3. dom. 3. quadrag.

m Prou. 4. 24.

n Prou. 24. 21.

o Prou. 25. 23.

Cap. XXXIX.

Accuſationum ciuilium, Aulicarum delationum, obtrectationum, calumniarum deteſtatio.

§ I.

DE falſis criminibus deferre inſontes non in palatio ſed in omnibus conuentibus vſitatum eſt. Daniel exẽpla præbet. Medorũ & Perſarum nobiles, gentium lictores Babylonis opibus ſuperbi ad falſas criminationes vertuntur. [a] & ex tanta generoſitate in ſycophantas degenerãt. Nec Chaldæi mitiores in Danielis collegas [b] *ſtatimq; in ipſo tempore accedentes viri Chaldai accuſauerunt Iudæos.* Malitiæ tantum hactenus defuit occaſio, qua data ſine mora, ſine modo inſaniunt, & atrociter calumnioſeq; deferunt [c] *viri iſti contempſerunt decretum tuum.* Non enim cõtemptu regis ſed conſciẽtia reſtiterunt. Delatio ſenum grauiſſima: [d] *quod ſi nolueris*

a c. 6. 11.

b c. 3. & 8

c c. 3. 12.

d c. 13. 12.

lueris, dicemus cōtra te teſtimonium, quod fuerit tecum iuuenis, & ob hanc cauſam emiſeris puellas à te. [e] *Anno tertio Cyri regis Perſarum Daniel luget trium hebdomadarum diebus, panem deſiderabilem non comedit, & caro & vinū non introeunt in os eius, ſed neq; vnguento vngitur.* Cauſæ tantæ triſtitiæ, in qua & mortuus videtur Propheta, delationes falſæ ad regem Perſarum, quæ deſcribuntur ab Eſdra: [f] *conduxerunt autem aduerſus eos conſiliatores, vt deſtruerent conſilium eorum omnibus diebus Cyri regis Perſarum, & vſq; ad regnum Darii regis Perſarum.* Perfidè & malè rem proponendo & Cyrum & deinde Artaxerxem deceperunt. At tempore Darij facile obtinuerunt, vt templum exſtrueretur, & ſerio adiuuerunt.

e c. 10. v. 1. & 3.

f l. 1. c. 4. 5.

§ 2.

Prædonibus ſunt deteriores, illi noſtra rapiunt, hi nos diripiunt. Scelus illud furto grauius eſt, quemadmodum honor opibus. [g] Gratianus homicidio comparat. [h] Bernhardus triplex homicidium eſſe affirmat, detractoris, audientis, eius, qui infamatur. Hoc ipſo ſunt homicidæ, quod inauditos perire cogunt. [i] Chryſoſtomus humanas carnes mandere probat. [k] Ea cauſa Salomon repentinam illis minatur perditionem. Clemens etiam Papa homicidij genus eſſe definit. Auguſtinus quoque non eſſe minus periculum in lingua mentiente, quam manibus ſanguinem fundentibus aſſerit. Hoc ipſum de ſe deſperantium eſt, velle placere in comparatione malorum. [l] Tribuunt mala pro bonis: [m] pro eo, vt diligant, detrahunt. [n] Dauid non minus orat, ne tradatur calumniantibus, quam inimicis. Odibiles Deo ſunt, terra obtrectatores abſorbuit, Moſes autem defenditur. Vnam ex ſummis mundi calamitatibus eſſe cenſet [o] Salomon: *vidi calumnias, quæ ſub ſole geruntur, & lachrymas innocentium & neminem conſolatorem: nec poſſe reſiſtere eorum violentiæ, cunctorum auxilio deſtitutos.* Et: [p] *à tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit:* *Dela-*

g Diſt. 1.
h De cuſtodia triplici.
i Hom. 3. ad Antioch.
k Prou. 24. 22.
l Pſ. 37.
m Pſal. 108.
n Pſal. 118.
o Eccl. 4. 1.
p Eccli. 26.

Delaturam ciuitatis, & collectionem populi, calumniam mendacem ſuper mortem omnia grauia. [q] Eſaias vehementer deteſtatur: *non adiicies vltra vt glorieris, calumniam ſuſtinens virgo filia Sidonis: in Cethim conſurgens transfreta, ibi quoque non erit requies tibi.* Sic [r] Amos quoq; Propheta: *auditum facite in ædibus Azoti, & in ædibus terræ Ægypti: & dicite: congregamini ſuper montes Samariæ, & videte inſanias multas in medio eius, & calumniam patientes in penetralibus eius.* Vel ex eo deteſtandum malum, quod Dæmonis eſt proprium. A calumniando enim dictus eſt diabolus, quem portat in lingua quisquis aliorum famam infeſtat. Plus ille archiſycophanta per calumnias, quam per hoſtes mali ſtruit. Nam & lingua ſanguis funditur. Calumniis olim Ethnici Chriſtianos grauius, quam igne & gladio petebant [s] Juſtino teſte, & [t] Tertulliano. Calumnia imprimis excæcat ipſum auctorem. Puluerem ſibi ipſi in oculos ſufflat, vt minus videat. In crimen vocat omnia, nihil probat. Infamia non facilè credenda, ſed probata vindicari debet. Gladius eſt, quo ignauus vincit præſtantiorem: nihil illâ malignius. Quare vt vipera calumniator perimendus eſt. Damaſci Præfectus cum vincere fidem Chriſtianorum non poſſet, famam aggreſſus eſt, meretrices, quæ Chriſtianos commercij ſecum habiti inſimularent, ſubornabat. Populus Nobertum, oues Paſtorem penè inter ipſa ſacraria occiderunt, ſparſa per improbos fama, cum theſauro eum aufugere voluiſſe.

q 23.12.
r 3.9.
s *Ad Anton.*
t *Apol.*

§ 3.

Magna culpa loquentium, quam incitat audiendi facilitas. Tiberius nulli calumniatori fidem abrogabat, quare vix ſucceſſorum labore & pœnis rabies ſycophantarum cohiberi potuit. Delatori conuicto caput auferebatur, & ne viri graues teterrimo cuique, & propter inopiam malefico obnoxij eſſent, accuſare non licebat, niſi qui quinquaginta aureos haberet.

u *Ad Nepotian.* Cauendum itaq; ne facile audiamus.[u] Hieronymus: *hilari*, inquit, *vultu qui audit, adiuuat*. Nemo inuito auditori libenter aliena defert crimina, vt Gregorius monet. Et Synod. 8. non ſolum illum reum eſſe, qui falſa de aliis profert, ſed etiam eum, qui aurem citò criminātibus præbet. Hunc Anacletus Pontifex deteriorem affirmat. Vilis autem eſt hominis, alios viles facere, vel duplici malo aliorum gaudere, infamantis & infamati. In palatio cum peſtis illa inualuit, fulminis inſtar plurimos ſternit. Bonifacium armis inuictum, Auguſtini familiarē, calumnia ſuperauit, vt indignatus barbaris Africam traderet. Aëtius à Maxima tam vehementi calumnia oppreſſus eſt, vt irritatus Valentinianus eum propria manu interficeret. Conſtantinus venenum fugit ſibi paratum ab vxore, quod ipſe ſubornârat. Nec inter ſacros homines rarum eſt. Gebhardus Ratisbonēſis Antiſtes Ramwoldum apud Othonem accuſat, ſed ſanctitas eum & iudicium Cæſaris inſontem oſtendit. Cœpit etiam ille furor inuadere Monaſteria, & Eremitarum greges, vt ex vitis Patrum ſatis conſtat, optimos enim quosq; deferebant, donec plane diſſiparentur. Neceſſe eſt enim eos, qui ſe inuicem mordent, & rodunt, inuicem conſumi.

CAP. XL.

Adulationes aulicæ, & loquendi libertas in curia.

§ I.

CAlumnia iaculum eſt viperino felle illitum, gladius eſt vitalia penetrans, acutus, os durum chalybe munitum. Maledictio, contumelia, arma hoſtium apertorum. Adulatio dulce venenum, armatura inimicorum, ſymbola atq; inſignia amici præferentium. Oleum virulentum eſt, ſed melle illitum, palatum ludificat. Balſamo ſimile, quod odore inuitat, vnctione prodeſt

prodeſt, intra viſcera admiſſum letale eſt. Vtrumq; linguæ malum eſt, vtrumq; perimit, illud ſæuiendo, hoc blandiẽdo. Vtrumq; in eadem lingua virus eſt. Omnis obtrectator paraſitus, omnis aſſentator etiã ſycophanta eſt. In medio poſita eſt parrhiſia iuſta linguæ libertas, quæ nec malis adulatur, nec inſontibus obtrectat. Illos admonet, hos confirmat. Res, in aula rara, nec quidem in reliqua mundi parte frequens. Quamdiu quidem Daniel in Babylonio palatio fuit, medium tenuit, extrema medio & ſibiipſis contraria fugit. Regem regum agnoſcit Nabuchodonoſorem, ſed à DEO datam potentiam, & mox deſituram pronunciat. [a] *Tu rex regum es: & Deus cœli regnum & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi: & omnia, in quibus habitant filii hominum, & beſtia agri: volucres quoq; cœli dedit in manu tua, & ſub ditione vniuerſa conſtituit.* Ne glorietur mox addit, [b] *poſt te conſurget regnum aliud minus te: & regnum tertium aliud æreum, &c.* Ei igitur mortem, & in alium translatum iri imperium prædicit. [c] Deinde eum de ſanctis dicit regnum alteri populo non dandum, ſatis indicat Babylonios ſeruituros iterum. [d] Imo *comminuet*, & conſumet omnia regna hæc. Quantum libertatis in Propheta fuerit, quam fugerit aſſentationem, cum verba illa profert & explicat: [e] *tunc contrita ſunt pariter, ferrum, teſta, æs, argentum & aurum, & redacta quaſi in fauillam æſtiuæ areæ, quæ rapta ſunt vento: nullusq; locus inuentus eſt eis, &c.* experietur ſi quis in regum palatio dicat, breui in aliam gentem regnum transferendum eſſe. Non audiunt iſta Principes, ne nobiles quidem, & magnates. Pari animo Danielis amici regis impietatem reprehenderunt. [f] Quam apertè regi Daniel fata miſera prædicit? [g] *hæc eſt interpretatio ſententiæ Altiſſimi, quæ peruenit ſuper dominum meum regem. Eiicient te ab hominibus, & cum beſtiis feriſq; erit habitatio tua, & fœnũ vt bos comedes, & rore cœli infunderis: ſeptem quoq; tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias, quod dominetur* Excelſus *ſuper regnum hominum, & cuicunq; voluerit, det illud.*

a c.2.37.38.
b c.2.39.
c c.v.44.
d v.eod.
e v.35.
f c.5.
g c.4.21.22.

Impro-

Improbum fuiſſe regem, & cauſam ſupplicij ab ipſo
h c.4.24. datam diſerte monet: [h] *quamobrem, rex, cõſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitatés tuas miſericordiis pauperum: forſitan ignoſcet delictis tuis.* Cui nunc animus eſt, cum videt reges impia bella gerentes, hæreſeon patronos, ebrioſos, adulteros, raptores, vt procedat in medium, & ad pœnitẽtiam hortetur? Totis regnis nullus eſt Daniel, ideo nec Deus ignoſcit. Sanè Baltaſari adulatus non eſt, nec dignitate paſſus corrumpi veritatem. Non modo ſcripturam explicuit, verum etiã regem reum pronunciat, & exitium meruiſſe
i c.5.22. 23. dicit: [i] *tu quoque filius eius Baltaſſar nõ humiliaſti cor tuum, cum ſcires hæc omnia: ſed aduerſus dominatorem cœli eleuatus es: & vaſa domus eius allata ſunt coram te: & tu, & optimates tui, & vxores tuæ, & concubinæ tuæ vinum bibiſtis in eis: deos quoque argenteos, & aureos, & æreos, ferreos, ligneosque & lapideos, qui non vident, neque audiunt, neque ſentiunt, laudaſti: porro Deum, qui habet flatum tuum in manu ſua & omnes vias tuas, non glorificaſti.* Poterat hæc tacere; nec enim ad intelligentiam Scripturæ erat neceſſaria tam grauis exprobratio, non profutura pereunti, ſed libertate vſus eſt.
k c.11.3. De Alexandro quoque prophetat: [k] *cum ſteterit, cum fecerit, quod placuit ei, conteretur.* Cum nimirum adulatione deprauatus adorari ſe pro Deo iuſſerit. Antiochum quoque magnum adulationibus corruptum
l c.11.27. periiſſe conſtat. [l] Si enim Annibali paruiſſet vera dicenti, defendi poterat. Porro ſupremus eſt gradus adulationis, cum ſibi ipſi magnates blandiuntur, qualis fuit in Antiocho, qui locutus eſt aduerſus DEVM magnifica. Et in Antichriſto futuram va-
m c.11. 36.37. ticinatur: [m] *& faciet iuxta voluntatem ſuam rex, & eleuabitur & magnificabitur aduerſus omnem Deum, & aduerſus Deum deorum loquetur magnifica, & dirigetur donec compleatur iracundia, perpetrata quippe eſt definitio. Et Deum patrum ſuorum non reputabit: & erit in concupiſcentiis fœminarum, nec quenquam deorum curabit, quia aduerſum vniuerſa conſurget.*

§ 2.

Digitized by Google

§ 2.

Grande igitur aulæ malum eſt, tam graue quam dulce, aſſentatio amici improbi, [n] vt Curtius, [o] & Vopiſcus. Auguſtinus linguam adulantem peſtilentiorem cenſet manu interfectoris. Blandum enim, ſed letale vulnus infligit. [p] Hieronymus quoq; in eandem ſententiam: *Adulatores vt inimicos caue, quorum ſermones ſuper oleum ſunt molles, & ipſi ſunt iacula*: animos leues corrumpunt. Nam ſuaue vulnus ſpernunt & ſuo malo fauent. adulator ſeducit vt delectet. [q] Eſaias tales fuiſſe falſos Prophetas ſui temporis narrat: Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant. Salomon quoque fraudem in adulatione agnoſcit: [r] *Melius eſt à ſapiente corripi, quam ſtultorum adulatione decipi.* Mentem enim emollit pernicioſa dulcedo. Queritur & Hormiſdas Papa inimicam eſſe iuſtitiæ bonitatem. palpare criminoſos, & vulnera eorum, vſque ad diem iudicij incurata ſeruare. Plane ſeruantur, & recrudeſcunt, nec coaleſcere ſinit perpetuus mali prurientis confrictus. [s] Hieronymus in domibus regum adulatores eſſe queritur. Nec immerito, vbi ſunt & molles veſtes, & verba ſerica. Eadẽ ſentẽtia Petri Rauennatis: *eliminat à palatiis adulatio veritatem, & illi ſoli in gratiam magiſtratuum admittuntur qui palpant blanditiis.* Ipſi magiſtratus porro amplificant beneficiis quos torquere debebant. Fallit adulator, cum ferit, amica loquitur. Cani lupus eſt ſimilis, paraſitus amico. Vitrum imitatur gemmas: magi faſcinatores laudando necant. Pardi odere beſtiæ dum illiciuntur, pereunt. Omnis enim adulatio amicitiæ expers eſt. Letale porro crimen eſt, laudare, vt noceas, aut ſeducas. Qui dicit impio iuſtus es, maledicent illi populi. Nemo aſſentatorem credat amicum: Mendax enim eſt. Nam Auguſtinus adulationem definit eſſe mendacium cupiditate placendi de ſuaui eloquio. Mentitur autem amicitiam, qui mentitur & laudem tuam. Præſtat bene offendere, quam malè

n l. 8.
o In Aureliano.
q c. 3. 12.
r Eccl. 7. 6.
s In Ezech. 11.

t *Epiſt. ad Caſulanum.* malè placere. Virilis ſententia Auguſtini, [t] *melius eſt pro veritate pati ſupplicium, quam pro adulatione beneficium recipere.* Canones ea cauſa Clericos adulatores deponi iubent.

§ 3.

Adulatores parit, alitque audientium facilitas. Quicquid congeſſit adulatio, vt debitum prendimus. Qui non laudat, aut inuidus putatur, aut inimicus, certè moroſus, & ſuperbus. Eâ causâ pro amico admittitur blandus inimicus. Laudatus etiam cum erubeſcit, lætatur. Nam in periculo eſt, ne lætitiam ex aſſentatione conceptam prodat vultu. Quanquam enim foris reſiſtitur, & in ſpeciem paraſitus reprehenditur, intus tamen auditur, & laudibus hoc adiici pulchrum putatur, laude ſua videri non delectari, &, quod inexcuſabile eſt, etiam hoc agitur, cum encomium vanum eſſe cognoſcitur. Etiam cum ab illaudatis probroſa laus defertur. Nihil autem eſt miſerius paſtore, qui luporum laudibus delectatur. Hîc remedium præſens eſt, ſi credantur obſequium ſimulando illis illudere, quos laudant, quibus nocere non poſſunt, niſi recipiantur. [u] Cum audiuntur bona nunquam dant conſilia, ſed quemadmodum vmbræ ad motum corporum cientur, ita adulatores omnibus factis & dictis applaudunt. Stolidi, degeneri animo, & ridiculi. Damocles circa Dionyſium, tanquam liberum Patrem ſaltabat. Æthiopes, ſi qua rex infirmitate, aut defectu teneretur, eadem ſe parte corporis debilitabant, tam fatua erat placendi cupido. Stulti qui ſic illudunt, ſtultiores qui tantâ inſaniâ delectantur, & non, quid ipſi ſint, aut aliis videantur, ſed quid de ſe alij mentiantur, expendunt. Non à conſcientia, quæ ſemper patet Deo, & Angelis, quæ ſemper in multitudine eſt, ſed à ludionibus atq; irriſoribus rationem vitæ ſumunt, ab illis, inquam, qui nec ipſi ſuis credũt verbis. Tribonianus

u *Agapetus ad Iuſtinianũ.*

nus Juſtinianum immortalem fore affirmauit, ſtultus ſi credidit, ſtultus qui retinuit paraſitum. Tiridates rex Armeniæ Neronem ſuum DEVM & ſua fata dixit, à Corbulone in regnum reſtitutus eſt, & vicies centena aureorum millia accepit, vt Cæſarem ſic irrideret: hiſtoria eſt apud Xiphilinum. Facile eſt reiicere ignobili vilitate irridentem, ſi oſtendas te fraudem agnoſcere. Pudet indecoræ adulationis. Philippum in Deos Meſſenij retulerunt, & illud Regi pſephiſma transmiſerunt. Ille facetè monuit, vt ipſi ſe prius deos facerent, deinde alios. Athenienſes Antonio deſpondere Mineruam, ille dotem exegit. Alexander Caſſandrum adulantem in parietem impegit, librum Ariſtobuli falſis laudibus refertum in Hydaſpen proiecit, non ſuæ laudis impatiens, ſed irriſionis. Diogenes laudantem admonuit, deſineret, nihil illum proficere, ſe nihil intelligere. Cicures ſunt belluæ, ſed letaliter vulnerant.

§ 4.

Inter aſperitatem & blanditias media eſt libertas. Tam rara virtus, vt vix ſingulis ſæculis fuerint, quorum libertas ſpectata reges corriperet. Alexandrum, Neronem, alios morituri cruciatuum magnitudine aſperati increpuerunt, Auguſtum Mœcenas ſupplicia decernentem, cum diceret, Surge tandem aliquando carnifex. Antigonum Zeno Cittieus adeo moleſtus, vt rex multis muneribus libertatem eius oppugnarit, [x] ſed fruſtra, non enim mollitus eſt, vt vera taceret. Beronice Ptolomæum maritum reprehendere auſa eſt. [y] Maiore periculo vxor Polyxeni fratrem Dionyſium Siciliæ tyrannum; profeſſa ſe ſi ſciuiſſet, cum marito in exilium fuiſſe ituram, malle ſe vxorem dici Polyxeni, quam tyranni ſororem. Pepercit ſanguini ſuo tyrannus, non amore propinquitatis, ſed metu infamiæ. Magno deinde à Syracuſanis in honore fuit, eique regium ſepulchrum conſtitutum, quod

x Laert. l. 7. c. 1.

y Ælian. 14. c. 43.

quod vna fecerit, quæ nemo audebat. Chriſtiani plurimi & verbis & ſcriptis impiorum regum crimina incuſarunt. Antoninum Pium Juſtinus cōſiderare iubet vt ſic imperet, ne ſolo nomine Pius vocetur, rem perſequendo Chriſtianos amittat. Nec mirum Chriſtianos auſos cum vitam aliam ſperarent. Auſus eſt Democritus Abderites liberè apud Philippum ſine metu regiæ ſæuitiæ cauſam Athenienſium agere: cumque rex minitabundus interrogaret: an non timeret ne protoruię iſti caput auferret? Reſpondit: ſi id rex faceret, patriam immortale daturam. At quomodo daret immortale ipſa moritura? Si memoria beneficium coleret, illa ipſa interitura erat; ſi ſtatuam collocaret, mortuum ſignum mortuo ſtatueret, breui deiiciendum. Deus ſuis & totum & immortalem vitam reddit. Fortior Democrito Antonius Siculus, & liberior, qui cum Turcarum claſſem ad Callipolim incendiſſet, & Imperator adductum ad ſe miraretur eum hoc auſum. Ipſe viciſſim tyrannum eiusque ſcelera increpans, mirari ſe aiebat illius admirationem, cum palam eſſet, ſe odio Turcicæ tyrannidis feciſſe: nec vllum ſupplicium recuſauit, vt
z l.3.c.4. refert Egnatius. [z] Magni facienda eſt libertas, recti tenax, ſupplicij contemptrix. S. Georgio Cappadoci magno ſtetit ſua libertas, ſed maius fuit libertatis pretium. Quia namque magna libertate in dæmonum crudeles & impios cultores inuehebatur, vngulis roditur, calce vulnera vruntur, fidiculis tenditur, demum membratim cōciditur, vt Metaphraſtes, Paſicrates, [a]
a T.2. Surius. Par libertas & loquendi & agendi in Procopio aulico veterano, Cæſarum amico, duce Orientis, ille idola confracta pauperibus diſtribuit, vt de deſtructo cultu dæmonū mēbra Chriſti reficeret: qui ipſe quoq;
b l.7.15. vngulis, ignibus, ferroq; tortus libertatis præmium tulit, in perfectam libertatem filiorum Dei aſſertus. [b] Nicephorus, Surius. Nec modo libertati apud Ethnicos precium, periculoſum etiam fuit reges Chriſtianos admonere. Vadinus Epiſcopus Londinenſis regem

Vortigerum reprehendit, quod Chriſtiana coniuge repudiata Ethnicam pellicem induxiſſet qui diris ſupplicijs eſt excarnificatus. [c] Petrus Coloricnſis Epiſcopus ob Matthiam Vngariæ Regem de vitiis admonitum ſex annos in ſqualore carceris iacuit. Et ne ſolos reges impatientes veri putemus, Arnulphus Epiſcopus Brixienſis à clericis, quorũ peccata deteſtabatur, ſubmerſus eſt. Vitia enim licentiam ſuam vituperandi libertate conſtringi nolunt. *c Bonf. l. 6 decad. 4.*

¶ 5.

Nec cedendum tamen eſt. Proceres, Epiſcopi, viri docti & pij inſurgere debent, Dei cauſam agere, vt ſi potentium peccata non poſſunt ſiſti; tamen erubeſcunt, & lentius ad interitum tendãt, trahãtq;. Ambroſius Theodoſium, Chryſoſtomus Arcadium & Eudociam, Gregorius Attilam, Benedictus Totilam, Agapetus Juſtinianum, Thomæ, Cantuarienſis, & Morus reges Anglos, Stanislaus Boleslaum, publice & grauiter, & multo magis eorum Palatinos admouerunt. Ignatius Conſtantinopolitanus Bardam propter adulterium templo arcuit. Iacobus Gneſnenſis Vladislaum Secundum Poloniæ Principem, fratres expellere conatum diris deuouit. Gerardus Zaladienſis Epiſcopus Petro regi diadema imponere recuſauit, quod conſiliarios quadraginta ſtipite crudelem in modum adacto trucidaſſet. Deinde cum ab alio coronã accepiſſet, celerẽ mortẽ prædixit, & prophetiam firmauit euẽtus, vt [d] Fulg. Wilhelmus Roſchildenſis Sueonem regem Daniæ, ob cædem in templo factam, duriter increpitum, fidelium ſocietate eiecit. Dunſtanus Ethelſtanum ad pœnitentiam hortatus eſt, & quamuis omnia promittentem, ipſo die inaugurationis Oraculo perterruit, regnumq; ſanguine fraterno partum infelix fore aſſeuerauit. Iſacius Monachus Valentem impium, in prœlium, quod infauſtũ fore præſagiebat, ire vetuit, quod criminibus illius exitium deberetur, iubet eum Epiſcopus reſtituere, quos vrbibus expulerat, Arianis *d l. 6. c. 2.*

ſubſtitutis. Non paruit Valens, vatem ſuum in carceres coniecit, victus, & exuſtus eſt. cladē carceris cuſtodib' narrauit Iſacius. vt [e] Zonaras [f] Theodoretus, [g] Nicephorus. In eundem Valentem Traianus ductor copiarum libere locutus eſt, cum negaret, ſe victum eſſe, ſcelere Imperatoris victoriam corrumpi. Rarum tamen eſt vt Præfecti & Magiſtratus ſuos moneant Reges. Theodoſium Juniorem nemo monebat, cum illius præfectus Antiochiæ auro corruptus Judæorum Synagogas reſtituere iuſſiſſet. Simeon Stylites de columna Cæſarem appellat, intercedit, atque vt præfectum parum religioſum amoueat, hortatur. Regnant hodie paſſim iſta vitia, deſunt monitores, torpent vindices. Quis regum hodie experitur, quod tremuit Anaſtaſius, cum ſeuerus monitor apprehenſa purpura diceret: Hæc te veſtis, Imperator, non comitabitur ad Tribunal Omnipotētis? Quis principi in res Eccleſiæ manus iniicienti dicere auſit, ꝗ Conſtantio Leontius Tripolitanus obiectabat: miror ad alia deſtinatum, te rebus Fidei iudicandis ingerere, & epiſcopis præſidere: Peccatur liberius, quia iam dudum ceſſat vigor Sacerdotalis, eoq; res deuenit, vt etiam minores ſi moneantur, iniuriam fieri arbitrentur. Interim manet in palatio lex fraternæ charitatis: vt illum admoneas, in quo fructum ſperas: ipſum etiam regem. Si res male adminiſtrari, opprimi ſubditos, capi dona vides, & taces, reus es, ſi non conſors prædarum, particeps tamen delictorum. Non eſt enim duntaxat data, ſed etiā præcepta in aula libertas.

e l. 3. f l. 4. g l. 10. c. 50.

CAP. XLI.

Comitas aulica, vrbana, nobilitatis humanitas.

HAnc exercet aula virtutem, veram; ſi verbis, geſtibus, vultui reſpondet animus ſincerus: hypocriſin; ſi operoſis cærimoniis occulta tegitur ſimultas. Daniel ſane comiter, & vrbane agit. Regi prædicturus mala

Danielis comitas.

Digitized by Google

mala imminentia, ac triſtia deprecatur: [a] *Domine mi, ſomnium his, qui te oderunt, & interpretatio eius hoſtibus tuis ſit.* Adeo conturbabant eum cogitationes, vt eum rex hortaretur, ne formidaret, ſed libere enunciaret, quæ Deus reuelaſſet. *Tunc Daniel cœpit intra ſemetipſum tacitus cogitare quaſi vna hora & cogitationes eius cõturbabant eum, Reſpondens autem Rex ait, Balthaſſar, ſomnium & interpretatio eius non conturbent te.* Nec refugit vti titulis vſitatis, quamuis adulationis ſpeciem præferrent, vt cum dixit: [c] *Rex in æternum viue*, quem nouerat intra annum moriturum, ſed cõmuni & vſitato titulo, qui regibus ex more dabatur, in bonum ſenſum vtitur. Nimirum optabat regi quem ad Dei cognitionem adduxit deinde vitam æternam. Vrbane etiam cum ſacrificulos deprehendiſſet, & rex clamaret. [d] *Magnus es Bel, & non eſt in te dolus dolus quiſquam.* At ille oſtenſurus fraudes riſit. [e] *Et riſit Daniel & tenuit regem, ne ingrederetur intro, & dixit, Ecce pauimentum, animaduerte cuius veſtigia ſint hæc.* Hanc palatini, tanquam virtutum aliarum ornamentum tenebunt, vt humani ſint, affabiles, faciles in appellationib⁹ comes, in titulis largi. Fecit illud quoque [f] Paulus, cum Feſtum hominem improbum vocaret optimum: officij ille titulus erat, non ex virtute datus, ſane ſine comitate virtus non modo inornata, ſed odioſa quoq; videtur, & pietas ſuperba. Hoc tantummodo laborandum eſt, ne ſola ſit, hoc eſt, ſpuria; nam genuina non niſi ex virtute naſcitur.

a c.4.16.

c c.6.12.

d c.14.17.

e c.14.18.

Comitas ornat virtutes.

f act.16.25.

§ 2.

Lupini infuſa aqua dulceſcunt, comitas quoq; eorum, quæ in hominum ſocietate, cõuictuq; amara miſcent, condimentum eſt & agendi ſuauitas naturæ maxime conſentanea.

Comitas propria eſt natura humana.

Dextera præcipue capit indulgentia mentes,
Aſperitas odium ſæuaq; bella facit.

Figuram humanã mutat moroſitas, humaniorẽ facit comitas. Maxime placere eum, qui iucũdiſſima loqui-

Digitized by Google

tur, dicebat Antalcides: nimirum *ſi miſtum eſt vtile dulci*, Medicus qui ſcammonio, & antimonio, acri veneno corpora vexat, qui igne & ferro ſæuit, ſi cruſtulis ſuauibus & malua ſanare poteſt, carnificis nomen meretur, nec in vita adhibenda triſtitia, & moroſitas eſt, ſi ſatis efficax remedium eſt humanitas. Vera illa eſt ſi erga inferiores, erga pauperes affectum oſtendit. His enim qui comem ſe & humanum oſtendit, Deum imitatur: non enim ex merito pauperum, nec ſpe præmij in illos officioſus eſt. Sic de Domino noſtro Paulus [g] *cum autem benignitaas & humanitas apparuit Saluatoris noſtri Dei: non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuã miſericordiã ſaluos nos fecit.* Hic bonitas, ſuauitas, philanthropia, affabilitas vera commendatur, quia de viſceribus miſerationum orta ſunt. Non enim nos Seruator noſter magnificentia quadam, & faſtu redemit, ſed comiter ad nos veniens, homo factus, & noſtras infirmitates aſſumens.

Signum genuinæ comitatis.

g *T. c. 3. 4. 5.*

Hæc ſincera comitas eſt: at qua magnatibus blandiuntur, etſi vera eſſe poteſt, facile tamen aſſentatione vitiatur, nec ſuauitas eſt gratuiæ caritatis, ſed aliquãdo ſpe metuve extorta ſimulatio. Comitas primario pauperibus exhibenda eſt, quia ſoboles eſt miſericordiæ, quæ illis debetur. Deinde beati illi, promiſſionem regni cœleſtis habent, quare noſtri Domini ſunt, & maiore colendi honore. Hoc nobis rex ſapientiſſimus, & opulentiſſimus cõcionatur [h] *oculos tuos ne tranſuertas à paupere.* [i] *Animam eſurientem ne deſpexeris, & non exaſperes pauperem in inopiam ſua. Cor inopis ne afflixeris*, Minatur vero etiam Salomon: [k] *Ab inope ne auertas oculos tuos propter iram: non relinquas quærentibus tibi retro maledicere. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius. Exaudiet autem eum, qui fecit illum.* Non de ſola liberalitate iſta accipienda, ſed de comitate, quæ beneficium commendat, ſubiungit enim [l] *Congregationi pauperum affabilem te facito. Declina pauperi ſine triſtitia aurem tuam, & redde debitum tuum, & reſponde illi pacifice in manſuetudine.*

Comitas in eleemoſyna.

h *Eccli.* 4. 1

i *Eccli.* 4. 2. 3.

k *ibidem v.* 5. 6.

l *v.* 7. & 8.

¶ 3.

Digitized by Google

§ 3.

Hic igitur lapis Lydius eſt, veræ comitatis probator, quam paribus quoq; , & magnatibus exhibere debent qui amicitias nectere, qui ſolitudinem fugere deſiderant, quod pleriq; faciunt intempeſtiua beneuolentia, quæ ſi odio par non eſt, nihil tamen differt à ruſticitate cerimonioſa. [m] Fuit vera in Scipione, in Tito, ille Syphacem humanitate ad Romanos attraxit, hic ea cauſa deliciæ generis humani dictus eſt. Talem ſe Ludouicus primus rex Franciæ, omnes alloquēdo, ſalutandoque præbuit. [n] Talem Ericus rex Daniæ, qui cum loqueretur viris humaniſſime, per eos & coniuges ſalutabat, & liberorum ſe tutorem promittebat. Quem Froto eodem in regno, & in Vngaria ex parte imitatus eſt Matthias Coruinus. Antonini Florentini tanta erat comitas, vt cum grauiter reprehenderet, non tamen iraſci poſſe videretur. Jucunda autem viſa [o] S. Nortberti comitas, cum enim ex aulico factus antiſtes Magdeburgicus ſolita pompa in templum induceretur, æditiuus tenui palliolo tectum, ex veſte hominem æſtimans, repellit etiam verbis increpitum, quod nobiles magnatesq; homo plebeius antecederet, clamantibus vero comitibus hunc Archiepiſcopum, & Dominum ſuum eſſe, trepida ſe fuga proripuit, quem accitum Nortbertus ſolatur, comiter ſubridens: Frater, inquit melius tu me noſti, quam illi, qui indignum ad epiſcopatum impellunt. Quod ex animo dictum fuiſſe ſanctiſſima deinde vita, & viuentis, beatiq; prodigia demonſtrarunt. Venerabilior comitas Anthimi Martyris, qui equitibus à Maximiano miſſis, vt eum ad ſupplicium pertraherent, magna vrbanitate epulum præbuit, & ſecuros eſſe iuſſit, Anthimum, quē quærerēt, ſe illis traditurum eſſe pollicitus eſt. Inter prandendum autem ſe Anthimum eſſe confeſſus, atq; ita de religione locutus, vt ad Chriſtum omnes conuerteret, qui cū nollent tyranno crudelitatis miniſterium exhibere, iuſſerunt eum quo vellet abire: at ille recta ad Impera-

m *Liuius Sueton.* *Comitatis exempla.*

n *Saxo l.6.*

o *In vita Surius. T.3.* *Nortberti comitas.*

Anthimi comitas.

torem gradibus omnes anteceſſit, lætoque animo ſupplicium, cui ſe ſponte obtulerat, paſſus eſt. Par omnino humanitas in Mamante, qui cum in ſylua ageret, atque à perſecutoribus inuentus eſſet, ingenti omnes beneuolentia excepit, pauitque; & comitatem miraculo Deus voluit honoratam, ceruæ enim capreæq; tenſa ferentes vbera mulgendas ſe ſancto martyri ſiſtebant, vt lactis, butyri, caſei copia benefaciendi poteſtatem præberet. Hanc illi humanitatem ſatellitib⁹ ad immania ſupplicia trahētibus præſtabant: nā erat diffuſa caritas Dei per corda cupientium pro Chriſto mori. Ad hanc normam ſeſe examinent viri nobiles, qui ad minimam contemptus ſpeciē furentes iraſcuntur; & ſi gladium non exerunt, auerſo tamen vultu animoq; odiū in intimis conditū, occaſione promendū profitentur. Vnde tantū mali? In tenebris ambulant, corda generoſa obſidet calumniator fratrū diabolus, qui non ſinit amare fratres. Inimicū comiter aſpice, ſaluta, facies amicū. Diſcant ferre comiter, ſi in ſe aliquid facete, aut aſpere dictum ſit. Fecerunt illud multi impiorumq́: Auguſtus, Traianus, Antoninus Pius, Chriſtiani etiam occidentibus ſe blandi ſunt.

Mamantis comitas.

¶ 4.

Riſus decorus.

p l. 2. pædag. c. 5.

Ne riſum quidē comitas excludit: Illum, inquam, qui ſit humanitatis ac beneuolentiæ, modicum, & lætitiæ, qui ſit amicitiæ teſtis. [p] *Vrbane*, inquit, Clemēs, *& lepide loquendum eſt, nō mouendus riſus: Quinetiam ipſe riſus eſt comprimendus. Nam ipſe quoq; ſi quo modo oportet proferatur, præ ſe fert decorem & honeſtatem: ſin aliter prodeat, indicat intemperantiam. Nam vt ſemel dicam, quæcumq; naturalia ſunt hominibus, ea ab illis minime ſunt tollenda, ſed eis potius modus & cōueniēs tempus eſt adhibendū*. Acrimoniam & vehementiā vultus remittere docet comitas non tamen incōcinne diſſoluere, decora illa frontis hilaritas eſt μειδίαμα, ſubriſionē Græci appellāt. ita tamen, vt in vultu ridentis reſideat modeſtia, modeſtia inquam, & grauitas, nō triſtitia. Riſus quem in fœminis illi vocant κιχλισμὸν, immodeſtum & laſciuum, meretricus eſt.

Riſus indecens.

Quem

Quem καγχασμὸν cachinnationem in viris, niſi grandis cauſa ſubſit, leuis eſt, *Fatuus in riſu exaltat vocem ſuam, Vir autem Sapiens vix tacite ridebit.* Nemo igitur comitatis exiſtimabit, more Heliogabali in theatro ridentis tanto ſono, vt ſolus audiretur, in cachinnos effundi. Qua quidem in re peccant aulici, vt apud Terentium paraſitus, dum aliorum facete dicta immani riſu commendare volunt. Bruta eſt illa adulatio, perinde ac ſi hominis acumen ruditu aſinus laudaret. Hoc velim, non riſui, quod Hippatenſes faciebant, ſacrificare, ſed intemperantiam caſtigare, ne ridiculi fiant ridendo. Tirinthij ſupra modum ad inconditos riſus propendebant, ſiue genio terræ, & gentis, ſeu conſuetudine, quæ iam in naturam degenerarat: vt indecoro, & moleſto ſe affectu liberarent, delphicum oraculum conſuluerunt: reſpondit dæmon, Futurum vt riſum temperare, & in poteſtate habere poſſint, ſi taurum Neptuno (ἀγέλαστοι) ſine riſu immolarent. Vbi ventum ad ſacrificium, ſumma modeſtia, grauitate, nubila fronte, ſeueritate triſti omnia peragunt. Forte puer inſuetam popularibus grauitatem admiratus, ipſe quoque præter ætatem omnia ſeuera, matura, torua aſſimulabat, quo ſpectaculo ciues omiſſis mœſtitiæ incitamentis in riſum ſoluti litare non potuerunt. Siue iſta fabula, ſiue hiſtoria eſt, riſum immoderatum probro fuiſſe nos docet. Malo tamen in hac re illos excedere, quam in auſteritate defectu comitatis. [q] Quis enim Domitium ferat, qui ex moroſitate dictus eſt Inſanus? Quis Pholoclem quem χολὴν, *fel* dixerunt? Domitium quoque Neronis atauum Ahenobarbum, os ferreum cor plumbeum habere iactabant, nam verbis aſper, & animo ſtupidus erat. Timon omnis humanitatis expers, omnium hominum odio tenebatur, nec celabat affectum, diaboliſmum Timonis imitabatur Apemantus, duo illi conuiuium ſibi fecerant. Nec enim alios conuiuas admittere illorum moroſitas poterat, nec cum hoſtibus humani generis cœnitare cuiquam volupe erat. Tum Apemãtus, ô quam

Riſus immoderatus.

Tirinthij ridiculi.

Auſtri.

q *Gell l.18. c.17.*

Timonis conuiuium.

Digitized by Google

egregium eſt noſtrum conuiuium! Cui Timon: Siquidem tu abeſſes. Neq; enim diſcipulum Timonamabat. Monſtra illa animorum ſunt, omnia humanitatis officia neſciunt.

Cap. XLII.

De fide ſecreti in ſenatu, aulaque maxime neceſſaria.

¶ I.

Secreti fides. MVltæ ſecreti vel accepti, vel violati pœnæ.

Innumeræq; virûm docuêre ſilentia mortes.

Danieli Devs dicenda, tacendaque commiſit, Prophetiam ſignare iubet: [a] *Tu ergo viſionem ſigna, quia poſt multos dies erit.* Et deinde; [b] *Tu autem Daniel claude ſermones, & ſigna librum vſque ad tempus ſtatutum: plurimi pertranſibunt & multiplex erit ſcientia.* Imperante Baltaſſare Chaldæorum & aliorum regnorum fata non Chaldæâ, vt antecedentia, ſed Hebræâ linguâ ſcripſit, tum eam multi quoque Hebræi ignorabant. non enim profutura erant pereuntibus, ſed poſteris. libros porro ſuos fideli ſacerdotũ cuſtodiæ cõmiſit. Quisq; in aula ſibi canat, [c] *Signa ſermonem, ſermonẽ claude.* Amicorum ſermones, qui euulgat, cauendus eſt, Spartanis ad ſua Syſſitia euntibus fides ſecreti nunciabatur, ſenex enim quidam omnibus inſuſurrabat: [d] *His foribus nulla verba egrediuntur,* vt Plutarchus memorat. Sermonum depoſita fidelius, quam rerum depoſita cuſtodienda ſunt, & tacere neceſſe eſt tacenda. Domi tuæ iſta pereant tu potius obliuiſcere, quam vt dicas aliis. Euripides quod probro dabatur, in laudem vertit, obtrectanti enim oris graueolentiam multa ſecreta in illo computruiſſe reſpondit. Iniurij ſunt, qui enunciant, qui qui audiunt, velut proditorem oderunt. Nam qui non celat commiſſa, vel iniuſtus eſt, ſi lucri cauſa facit, vel intem-

a c.8.26.
b c.12.4.
c c.12.4.
d *In Laconicis.*

Digitized by Google

intemperans,ſi garrulus. Nec veniam meretur; non enim melioris ignorantia malè agit, ſed dedita opera. Qui enim ambulat fraudulenter reuelat arcana, qui autem fidelis eſt,ſeruat amici commiſſum.

§ 2.

Summa autem cura ſilentij in domibus regum, in magiſtratibus. Ibi cunctis præſidet Angerona diua ſilentij. Romæ nemo enunciabat ſecreta patrum, in hoc aſſueſcebant adoleſcentes, ex quibus Papyrius prætexta donatus eſt. Hippocrates quoque Medicos iureiurando aſtrinxit. Quare nemo facilè niſi iuſſus accipiat, ne aliorum culpam luat, facilè enim ſuſpiciones oriuntur, non enim latent, etſi fama non diſtulit. Prudenter Philippides Lyſimacho petenti quid ſibi committi vellet, reſpondit, quod regi videretur, modo nihil ſecreti. Nam ex factis regiis ſemper fama naſcitur. Ignobilium alia ratio eſt, eorum benè facta, vt in lucem veniant, diu luctantur. Culpæ quoque caligine ſopiuntur, in magnatum dictis factisque, fama ludit. Tam dextra, quam læua in maius attollit. Veriſſimè [e] Seneca ſoli latere non licet, nec principi. Illi etſi nubes obtendantur, lucet tamen, mox emicat, magna fortuna nihil occultum habet, peruia ſunt intima cubiculorum, in gramine latent lepores, & locuſtæ, grandiora animalia ſuperſtant. cum omnia feceris, vt lateant, in publico erunt. Norat hoc famoſa adultera apud [f] Senecam:

Magnatum ſecreta pericu-loſa.

In magnis rara ſecreta.

e *l.1. de clem.*

f *In Agam.*

Perlucet omne regiæ vitium domus.

Monet & Claudianus, vt te totius

——Telluris in orbe
Viuere cognoſcas, cunctis tua gentibus eſſe
Facta palam: nec poſſe dari regalibus vnquam
Secretum vitiis. nam lex altiſſima fati
Occultum nihil eſſe ſinit, latebraſq; per omnes
Intrat, & occultos explorat fama receſſus.

Negocioſa ſunt arcana, quæ facilè ſuſpectos red-

S 5 dunt,

Digitized by Google

dunt, aut implicant, & plurium aurium commiſſa cum celati creduntur fama ſunt: & cum exitio multorum. Tartari bellicorũ ſecretorum proditores centum plagis multant. Principes morte vindicant.

§ 3.

Propria ſecreta celanda. Tua ipſe non niſi neceſſitate deteges, celata ſemper in tua ſunt poteſtate, ſemel egreſſa reduci nequeunt: iam ab alio pendent, mox à tertio, quartoque. Amicos ſe parare credunt voluntariâ rerum ſuarum explicatione: nihil enim celare pignus amicitiæ putatur. At alter ille alium etiam amicum habet, cui committere ſecretum deſiderat, ſciet ille etiam tuum, tandem ad innumeros, etiam ad inimicos perferetur, & fama erit, quod arcanum arbitrabare. Amicitiam res illa non auget, ſi absque neceſſitate fiat: potius ſecuritatem tollit: nam te pignore obligatum tenet, anſamque habet, quo nocere poſſit. Leuem arbitrantur, qui tacenda effuderis, nemo ſua tibi committet, propriorum prodigo. Nimium improba ſpes eſt, confidere alios tacituros, quod ipſe continere non valeas. Vis cuſtodem arcani fidum, & certum? Optimus eſt, qui neſcit.

Cap. XLIII.

Beneficia conſideratè petenda.

§ 1.

Daniel nihil petẽs omnia accepit. FElix aulicus Daniel, qui nihil pro ſe vnquam, [*a*] pro ſociis præfecturam ſuper opera Babylonis petiuit. Verum tamen nihil petens omnia obtinuit. [*b*] Nam Chaldæus eum *in ſublime extulit, & munera multa, & magna dedit ei.* [*c*] Baltaſſar quoq; in funere ſuo, haud placitura vaticinantem, torque & tertiæ dignitatis loco honorauit. [*d*] Darius inter tres prin-

a *c.2.* ℣. *vlt.*
b *c.2.48.*
c *c.5.17.*
d *c.6.2.*

Digitized by Google

principes primum fecit, & eum cogitabat conſtituere ſuper vniuerſum regnum. [e] Cyrus ei totam captiuitatem donauit, vt omnibus liceret in patriam redire. Euilmerodach in gratiam Danielis Joachimum è carcere eduxit, thronum eius poſuit ſuper thronos omnium regum, & cibaria conſtituit illi. Non petiuit Daniel munera, recuſaſſe quidem legitur, ne concupiſcere videretur, aut Dei dona vendere. Quare regalis illius eſt reſponſio: *Munera tua tibi ſint, & dona domus tuæ alteri da.* Admiſit tamen non cupidine, aut ambitione, ſed ne regiam maieſtatem in impio, & morituro deſpicere videretur, atq; illa occaſione victori commendatus Eccleſiam exulantem commendaret.

e *Eſdr.* 1.

§ 2.

Cauſa cur non petierit, quia non æſtimauit dona transuolantia, munera beſtiarum, [f] quas exurendas & in puluerem redigendas regnator æternus oſtenderat. Regnum igitur ſanctorum quæſiuit, de quo Angelus loquitur. [g] *Suſcipient autem regnum ſancti Dei altiſſimi: & obtinebunt regnum vſq; in ſeculum ſeculorum.* Ita quicunq; nõ vult abiectus, & odioſus fieri terrena petendo, ne deſideret; ſi quiſpiam æſtuat deſiderio, petendum ab eo magnum bonum, quod eſt ipſe, qui dat omnia, & non improperat. Dare cupit, ſed petenti. Petunt fragiles à fragilibus, ſed frangẽda. Chriſtianos iſta non petere monet Juſtinus: [h] Mundum alienũ putamus, nec expetẽda eius bona, ideo nec petenda. Profectò nõ eſt operæ precium ibi angi, vbi nõ vis permanere. Si Deus aliquando tardius dat, facit vt dona ſua cõmendet, reſeruat tibi quædam, vt magis deſideres, malè vſuris miſericordiſſimè negat. Si Danielem imitaris à rege mereberis, à Deo petes. Daniel merebatur, & virtute ſua docebat reges non eſſe ingratos beneficiis. Primus error eorum, qui ſpes importunè vrgent ſuas, nec quid facere reges, nec quid petere ipſi debeant animo,

Contempſit Daniel res regnorum.

f *c.* 2. & *c.* 7. 11. 12.

g *c.* 7. 18.

h *De vita Chriſtiana.*

animo expendunt, ſed quid ipſis vtile ſit. Inſtant cœco voto, & dulciſſimum putant potiri cupitis, vt Thales docebat. Nec minus aberrant, qui petunt, quibus pares non ſunt, quæ nec dare, nec accipere expedit. Ea de cauſa ne Deus quidem ſemper poſtulata concedit. Scitum dictum viri ſapientis: ſi Deus daret omnibus quæ petunt, omnes perirent: Falluntur & illi, qui ſpe de aliquo beneficio accipiendo accepta, importunè certo tempore, locoq; dari poſcunt, etſi incommodo publico, aut aliorum damno futurum ſit. atque ita iniuſtum petunt. Hac importunitate offenſus Ageſilaus reſpondit: ſi iuſtum eſt, promiſi. Si iniuſtum, dixi. Non enim generali promiſſo tenentur principes, ſi euentu, aut ex circumſtantiis futurum eſt iniurioſum. Sylla petenti conſulatum abnuit, moleſtius vrgentem ſua manu occidit. Sæuiter ille omnino: ſat triſtis erat repulſa, Mitius Antigonus, cui cum Bias talentum extorquere conaretur, & violentâ impudentiâ perurgeret, exclamauit; Date illi talentum vel vi. Plus illi perdunt, qui ſic accipiunt. Deteriores illi, qui præfractè petunt, quod abliguriant. Similes ciſternis rimoſis, quæ nullo imbre implentur, dolia Danaïdum, qui principes citius inopes, quam ſe opulentos fecerint. qua de re Pontanus [*i*] accuratè. Fredericus Cæſar importuno flagitatori reſpondit: Si tu finem poſcendi non feceris, ego modum negandi inuenero. Plurimi non accipiunt, quia poſcunt, vel alieno tempore, vel plus quam oportebat; Qui enim plus petit, quam meretur, & quod habet, amittere meretur. Alphonſus cum equiti, ſine ratione, ſine pudore multa flagitanti quædam donaſſet, quædam negaſſet, iocoſe familiaribus petacitatem eius expreſſit: Timebam ne etiam vxorem meam peteret. Importunitas aliquando vincit, nunquam ſine offenſa. Multo autem moleſtiſſima eſt regibus multorum concurſatio pro eo, quod vni ſoli poteſt dari. Quin ſæpe iam ante animo deſtinatum habent, ad nullius preces ſententiam

Errores beneficia poſcentiũ.

Importuni poſcones.

i C. de liberal. c. 9.

Moleſta poſtulationes.

Digitized by Google

tiam mutaturi. Deinde reges vel ratione, vel affectu ſua beneficia diſpenſant. Si ratione; iam fortè aliquem cooptarunt aptiorem. Si affectu; incaſſum rogantur. Grauius impingit, qui contra affectum principis, quam qui contra iudicium eius venit. Nam iudicium regis etiam aliena iudicia audit, & ſapientiori cedit, affectum ſi moreris tantum dolere nouit, & iraſci. Caurè igitur pete: nec illud, quod negaturus eſſes: qui petit indignus, ſibi negat. Nihil hac in re verecundiâ efficacius.

Verecundia in petendo.

Et pudet, & metuo, ſemperq; eademq; precari,
Ne ſubeant animo tædia iuſta tuo.
Verum quid faciam, res immoderata cupido eſt,
Da veniam vitio, mitis amice, meo.

In palatio veniam non habent illa vitia. Fruſtra petit, qui iuſtam faſtidij cauſam eſſe fatetur. Merito reſpondetur, vt moderetur cupidinem, & auida vota compeſcat. Multos præire, melioribus dignos. Nulla impudentior poſtulatio, quam cum à principe egente, aut qui æs alienum habet, diuites poſcunt. Athenienſes à Phocyone congiarium petebant, negauit: *Puderet*, inquiens, *ſi nobis darem, & Callicli creditori non darem.* Non dubium, omnes illos ſuſpendio dignos, qui pauperes reges exoſſant, poſtquam ſanguinem epotarunt, carnem vorarunt. Eiusmodi harpyiæ obſidebant Ludouicum Franciæ regem, cui cum eſſent allata vndecim aureorum millia, & quod donaturum ſcirent, ſingulis officia ſua, meritaque iactantibus, cancellario nihil petenti dedit, mente deteſtatus aliorum impudentiam, aliam opportunitatem exſpectare iuſſit. Aliquando ſubitæ ſunt, negandi cauſæ, atque inopinæ. [k] Adoleſcens Veſpaſiano pro præfectura data gratias egit: ille quod vnguenta oleret, indignatus, literas reuocauit.

Phocyon.

k *Sueton. in Veſpaſ.*

C A P.

ditatum flabra motus cient. Et imis ſtagna refuſa vadis, de conflictu turbinum beſtiæ, hoc eſt regna naſcuntur, immitia, dura, rabioſa, vltricia, cruenta, quæq; ſe mutuo, vt procellæ elidunt. Nihil in his crudelitate ſpectatius, ſanguine gaudent, & magna crebro ſunt latrocinia, impetu & violentia plurimum, non ratione & æquitate reguntur. Origines fermè regnorum pudendæ, faſtigia inuidenda, & auctis cum potentia vitiis, magis pudenda. Cruda fuere ſemper Chaldæorum, Medorum, Perſarum, Macedonum ſupplicia: regum procerumq; præcipites iræ, gentium internecione lætæ. Romanum imperium cruentum, conditor fratrem, mutator filios, reſtaurator vndecies centena hominum millia interfecit. Peculiaris huic imperio fuit laniena amphitheatralis, quod Daniel indicat, cum dicit: *& reliqua pedibus conculcans*, auxere iras Stoici, miſericordiam vitiis accenſentes. vt nulla abeſſet crudelitas, vbi nulla adeſſet caritas. Nemini ſolent ignoſcere, quibus non eſt datum ſe agnoſcere. Beſtiæ igitur cruentæ imperiorum figuræ, ac typi ſunt, ſuis tamen prototypis manſuetiores. Illæ enim ventris cauſa venantur, homines vltra famem ſæuiunt.

¶ 2.

Nunc Danielis reliqua ſpectanda ſunt. Quanta ira [d] Nabuchodonoſoris occidentis quos volebat? [e] quam ſubito omnibus ſapientibus decernit mortem? Socios Danielis nullo iure ſolo furore in fornacem coniicit. [f] *Tunc Nabuchodonoſor in furore & in ira præcepit, vt adducerentur Sidrach, Miſach & Abdenago.* Et deinde: [g] *Tunc Nabuchodonoſor repletus eſt furore: & aſpectus faciei illius immutatus eſt ſuper Sidrach, Miſach & Abdenago, & præcepit vt ſuccenderetur fornax ſeptuplum, quam ſuccendi conſueuerat.* Ecce iram beſtiæ. nec mitiora membra, cum Rege efferantur aulici. [h] *Et non ceſſabant, qui miſerant eos miniſtri*

Chaldæorum ira. d *c.2.* e *c.2.* f *c.3.13.* g *v.19.* h *v.46.*

regis

ſiliariis ac familiaribus fuit, quaſi in arctum collecta ideo virulentior. Vt enim aſpidi in lingua, regulo in oculis habituq;, ſcorpio in cauda venenum eſt præſentius, & noxium, licet tota corpora venenata ſint, ita regnorum ira, crudelitasque in capite, & proceribus maximè cernitur, & per illos vim ſuam exerit, triſtesque clades efficit.

§ 3.

Sane ira maxime in vultu, oculis, voce videtur. Baſilius iratos ſimiles ait obſeſſis, qui alienis viribus aguntur, vultumque in modum horribilem diſtorquent. Cyrillus irato mari comparat, quod magno ſonitu fluctus ſuos collidit, & frangit, & quod interceperit, profundo haurit. Beluæ cum iraſcuntur feritatem ſuam exaſperant, ora, vocem oculos, pilos mutant, fletu anhelo ardorem oſtentant, arenam proiectant, ſibila colla tument, naturam ſuam motu concitatiore efferant, ſic in homine [r] *alii affectus apparent, ira eminet.* Iratam alumnam deſcribit pauida nutrix apud [s] Senecam.

Irati vultus ſigna.

r Sen. l. 1. de ira.

s In Medea.

Furoris ore ſigna lymphati gerit,
Flammata facies ſpiritum ex alto citat.
Hæret, minatur, æſtuat, queritur, gemit,
Proclamat. oculos fletu rigat,
Renidet, omnis ſpecimen affectus capit.

Non decent iſta hominem, animal mite, minime Chriſtianum, cui vna ſpes ſalutis eſt ſi nō iraſcatur fratri ſuo. Grauiores etiam iras indicant corporum mutationes noxiæ, & viſcerum tormina, vt cum Valentinianus in Quados iratus detonat, ruptis venis, cum ſanguine effuſo animam reddit. Alexander Seuerus inter bonos alioqui imperatores, auditis iudicum iniquorum criminibus adeo commouebatur, vt bilem effunderet, atque adeo toto corpore commoueretur. Iracundiſſimum pene omnium hominum memorat [t] Blondus Icelinum tyrannum Italiæ plane barbatum, & cruentum.

Ira corpori nocet.

Valentinianus.

t l. 8 decad. 2.

T § 5.

Digitized by Google

¶ 4.

Ira imperij Romani ſæuior igne. Romanum imperium, ſub Cæſaribus ſuis cultu politum, ira barbarū fuit, igne, & beluis efferatius, à diabolo nimirum fera illa idolomania in iuſtos incitabatur. Vbi ignis vim ſuam remiſit, ſæuitiem illa intendit
u *Sur. T. 6* [*u*] Polycarpum plena theatra ad rogum depoſcunt, acceptum ignis in modū fornicis cinxit, & venerabun-
x *Prudentius Hym. Eccleſ. Tolet.* dus circumſtetit, nec tamen impiæ leges pepercerunt. [*x*] Cucuphas ignibus ſuperatis gladio cæditur. [*y*] Hyacinthum etiam, quem ignis attingere auſus non
y *Ado. Vſuard.* eſt, alia tormenta cœlo intulerunt. Viri illi nobiles, & magiſtratus à ſua beſtia, cui proximi erant conſumpti ſunt: ira enim beluæ irritatæ ſupra omnem flammam
z 11. *Aug.* exardeſcit. [*z*] S. Tiburtius aulicus à Torquato aulico accuſatus, ſuper prunas ambulare iuſſus, flores ac roſas ſibi videri affirmauit, vt Beda, Vſuardus, Deus ſummi doloris inſtrumentum in delicias conuertit, dæmon tamen, cuius halitus prunas ardere facit beluā ſuam furore accendit, vt cum ignis non ſuccenderet, gladium ſtringeret. Eadem belua, cum Getulium martyrem flamma abſumere non poſſet, fuſtibus comminuit. Erat ille nobiliſſimus & doctiſſimus in aula Adriani, Cæſari carus, cum eo paſſus eadem eſt Amantius
a 10 *Ian.* frater Getulij, Adriano intime familiaris, & Cerealis
b *Sur. T. 3.* præfectus, vt [*a*] Martyrologium Rom. Ado. Be-
Poteſtas irata ſæuum malum. da, [*b*] Surius. Nec ira beluæ ſexui parcere infirmo didicit. [*c*] Macram Rictius Varus Diocletianææ crudelitatis adminiſter in rogum coniecit, in quo cum
c *in catal. l. 2. 50.* perſtaret, flammarum victrici mammas abſcidit, carcere ſæuo afflixit, ſuper acutiſſimas teſtas, prunasq; volu-
d 6. *Ian.* tauit, donec orantem cœlo Deus excepit. Petrus, [*d*] Rom. martyrol. Nullus ſæuiendi modus eſt, cum poteſtatem efferauit indignatio, cum flamma ſuccingitur iracundia. Nam cum ira etiam imbecillis noxias vires ſuppeditat: Etenim

Quamlibet infirmas adiuuat ira manus.

e *l. 8. c. 19.* quid non faciet cū vires adſunt? Sane recenſet [*e*] Euſebius

bius imperante in Aſia Maximino, diſiectis vndique Martyrum corporibus columnas, porticus, forum, plateas, muros illachrymaſſe.

§ 5.

Sæuior ſpelæis beſtiarum eſt aula impiorum. Vbi beſtiæ manſueſcunt, illa lacerat, comminuit, & pedibus conculcat, vt Daniel futurum prænunciauit. Adrianus ipſe Brixiæ ſpectauit Fauſtinum & Iouitam occidi, qui ab ignibus & beſtiis ſæpe liberi, in multis Italiæ ciuitatibus torti, Brixiæ, Romæ, Neapoli, Mediolani, & ſuam innocentiam, & ferocis beluæ cruentas iras oſtenderunt. quæ omnia breuiſſime recenſet [f] Breuiarium Romanum. Sæpius beſtiæ in ſua natura, quam illæ, quę in humana forma, feritatem immenſam circumferunt, mitiores fuerunt, Theclæ, aliisque pepercerunt. [g] Euſtachio leones famelici, vt Danieli blanditi ſunt, at ne homini deeſſe videretur, quo vltra Leonem ſæuiret tauro vir clariſſimus, Dux belli, ſeruator imperij includitur. Euphemium vrſi & Leones qua potuerunt, ſtrati humi adorarunt, homoleo ad alia tormenta tranſmiſit. Vitum & Modeſtum ex olla picea ſine noxa redeuntes Leo, ſed adorabundus ad pedes accidens excepit. Maximæ Donatillæ vrſus ferociſſimus blandiens conſtantiam gratulatus eſt. Tharaco, Probo Andronico beſtiæ ſe placabiles, & cicures oſtenderunt. Ianuarium de fornace egreſſum poſita feritate beluæ admiratæ ſtetere. Puduit lædere corpus, cui flamma peperciſſet, Abdonem, & Sennenem Perſarũ Megiſtanas Leonum & vrſorum reuerentia in arena ſeruauit, gladiatores conciderunt. Non ignoro innumeros eſſe martyres, quos beſtiæ veneratæ ſunt, quos hominum ſæuities immanior ſuſtulit, paucos, eosq; nobiles, & aulicos memoraui, vt appareat, quam ſit facilius beluis ſeponere naturam, quam homini malitiam: quamque arduum ſit, prope rerum faſtigia agentibus, temperare feruorem naturæ. Ne tamen animum deſpondeant, exempla protuli eorũ, qui in ipſis beſtiarũ cubilibus in

Sæuities aulæ.

f 15 *April.*

g *Niceph. l.6.*

Beſtiæ mitiores hominibus.

Inter Leones tuti agni.

Digitized by Google

Leonum & pardorum familiaritate tales fuere, qualis in medio Leonum Daniel. His præceps, & moderationis neſcia ira, illis neſciens iræ manſuetudo, vitæ rationes compoſuit. Vtriq; aulicis ad exemplum propoſiti ſunt. Iracundiam fugiant, manſuetudinem ſectentur. Imperia ſęua ſunt, ſed de ſanguine Chriſti paſta, de corde manſueto clementiam biberunt. Si enim virtus Chriſti beluis demere furorem potuit, de quibus cura non eſt Deo, quanto magis filiis ſuis, pro quibus ſanguinem fudit, dabit ſpiritum bonum petentibus ſe, ſpiritum manſuetudinis & caritatis? Caro ſerpentum acre venenum eſt, at medica manu parata, præſtans remedium. Imperia in plurimorum exitia naſcuntur, ex illis tamen antidota creat potentia Saluatoris. Chriſtiano Palatino laborandum eſt, vt de Chriſto lenitatem hauriat, ne in Ethnicam beſtiam degeneret.

¶ 6.

Magnatum ira pertinax. Ira magnatum duas ob cauſas eſt pertinax, faſtum, & præcipitantiam. Tanti ſublimitatem ſuam æſtimant, vt grauiter puniendum exiſtiment, ſi quis quocunque modo obſiſtat. Creontes illi ſunt, [h] *æquum*, inquiunt, *atq; iniquum regis imperium feras.* vt tyrannus apud Senecam cauſam ſuam agenti reſpondet:

h *In Medea.*

I, querere Colchis.
Vere tamen illa, & bene venefica.
Difficile quam ſit animum ab ira flectere
Iam concitatum: quamq; regale hoc putet,
Sceptris ſuperbas quiſquis admouit manus,
Quam cœpit. ire: regia didici mea.

Ira ſine ratione. Non facile iras mutant imperantes: dictum Euripidis eſt. Impetum primum, ne ſine cauſa concitati videantur, retinere perſeuerant, Vera docentem, velut exprobrantem oderunt, iniquitas facit pertinaces, quaſi iuſta ſit, ſi longa. Hac igitur cauſa viuax eſt iracundia tarde ſeneſcit, nec niſi morte finitur, vt Sophocles docet.

In Oedip.

Altera

Digitized by Google

Altera cauſa eſt, quod præceps ruat, non admittat habenas rationis, niſi quibus male ducitur. Non habet ira rationem, nec aliunde capit, niſi qua creſcat. Leuis cenſetur dolor, qui capere conſilium poteſt, victa eſt ira, ſi rationem audit.

Cæcus eſt ignis ſtimulatus ira,
Nec regi curat, patiturq; frenos
Haud timet mortem, cupit ire in ipſos
———Ocyus enſes.

Ira impetus ſine conſilio.

Contra obſtantes, quamuis amiciſſimos armatur, & veluti turbo, vbi turribus, aut arboribus illiditur ſonitu vim prodit. Irata mulier

Non inquit, *rapidus amnis, non procelloſum mare,*
Pontoq; corus ſæuus, aut vis ignium
Adiuta flatu poßit inhibere impetum
Iraſq; noſtras.———

Quis porro finis tanti furoris? quo fertur impetus?

———Sola eſt quies,
Mecum ruina cuncta ſi video obruta.

Se ipſa non excipit. Similes ſunt illis, qui Oreſtem, aut Herculem furentem agunt, quorum ſtudium eſt, quam maxime exhibere iracundiam, aut furorem ſpectabilem, mediocris enim affectus admirationem non habet, ſic qui iratus eſt, omnia, quibus iuſta probetur ira, conquirit, omniaq; exaggerat.

§ 7.

Hæc tanta turpitudo merito à concitatione abducere debet: Deinde quod iratus vt alteri noceat, ſibi damnum infert, ſe turbat, verberat, vt alter doleat, [k] virum ſtultum interficiet iracundia. [l] Fieri non poteſt, qui alterũ lædit, quin prius ipſe ſibi noceat, illum extrinſecus lædit, ſe intrinſecus vaſtat. Si boni ſunt cur lædis? ſi mali, cura vt ægros. [m] Spectaculo fuit Cteſiphon, qui furens ira mulæ calcitranti recalcitrauit, rabiem ſuam ipſe puniens. Ne minus tamen ſto-

Iratus à ſe læditur.
k *Iob.* 5.
l *Aug ſerm 16. de verb. Domini.*
m *Plutarch. de ἀοργησ.*

lide Joannes Rex Angliæ, qui ſubiectis indignatus, ceruos & damas ex hortis regiis in ſegetes immiſit, vt damno colonos affligeret. Verum ipſe in primis & damnum ferarum ſenſit, & eorum, qui erant ex agris, cenſuum; facilè enim erat pauidas animantes abigere, aut clam mactare.

Leuis irarum cauſa. Hoc vero proprium habent iracundi cum epilepticis, quod inconditè moueantur, ſæuiant, brachia iactent, cauſas conturbationis non habeant. Pollio Cryſtallo fracta, puerum ad murenam iubet abripi, & ne timida videretur ira, Cæſare præſente. Quæ beſtia tam leui cauſa tam enormiter ſæuiret? Commodus, quod tepidum eſſet balineum, in fornacem ardentem proiici balneatorem iuſſit, nec quieuit, donec nidor pellis, quam pro miſero famulo iniecerant fidem executionis feciſſet. Scilicet tam importunæ iræ quæuis cauſa ad carnificinam ſatis erat. Nero nulla re magis offendebatur, quam ſi malus Citharœdus diceretur. *Mahometes II.* Mahometes Secundus dum ex pomis vnum deeſſe videret, & tres ex ephebis puerilis furti ſuſpectaret, ventres ſecari iuſſit, bene cecidit, quod in primo inueniretur, alioqui vnius pomi cauſa plures occidiſſet. *Paulus Ep. Cracouienſis.* Paulus Cracouienſis eum, qui feram inſcius à caſſibus repulerat, venabulo transfixit. Ira inter hominem, & feram diſcrimen non facit, & quod aſperrimum, neſcit tenere modum. Quemadmodum & L. Domitius eum, qui captam feram deferebat, tanquam extrema meritum cruci affixit. Cruda planè res ira, periſſe volunt, quos oderunt. *Iulianus.* Julianus iratus Chriſtianis iura illis negabat, ſæuo ioco gentium odiis obiectabat deſertos. *Quid enim graue eſt*, dicebat, *ſi vna Græcanica manus decem Galilæos interficit?* Guntrannus magnam cauſam habere viſus eſt, ſed incertam: Medicos, qui reginam neglexiſſe videbantur indefenſos occidit. *Galeazius.* Longa ira Galeazij Sfortiæ: Pædagogo, à quo puer vapularat, iam Dux factus, virgis pœnas

nas rependit, plagasque inflixit, non tam ſæuas, quam indecoras ætati. Et ille quoque acceptæ iniuriæ nimium memor, diſcipulos in principis necem inſtigauit. Vna eademque ira fecit diſcipulum contumelioſum in magiſtrum, & hunc crudelem in principem. Ira parit iram, natura enim iraſcenti ſibi quisque iraſcitur: molienti exitium viciſſim inſidiatur, ſic Perdiccas ſummus ducum Alexandri iracundia furens, & ſupplicia irrogans militum irritatis animis conciſus eſt. Cruda Eruoiæ Spoletani ducis ira, qui Paulo Chuporo in aula Sigiſmundi ſe boatu ſalutare ſolito, pellem bouis aſſuit. Wernarius Epiſcopus dum ira præceps ad exſtirpandos Hirſaugienſes, equitum turmis præit, decidit, & exſpirat, vitam ad cædem euntis iuſta ira interclufit. Leues itaque ob cauſas iras graues gerere, vt pernicioſiſſimum, ita peculiare magnatibus: Ad hoc enim facit mollis educatio. Dum pueros nemo corrigit, omnes fauent, laudant, blandiuntur, voluntatibus puerilibus nemo obſiſtit, peruicaces euadunt, & iniuriam exiſtimant, ſi non colantur, ſi verum dicatur. Zeno Imperator occidit patricium bene monentem, & vltionem à Deo poſtulantem. Iram concitatam nec ratio, nec timor moratus eſt, donec per ebrietatem correptus ſimul morbo comitiali, viuus ab vxore ſepultus, in tumulo, rabioſo clamore funus ſuum ipſe lamentatus eſt. Tanti mali cauſa per indulgentiam omnis eius ætas corrupta.

Perdiccas.

Mollis educatio facit iracundos.

***

Digitized by Google

Cap. XLV.

Contra iram remedia, & manſuetudinis præcepta, Magnatibus idonea.

§ 1.

Difficile iracundiæ remediũ. IRacundiæ idcirco difficile eſt remedium, quia ſua cuiq; iuſta videtur. Mitia ſuadentem pro inimico habet. Trabs eſt in oculo, ſpiculum in vulnere, dentes vitiati, quæ dum hærent magnos dolores adferunt, acerbiores vero dum extrahuntur. Prima igitur cura fuerit oſtendere, nunquam iuſtam iraſcendi cauſam, niſi cũ ſibi quiſpiam iraſcitur, quod male faciat, non quod male patiatur. Sibi aduerſari debet, qui ira commouetur, non alteri malum optare. Noli litigare cum inimico tuo, ſed cum corde tuo, præſta tibi miſericordiam, vt Deo reconcilieris. Itaq; ratione animus conuincendus eſt, quæ ſi opportune adhibeatur, vt feruorem ſolis ros copioſus attemperabit. *Ratio adhibenda iræ.* Cum Galeno Gortynẽſis dynaſta nauigabat, ira concitus ſeruos gladio vulnerabat, deinde pudore, & pœnitentia ductus lorum Galeno offerebat, & vt ab eo cæderetur, rogabat, Verum ille verbere abſtinuit, animum ratione ad lenitatem deduxit. Si igitur ratione oſtendere promptum erit, cauſam iræ non eſſe, facile tanquam ignis aqua affuſa exſtinguetur. Ratio porro duplex: Nam leui de cauſa ira concepta inexcuſabilis eſt. Si iniuſte læſus eſt, qui iraſcitur, ne tum quidem vlciſci ipſe debet, non contra violenter agere: nec ſatisfactionem niſi legitimam, & ordine legum poſtulare, iræ nequaquam indulgere, potius multam remittere. Atq; adeo hoc ſecum perpendere: dæmoni ſimillimum eſſe, qui vindictam poſtulat, eaq; gaudet. Spiritus ille exoptat genus humanum, quantum eſt, maximas, & grauiſſimas æternum pœnas pendere.

§ 2.

Digitized by Google

§ 2.

Premendæ iræ exempla ſunt Leones Babylonici. *Manſuetudo in libro Danielis.*
[*a*] *Deus meus miſit angelum ſuum, & concluſit ora Leonum, & non nocuerunt mihi.* Ne quidem cum ingenti ſeptem dierum fame feritas exacueretur in Danielem, exarſerunt. a c.6.27.
[*b*] *Porro in lacu erant Leones ſeptem, & dabantur eis duo corpora quotidie, & duæ oues: & tunc non data ſunt eis, vt deuorarent Danielem.* b c.14.31.
In Danielis libro exempla manſuetudinis rara ſunt, agit de ſæuiſſimis beſtiis, quæ ſe vlciſci ſolent, Deo illam tribuit, quia regibus deerat.
[*c*] *Tibi autem Domino Deo noſtro miſericordia & propitiatio.* c c.9.9.
Daniel ipſe & collegæ illius tam dira paſſi nunquam re, aut verbo iniurias vlti ſunt. Prophetat tamen de illis, qui Sabbato mortui ſunt, nec lapide quidem in hoſtem miſſo, [*d*] vt oſtenderet patientiam ſanctorum. d ...
De quibus Maccabæorum liber. [*e*] *Et dixerunt: non exibimus, neq; faciemus verbũ regis, vt polluamus diem Sabbatorum. Et concitauerunt aduerſus eos prælium. Et non reſponderunt eis, nec lapidem miſerunt in eos, nec oppilauerunt loca occulta: dicentes: moriamur omnes in ſimplicitate noſtra: & teſtes erunt ſuper nos cœlum & terra, quod iniuſte perditis nos. Et intulerunt illis bellum Sabbatis: & mortui ſunt ipſi & vxores eorum, & filii eorum, & pecora eorum vſq; ad mille animas hominum.* e 1.Macc. 2.34.35. 36.37.38.

De regibus porrò impiis nemo ſine crudelitate fuit. Mitiſſimus in grege pereuntium laudatur Ptolemæus Lagi, illi ſummas opes Deus contulit, & regnum diuturnum, atque in poſteros propagatum: vt ſi non mites, ſaltem minus crudeles poſſiderent terram. Hæc quoque Daniel prædixit. [*f*] *Et confortabitur rex Auſtri & de principibus eius præualebit ſuper eum, & dominabitur ditione: multa enim dominatio eius.* f c.11.5.

Nemo ex omnibus hirci cornibus, Alexandri ducibus Ptolemæo Lagi filio prudentia, moderatione, clementia par fuit, nemo diutius regnauit, nullius poſteri tam multi, tam diu ſceptra tenuerunt, [*g*] vt Hiero-

Digitized by Google

tor, regis qualemcunq; manſuetudinem, vt ſi quis potentia fretus, Dei cauſa animum benignum in ſubiectos accipere dedignetur, aſperitatem tamen ſpe terrenorum commodum fugiat.

§ 3.

Magna ſunt à viris magnis petenda, magnam rem ab illis poſtulo in conſortio beluarum: dum moderationem iræ poſtulo: Imo non ego, ſed de cœlo Dominus imperat, vt ſe nemo vlciſcatur. Et quamuis bellum geratur, non vindicandi libidine, ſed iuſtitiæ æquitate fundatur ſanguis. Megæræ, hoc eſt, dæmonis edictum eſt: [h] *Nec ſit irarum modus, Pudorve.* [i] Lacones bella facturi Muſis, & amicitiæ immolabant, errore ſuo commonefacti, iuſte, non inimice pugnandum, vt Plutarchus oſtendit. [k] Peruerſa Euripidis eſt atque exitiabilis ſententia, quam plerunque nobiles magis verbo, quam facto condemnant: *Iniuriam facienti obſtare legem iuſtitiæ, nullam vlturo.* Planè committit in legem caritatis vindex ſui, & iuſtitiam violat. Nobile eſt ignoſcere victo, donare iniuriam, malefactis beneficium reddere. Qui ad lites & duella properat Ethnico deterior eſt, nec tuetur honorem, ſed amittit innocentiam, vnicum animæ decus: mundum euertit atrox iniuriæ vindicta.

Lex Dei manſuetudinem requirit.

h *Senec. in Thyeſta.*

i *De non iraſcendo.*

k *In Ione.*

Malum vindictæ.

Si æterna odia ſemper mortales gerant,
Nec cœptus vnquam cadat ex animis furor,
Sed arma felix teneat, infelix paret,
Nihil relinquent bella.

Pythagoras, olla ſublata in cinere confundenda ſigna illius, & ſurgentem ſtragula conturbare iubebat, hoc eſt, [l] vt Clemens Alexandrinus interpretatur, omnes irarum reliquias, & vltionis cupidinem abolere. Egregie hoc præſtitit Conſaluus ſui temporis Dux, lenitate Deo carus, bellica laude apud mortales glorioſus, Gallos captos & agros benigne curari iubet,

l *Strom.* 5.3.

Conſaluus Magnus.

quam-

quamuis illi paulo ante Hiſpanos captos in mare demerſiſſent. Indignum ſua virtute putauit aliena vitia imitari. Vindicari non debet Chriſtianus, quia nec Chriſtus. Non modo, qui facit, ſed & qui vlciſcitur iniuriam, Dei in ſe prouocat vindictam. Supra humanam malitiam in vltionem exarſit Juſtinianus Junior, contra inimicos nauigantem atrox tempeſtas inuaſit. Omnibus periculo attonitis, monebant, qui aderant, vt votum nuncuparet, ſi euaderet, parſurum inimicis. Veniam enim vitamque à Deo petentem iram ponere erga homines oportere: non ceſſit, mentem atrocior procella agitauit, flamma in pectore ardebat, non exſtinguenda vel toto Oceano. *Si parſurus ſum*, inquit, *iam me Deus æquore mergat.* horrenda vox, nulla toto Acheronte ſæuior. Nec merſit tamen Deus. Vltionem etiam permiſit, & ille ſæuiit immaniter, Leontij & Abſimari capita calcauit, deinde truncauit, Cherſoneſios deleuit, deinde ipſe quoque trucidatus, & viuendi, & furendi finem fecit: atque ita dilata morte ad maiora tormenta profectus eſt.

Iuſtiniani iunioris horrida ira.

§ 4.

Mora in ira tenenda.

Hoc quoque iræ nocentis remedium eſt, vt in illa animi turbatione nihil ſtatuas. Archias Tarentinus, villicum felicem, dicebat, quod ipſe iratus eſſet, vt Plutarchus, [m] Hieronymus. Eodem conſilio Platonem vſum ſcribit [n] Seneca. Moram ſuaſit Athenodorus Auguſto, Ambroſius Theodoſio, Gregorius Leontio Proconſuli, & illi & ego omnibus. Ira ſubita etſi non feriat immeritum, ſibi tamen pœnam, non publico præſtat. [o] Themiſtocles Eurybiadæ baculum intentanti, *Percute*, inquit, *ſed tamen audi*. properant fulmina, ſed diu tamen in nube morantur. Ea cauſa bene docuit Syneſius nullam virtutem æquè ſapientiam gignere, atq; manſuetudinem.

m *Epiſt.* 9.
n *L.* 3. 5. 2 *de ira.*
o *Plut. apophth.*

Si te cognoueris, ſi poſtremus eſſe aſſueueris, non indignaberis tibi præter dignitatem, meritumque aliquid

quid euenire. Qui ignoſcit ſine ſacco, & cinere, accipit remiſſionem peccatorum, Baſilio iudice cunctis felicior. ne tuorum ſis clemens cognitor, alienorum ſeuerus Judex. at nobili, & honorato à viliſſimo dedecus allatum eſt: Indignum tua ira exiſtima, ſi ſuperbis. Si verè nobilis es, malè merito auxilio eſſe velis.

Magnificum hoc reges habent,
Prodeſſe miſeris, ſupplices fido lare
Protegere.

Nocere cuiusuis eſt, iuuare potentis. Memento te quóque in periculo eſſe, in arena non quæritur laua crum, quia de vita certatur, de loco certamina negliguntur. Contemne quæ ad rem non pertinent. Sit vita ſublimis, animus humilis. Ne tibi opus ſit vindicta, ſuæ quisque malitiæ puniendus traditur. Si vero peccati pœnitet iniurioſum, obuiam eundum eſt. Suadet illud [*p*] Juſtinus: ſatius eſt per lenitatem peccantes ab errore abducere, quam per auſteritatem in exitium propellere. Hic Dominus benignus eſt, ne ſæuiat conſeruus. Aureum præceptum magnatibus. Vt diſciplinam & rigorem mitiget humanitas, ne opprimant ante, quam corrigant. [*q*] Manſuetis dabit Deus gratiam. [*r*] Dirigit manſuetos in iudicio. Magis ergo verendum ne auſteritas exaſperet, quam ne benignitas diſſoluat. Potentia reuerentiam ſui extorquet, lenitati ſponte offertur.

Magnatũ eſt ignoſcere.

p *De vita Chriſtiana.*

q *Prou. 3. & 16.*

r *Pſal. 24.*

§ 5.

Erige ad Danielem animos, & mundum aſpice, reges regnant, & ſe vlciſcuntur, beſtiæ præliantur, ſed omnes vidit Propheta in eodem rege. Occiſum & vltorem Deus iudicauit, cui nunc ſui vindicta prodeſt? nulli. Augmentum tormentis duntaxat addit. Narſetem ad ſe Phocas iureiurando incolumitatem pollicitus accerſit, fraude captum, ira ad aſpectum irritata, viuum exurit, nec perfidæ crudelitatis in longinquo

Vindices ſui Deus vlciſcitur.

pœna.

pœna, Phocę capto, irriſo, torto, Monomachi iuſſu, manus, pedes, virilitas abſciſſa, truncum corpus in cineres redactum. Sine miſericordia ſubditos premis? [s] Fecit illud Mauritius: cum in eius conſpectu vxor & filij occiderentur, aliud non dixit: quam: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum*, Vindicauit ſe de hoſtibus, caſurus ſub hoſte crudeliore. [t] Abdallas Saracenus nulli pene pepercit, illum Turris obtriuit. Aiſtulphus incendio ſe vltus eſt, fulmen ipſum exuſſit. [u] Conſtantinus ſolitus excœcare miniſtros, ipſe excœcatus eſt. Ne dubita omnis tua in famulos aſperitas reddetur tibi. Critias cæde ciuium non contentus, filias in ſanguine parentum ſaltare coegit, illæ ſe ex alto præcipitarunt, ipſe cum tota domo periit. In coniugem durus es, aut contumelioſus? Alboinum habes, qui cum Roſimundam vxorem lætari cum patre iuberet, ex caluaria enim occiſi potabat barbarus, ab ea dormiens per ſicarium occiſus eſt. Neminem facile in periculum deducas, ſæua mandata in iubentem redeunt. Haraldus quartus Daniæ rex, Toconem ex prærupto ducere currum iuſſit, euaſit ille periculum, ſed per inſidias regem interfecit.

s *Diacon. l.17.*

t *Diacon. l.22.*

u *Blond. l.1. deca. 2.*

Subita ira periculoſa.

Ne ſubita iracundia quemquam cæde. Caſtrucius Caſtrucanus à principe accepta alapa, contumeliam morte verberantis inſpectante rege vltus eſt, vtriq; effrenis, alteri exitialis ira. Infimorum calamitatibus ne per iram inſultes, furor fit læſa patiētia. Bartholomæus ciuis Papienſis Galeazium magnopere rogabat compenſationem ingentium damnorum, quorum princeps auctor erat ſæpe iterans, filias nubiles elocare ſe aliter non poſſe. Galeazius iræ properus, vt vulgo proſtitueret, ſi elocare non poſſet, reſpondit. Ille contumelia irritatus, amens in principem ruit, & niſi pugionem fibula zonæ, in quam delatus erat morata eſſet, in veſtigio dux cecidiſſet, ſuæ iracundiæ, alieni furoris victima. Inconſulta res ira eſt, ſui periculi immemor, vt peſſumdet hoſtem: quemcunque irritat iniuria, ſi eo

Galeazius.

proce-

Digitized by Google

procedit, vt vitam cõtemnat ſuã, alienæ Dominus eſt. Formidabilior eſt, quæ minus æſtimatur pœna. Actiolinus Italiæ citerioris tyrannus, ira beluina ſemper æſtuans, ad triginta hominum millia, non prœlio, ſed cruciatibus & ingenio carnificum abſumpſit, vulneratus & captus, non obligari vulnus, non edere, non bibere ſuſtinuit, atq; ita ſibi ipſe carnifex ad æternas pœnas viam inuenit.

Celebrant annales Italici Barnabæ ducis Mediolanenſis agreſte ingenium, irritabile, ad minimas offenſas efferueſcens. Bellator & venator audiebat, duo millia canum vicatim alendos diuiſerat, minimæ negligentiæ pœnas atroces exigebat. Integram familiam, quod aprum ediſſet, ſuſpendio necauit. Ipſe quidem à Joanne Galeazio captus, in tetro carcere miſerrimus vitam obiit, filios ſeptem habuit, qui egeſtate, exiliis, conuitiis acti, variis caſibus, atque orbis in exemplum diuina iuſtitia periere. Venatio cum tumultu & ira cum oppreſſione ſubditorum, & exitio venatorum vna ex cauſis non minimis, quibus damnantur magnates, quia voluptatem venandi ſuorum commodis & iuſtitiæ anteponunt: orant Deum pauperes, & Deus vt promiſit, exaudiet orantes. *Venationes iras pariunt.*

§ 6.

Filiorum igitur Dei lenitatem manſuetudinemque ſequemur, & maxime facient illi quos altiore loco DEVS eſſe voluit poſitos. Si inimicus infeſtus imminet, cibum, & potum da perſequenti. [x] Callinicus militibus, à quibus captiuus ad ſupplicium raptabatur precibus aquam ſitientibus impetrauit. Pulchrior in calamitate manſuetudo. Si inſidiatus eſt, ſi vulnus intulit, imitare Radulphum, qui illum, à quo vulneratus eſt, dimiſit, quod & Fredericus antiſtes Vltraiectenſis fecit, vulnera diſſimu- *Clementia Radulphi.* *x Lip. T. 5. Sur. T. 6. Beda.* *Frederici.*

Digitized by Google

mulans, donec aufugiſſet parricida. Malum illi quidem intulerunt, ſed Deus vertit in bonum: Eaq; cauſa permiſit, vt aliena malitia ignoſcendi ſit incrementum ad gloriam. Sane vulnus ab inimico inflictum [y] Laurentio Dublinenſi profuit: dum omni ſtudio elaborat, atque efficit, ne percuſſor pœnas det iniuriæ. at per dedecus & calumniam accuſor, & morior ita & Dominus noſter mortuus eſt, & Stephanus, aliiq;. Et vir nobilis gemma magnatum, Petrus de nouo caſtro, cum iuſſu Toloſani comitis interficeretur: Percuſſori dixit: *Ignoſcat tibi Deus, & ego ignoſco.* [z] Eadem Eliphij viri Magni clementia pro perſecutoribus orantis. Quin etiam Dei iam intentam vindicis manum preces violentæ auerterunt. [a] Samſoni Archiepiſcopo Dolenſi venenum maleficus porrigebat, in medio conatu hominem malus genius occupat, atque horrendum torquet. Dolori hoſtis ſui vir ſanctus ingemiſcit, ſuo periculo non irritatus cum lachrymis ad DEVM conuertitur, & dæmonem ex eius viſceribus eiicit, qui ſibi lethale pharmacum pararat. Tale etiam Chriſtina angelis & hominibus ſpectaculum præbuit. [b] Chriſtophorus Dago Lyciæ regi, à quo vexabatur, oculum ſuo cruore reddidit. [c] Olympius Martino Pontifici inſidiatus oculis captus eſt, Martinus capitalem inimicum precibus ſanauit, & in gratiam recepit.

Laurentius Dublinenſis.
y *Sur. t. 6. 14. Nouemb.*
z *16. Octob. Rom. Martyr. Ado.*
a *Baldricus Lolēſis Ep. Vincent. l. 6. c. 150.*
Ignoſcentium exempla.
b *Sur. t. 4.*
c *Sur. t 6. Ado, Vſuardus.*

Quî autem ferre poſſum? alapam infregit, pulſauit virum nobilem, & innocentem. Atrox, fateor, iniuria. præſertim ſi innocentem. Si enim nocentem, oportet ignoſcere illum conſeruo, cui toties à Deo ignoſcitur. Si innocentem, ne perdas innocentiam vlciſcendo, auge tuam, reſtitue illi ſuam: petendo à Deo pœnitentiam malefactori. Equites Martinum pulſarant, equi nec flagello, nec calcaribus adigi potuerunt, vt loco ſe mouerent, donec facti pœnituiſſet ſeſſores. Hæc eſt vltio ſanctorum; impetrare à Deo conuerſionem peccantium. Famuli negligentia mihi noxia fuit: man-

Digitized by Google

mancipium non luet crimen? Homo eſt, ſi iracundia non caritatis moderatione plectitur, iam in te ipſe crudelis es. Iam magnas pœnas ille dedit, qui metuit, paſſus eſt, quicquid exſpectauit. Alphonſus cum inter frutecta adducto, deindé remiſſo ramo grauiter læſus eſſet, dolere ſe dixit dolorem eius, cuius imprudentia factum eſſet. Iram excute |Si pœna exigenda, etiam Biantis exemplo dole noxiorum cruciatu, & tamen à clementia ne recede. Times ne aſſiduitate parcendi clementia exhauriatur, & ſcelera inualeſcant? Vna eſt illa cauſa nō ignoſcendi, ſi aliena iniuria non tua moueare nec tamen Deus hoc metuit, quotidie ignoſcens. Quis vero in familia ampla manum & linguam ſemper teneat. [d] Naturæ cognatio, quæ ſemper benignitatem poſtulat, infirmitas, quæ miſericordia eget. Documentum ſalubre magni Sforciæ, quod filio relinquit, Ne vllum vulnere, aut verbere affligeret, ſi factum eſſet, in longinqua ablegaret. Mitis animus Sabaci, capitis damnatos labore atque operis puniebat. Diſciplinæ eſt neceſſaria ſeueritas? credo: vide, ne & tibi. [e] Sigiſmundus rex Poloniæ ad ſeueritatem hortanti, Qui ſcis, inquit, an à te incepturus ſim? Carnificum eſt timere, ne non habeant, quos puniant, bonorum virorum optare, ne vlli pœna digni ſint: ſin autem, habeant quibus ignoſcant.

d *Nazianzen orat.* 16.
Sforcia.
e *Crom.*

Qui poſſim ignoſcere maleuolo? apud principem me detulit, capitali calumnia. Aliquid inde naſcetur boni, ſummum bonum eſt, ſi condones. Quid mali eſt? apud mundi principem tibi conſtat fama. Vide nobilē aulicum. [f] Eudoxius ad Imperatorem delatus, miſſiq;, qui ad Tyrannum adducerent, inuidiam, atque inimicitias beneficio penſauit, milites conuiuio excepit, qui cum beneuolentia moti nollent in benefactorem eſſe ingrati, ipſe ſponte ſe præſidi obtulit, iuſſus immolare dæmonibus, aut militia ſeſe abdicare, cingulum poſuit, commilitones ad fidem hortatur, & millecentum quatuorque imitatores habuit, qui omnes

Eudoxius ignoſcit.
f 3. *Septem. Metaphraſt.*

V morte

morte ſua fidem Chriſti firmarunt. Cur non referam malo malum; bono bonum, cum poſſim? Quin bono & malo bonum, vt ſis filius eius, qui ſolem oriri facit ſuper bonos & malos. Magno viro ſatis eſt, contra iniuriam, referendi poteſtas, non opus eſt facto. [g] Ladislaus victis Hunnis, hoſtibus aſſiduis, fœderum neſciis, ſæuitia barbaris, milites à cæde continuit. Parcite, exclamat, capite, ſeruate multitudinem, vt Dei populum amplificemus. Digna clementia, quam æternum victoria comes veneraretur. At iam decreui punire, voui non ignoſcere. Peius perficitur, quod male voueretur. Alboinus occiſurum Ticinenſes iurarat, iamq; vrbẽ victam ingrediens, impij voti quaſi reus, funeſtũ ſcelus voluebat animo, verum equus in porta ſubſtitit immobilis, cum iratus foderet calcaribus armos, concidit. Omnibus rei nouitate attonitis, ſubiit familiares crudelis voti recordatio, quo reſciſſo, ſine noxa vrbem inuectus parcere miſeris didicit. Verum tot irritant animos indigna, non poſſum ferre. Si poſſes velle poſſes & facere: nam aliud non eſt facere, quam velle. Occaſionem minue. Auguſtus Pollionis cryſtallina frangi iuſſit, Cotys rex ipſe vaſcula fragilia comminuit vt iræ materiam ſubtraheret. Faſtuoſis decede de via, iracundis loquere blandius. Quandocunq; ſe offert occaſio, materiam virtutis exiſtima. [h] Sendomirenſium dux Caſimirus cum Joanne Conaro totam noctem ita feliciter luſerat, vt colluſori omnia auferret, ille damni dolore, iraq; prouectus duci læto, atq; inſultanti alapam furenter infregit: extrema metuẽti Caſimirus ignoſcit, dolori amici culpam tranſcribit, adeoq; in ſe transfert: monitũ ſe, ne tam duriter ageret, & per ludum ſubditos euerteret. Laudamus hoc in alieno animo decus, cur ſibi quisq; proprium non facit? Par illud Roberti ducis Nortmanniæ, in itinere à ſuis procul abiunctus, in ruſticum incidit, quo cum primum iurgatus eſt, deinde ventum ad verbera, valido iuueni dux impar ſanguine, liuore, & tuberibus obſitus à ſuis repertus eſt, in vindictam accenſos vlciſci vetuit

g *Bonf. l.4. dec. 2.* *Ladislai Vngari clementia.*

Alboinus crudele votum reuocat.

h *Crom.* *Caſimirus Sendomirienſis.*

tuit, ſe ita meritum confeſſus. Monet ille proceres, iniurias, quas infimis inferunt magni à Deo æſtimati, illi quia ruſticanos, & pauperes nihili putant, damnabili ſuperbia eas contumelias ſpernunt, ob quas æternum cruciabuntur. Dux, comes, nobilis ſum, homines viles iſta ferre tenentur, vt mea dignitas ſit conſpicua. Non tenētur autem: Dignitas tua benefaciendo inclareſcat ſi malefica eſt, infra omnes eſt. Dæmonis eſt potentiam oſtentare nocendo, torquendo. Quis vero vilis? Ex eodem omnes luto, in eosdem omnes imus pulueres, & de purpura, & de ſparto. At vero ſeruulus eſt. obſequij honeſti nomen eſt, non iniuriæ. Bauo ſeruulum negligentem venum in cataſta expoſuit, tanta deinde ob ſeueritatem pœnitentia ductus eſt, vt venalitio puniendum ſe dediderit. Beſſarion famuli ruſticitate à pontificatu impeditus: æquo animo tulit, tantum illi dixit: mihi mitram, tibi galerum inuidiſti. Seruanda igitur animi æquitas, excludenda iracundia. Multa melius clementia emendantur, vt fecit Hamon eremita, apud [i] Dorotheum. Lenitas omnibus cara eſt, etiam in hoſte. Phylarchus Arabs ob ſeruatam in partu, redditamq; vxorem à Ludouico Franco, & ipſum & exercitum ſeruauit. Alphonſus pueros, imbellemque ſexum Caieta eiectos, vt eſſet commeatus defenſoribus, benigne recepit, ac fouit, quæ cauſa magnum illi amorem populorum, ac victorias peperit.

i Doctorin. 6

E contrario Otho Tertius nimia ſeueritate ſummum odium contraxit, & imperium animis abalienatis eneruauit. Rem geſtā Brunnerus recenſet in hunc modum, cuius verba pono: [k] *Natalitia Chriſtiana Otho Romæ celebrauit, imo ferali & cruento conuiuio verius infamauit, cuius Tragicum apparatum Thyeſtæ, quam Chriſtiani principis menſa digniorem ex Gotfrido Vuerbienſi plures exſcripſerunt. Accubuerant cum Othone Italicarum vrbium familiarumq; Principes: ad hos, ſub ipſam promulſidem, immiſſus præco graui voce omnibus denunciat, Hoc agerent, qui ſaluos ſe vellent, neq; loco mouerent ſeſe, & tumultu abſtinerent, qui prandium*

k l. 8. Bauar.

Othonis ſeueritas odioſa.

turbaſſet, eum apud mortuos cœnaturum. Cum dicto armata cohors menſis circumfuſa cõuiuas omnes in pallorem dedit. Tum ex tabula ſeditioſorum nomina, turbulenta conſilia factaq; recitata, & vita carnifici addicta. Confeſtim ferrum ſupra reorum capita fuit; eaq; Otho præciſa adnumerataq; bonâ fide recognoſcere ſuſtinuit, fœdoq; ſpectaculo ebrius hoſpites reliquos metum ad ſe nihil pertinentem obruere hilaritate iuſsit; ſublatis proditoribus patriæ, & ſeditioſorum ciuium ſanguine Libertati propinato, epulari, id demum eſſe beatum conuiuium. Sic quidem ille cenſuit; cruentas tamen epulas nunquam concoxit, Sanguinarius, infami, ſed congruente his moribus nomine, dictus; Italis in poſterum conuiuia illius, & imperia pari odio proſequentibus, vereq; æſtimantibus pocula ſanguine temperantis & conuiuas carpentis in oblectamentum crudelitatis, tam deteſtabilem eſſe menſam, quam militiam.

Demum cuicunq; iraſceris, quem punitum cupis: Dic, ſerione illum cœleſtibus inferri palatiis, an ſtygiis fornacibus vri deſideres? Nulli tam immitis ira eſt, niſi ſoli dæmoni. Quid igitur illi iraſceris, cui ſummum bonum precari debes, quem in cœlo amaturus es vt teipſum? Facit huc quam recenſet hiſtoriam [l] Dorotheus, de ira iniqua. *An non contremiſcimus totis viſceribus, dum audimus, quid ſeniori illi magno contigerit? Qui cum audiſſet vnum è fratribus in adulterium cecidiſſe, cum indignatione quod male feciſſet, reſpondit. An non accepiſtis quam horrenda res de ipſo narratur ab antiquis? Aiunt enim ſanctum angelum peccatoris illius animam, cum iam è vita migraſſet, ad ſenem detuliſſe atque dixiſſe: En quem iudicaſti, vita functus eſt, quo me igitur iubes ipſius animam deferre, ad ſuperoſne, an ad inferos? Quid, obſecro, hac re poteſt eſſe magis horrendum? Nihil aliud innuere ſeniori voluit angelicus ſermo, quam hoc. Si tu iuſtorum & peccatorum iam factus es Iudex, dic mihi, oro, de miſerabili hac anima quam ſententiam feras, velisne miſereri, an ſæuire? Qua percuſſus ſenior ille ſanctiſsimus hac tam horribili re, reliquum omne vitæ ſuæ tempus inter lachrymas gemituſq; & innumeras ærumnas egit veniam tanti peccati depoſcens à Deo. Ad pedes tandem Angeli reuertentis procidens, audiuit*

l Doctrin. 6. Ira & iudicium reprimendum.

Digitized by Google

diuit impetraſſe ſe veniam à Deo, Deumq; id feciſſe, vt oſtenderet, quam ei graue & moleſtum eſſet iudicium noſtrum temerarium, monuitq; ne animo id vnquam faceret.

§ 7.

Nulla eſt virtus amabilior, nulla dignior. Alphonſus clementiam hominum, crudelitatem ferarum eſſe dixit. *Clementia homini propria.*

Conueniens homini eſt hominem ſeruare voluptas,
Et melius nulla quæritur arte fauor.

In alieno quiſq; peccato ſui quiſq; miſeretur, alieno ſanguini parcat, tanquam ſuo. Medicinæ apud ſanos horror, apud ægros eſt neceſſitas, Clementię apud ſontes deſiderium, apud innocentes veneratio. Rudolphum Imperatorem ſeueritatis aliquando, clementiæ pœnituit numquam. Pittacus oblatum ſibi filij ſui interfectorem, vt in eum pro arbitrio ſtatueret, ſponte dimiſit; addito ſapientiæ digno elogio: *malo parcere, quam vlciſci.* [m] Nazianzenus adoleſcenti, qui ſibi inſidiatus fuerat, ignouit, ea tamen conditione, vt hæreſin abiuraret, inimico vitam duplicem reddidit, animæ, & corporis. Faro ſexaginta ſex annos in aula regum Franciæ vixit, tranſiens aliquãdo carceres vinctorum miſertus, pro illis Deo preces obtulit, atq; oraculo edoctus omnes reſipuiſſe: *Abite*, inquit, *quia vos factorũ pœnitet:* mox per angelum patefacto carcere omnes abiere. Genouefa quoq; tactu ferratas ianuas aperuit, & reis veniam impetrauit. Idem quoque ſtudium Leodegarij fuit, qui regio ortus ſtemmate, ſolebat viſere carceres, multosq; vinculis eximere. clementia enim cum ratione meritas pœnas remittit. Temperat tamen iuſtitiam, ne ad crimina improbi impunitate prouocentur. Clemẽtiam ſummam iuſtitiæ accurate miſcuit Engelbertus Coloniẽſis antiſtes, diues opib⁹, ſed pro defenſione ſubditorum, inopum ſolatio fortis & interritus prouinciam ſuam, & plebem contra potentes tuebatur, magiſtratus improbos ſuppliciis coercebat, Cæſare in

m *In vita eius.*

Captos liberat clementia.

Engelbertus.

re in Sicilia occupato totū imperium tanta auctoritate adminiſtrabat, tanta æquitate, vt vias omnes tutas, tribunalia pura præſtaret, merces tantæ virtutis martyrium: nam à comite Yſenburgico, quem de ſceleribus admonuit, occiſus eſt. Mortui tamen apparuit clemētia: nam precibus ſuis obtinuit interfectori veram pœnitentiam, ita vt actus in rotam comes inter merita tormenta pie vita defungeretur. Tanta cura viro ſancto, vt parricidam ſecum in æternitate ſocium gaudij haberet. Vere Chriſtianus ſanguis, non vindictam, ſed miſericordiam clamans.

Cap. XLVI.

Magnam patientiæ palæſtram eſſe palatium, curiamq́.

§ I.

Danielis patientia. PAtientia fortitudinis pars eſt nobiliſſima, maior robore, quo in hoſtem interriti milites incurrunt, cædunt, fugant mala pati, quam inferre fortius eſt. Hanc præcipuè Daniel noſter excoluit. De Solymis patriis captiuus in Babylonem ductus, de regia Dauidica in aulam ſæui tyranni, inter idololatras pius agnus in medio Leonum, ſed victor & triumphator, & cum aulæ totius calumniis premeretur, leones Deo duce habuit vindices, quibus obiectꝰ eſca parabatur. In aula Chaldæa, Medica, Perſica ſtetit Chriſto aſſimilatus, gentis ſuæ cladem deplorans, ſed ſanctis patientiæ lacrymis. Tales commendat, & patientiam ſanctorum demonſtrat, cum docet pati proprium eſſe ſanctorum. [a] *Et de eruditis ruent, vt conflentur, & eligantur, & dealbentur vſque ad tempus præfinitum: quia adhuc aliud tempus erit.* Qui regum in obſequio verſantur, plurimum præter ſententiam ac voluntatem euenire illis neceſſe eſt

a c.11.35.

Patientia neceſſaria.

eſt. Vaſta eſt in numeroſa domo rerum aduerſariarum moles, non arte, non vi amoueri poteſt. [b] In Harpaſa cautem eſſe aiunt, quæ duorum digitorum leui motu impellatur, ſi totis viribus connitaris, ſtet immota: mala molliter excepta, non vulnerant, leui ictu declinantur, ſi turbidus impingas, obſiſtunt, & conterunt. Sola patientia illa reprimit. Omnis virtus laborioſa eſt, & magnos labores ſecum regia ſeruitus vehit, qui impatiens eſt, virtutis eſt impatiens, pati cogitur, & ridetur. Nec metue, exantlandus eſt labor, eorum ſunt fructus, quorum & labores.

b *Ariſt. de mirabil. auditionib.*

§ 4.

Salomon impatientiam ſtulto tribuit. *Qui impatiens eſt, exaltat ſtultitiam ſuam.* Summum malum eſt conficere ſe dolore, malum ſibi geminare. Bias magnum malum iudicauit, non poſſe ferre malum: quia nimirum ferēda ſunt, ſtultum autem eſt dolere de eo, quod vitare nequeas.

c *Prou. 24. 29.*

De bono patientiæ librum ſcripſit Tertullianus, deinde Cyprianus melior magiſtro diſcipulus. Vterque malum impatientiæ non rebus ipſis, ſed animorum mollitudini, & impatientiæ aſcribit. Cunctas enim ærumnas grauat impatientia, leues facit, imo lætas patientia: in tribulationibus enim ſancti gloriantur. Norat patientiæ vim in aula Auguſti etiam Epicuræus poëta.

Patientia onus leue redditur.

Leuius fit patientia,
Quicquid corrigere eſt nefas.

Tolerabilia fiunt, dum tolerantur aduerſa. mitigat æquus animus, querelæ exaſperant, iracundia miſerias auget, quies lenit. Beſtiæ dum vincula mordent, & frangere conātur, ſeſe lædūt. Leue fit, quod bene fertur onus. mota face creſcunt flammæ, quietæ moriuntur. iuuencos inſuetos aratri verbera cogunt operi aſſuetis pax eſt. Indomiti labore, & ſtimulis aguntur, ſolus la-

Digitized by Google

bor exercet obſequentes, omnis indignatio in tormentum ſuum proficit: nam & ipſa tormentum eſt. Themiſtocles, qui patientia ſocios, celeritate hoſtes viciſſe eſt gloriatus, iam natus annos ſexaginta quinque impatientia non magni mali taurinum ſanguinem hauſit. *Communia ferenda.* Communia quædam ſunt omnibus, quæ delicati ferre neſciunt, non vitio rerum, ſed culpa mentis ignauæ. Alexius ex diuturno carcere eductus aërem purum perferre non potuit. Titus æger cœlum intuens Deos accuſauit, quod immerenti vitam eriperent: cum quotidie morientes videret, & nonnullos ipſe initio regni ſæuus occidiſſet. Aduerſa te pulſant & grauia? noli te ipſe exacerbare, noli addere malis tuis vigilias, inediam, lacrymas. Vis maior trahit? obſequere: repugnando non ſerius, ſed ærumnoſius ad fata venitur.

§ 3.

Ne iniuriam ex opere æſtimes, ſed auctorem aſpice, noſtrã voluntatem ad patientiam, aliorum & bonas & malas, ad ſalutem ordinantem. Ferre nos ille voluit, ſibi vltionem reſeruat, qui dixit: *mihi vindictam & ego retribuam.* Quod erga voluntate Dei patiẽdum eſt, etiam lubenter ferendum.

Vtilis patientia. Patientiæ hoc inſigne eſt, vt alios quoq; faciat bonos. Patiens ſis, inquit, Auguſtinus, vt facias bonos, vt creſcat numerus bonorum, non te addas numero malorum. Nunquam malus bonum patitur, ſed exercet. Tu bonus tolera malum, ad omnia animus durandus eſt: vt ipſa infortunia in adiutorium vertantur. Poſſidonius æger coram Pompeio perorabat, & dolorem increpabat: Nihil agis dolor. Imbecilla ſe lædi putant, ſi tangantur. Facile eſt cætera contemnere, vere Chriſtianum tolerantia oſtendit iniuriæ. Adeo, vt in bonorum numero cenſendus non ſit, qui malos ferre nolit. Matrona nobilis & diues ab Athanaſio viduam pauperem petebat ſibi dari, quam

aleret,

Digitized by Google

aleret, dedit Epiſcopus, bonam, ſanctam gratam, cuius modeſtia liberalitatem remuneraret. At magnanima virago patientiæ æſtimatrix aliam quoq; poſtulauit, per quam exerceretur, moroſam, iracundam, querulоſam, Athanaſius dedit, tum vero illa lætari, epiſcopo gratias agere, auſteram illam beneficiis cumulare omnia tolerare, requiem putare vetulæ perturbationes iurganti placide reſpondere, aut tacere, glorioſius arbitrata fugere ſilentio, quam ſuperare reſpondendo. Tolerabit in aula collegas, qui nouit ſe quoque habere, quod tolerari debeat. Plurimum illi qui alios tolerare nolunt, aliis ſunt intolerabiles. Nihil ſibi, nihil ſuis delictis, omnia ſolent imputare collegis. [d] Non ita Irene imperatrix: de regio faſtigio ad ima detracta, Deo gratias agebat, quod ad imperiũ eſſet euecta, ſuis peccatis deberi profeſſa, ꝙ eſſet deiecta. Ablatũ honorẽ moderate tulit, certo credebat, Dei amicos nimium honoratos. Honor ciuile bonum eſt, ad honorandum Deum duntaxat optandus. [e] Eadem in Carolo Craſſo animi magnitudo, nec damnis, nec contumeliis fracta. Minora facile feret, etiam is, cui minor eſt animus. Rem expende. Minimo minimæ cogitationis delicto ſibi quiſq; plus contumeliæ irrogat, quam inferri totius mundi, vel ingenio, vel malitia queat. aſperum ac durum aliquid imponitur? Non tonandum, non inſaniendum, non vltio petẽda; his enim factis dignum te reddis, vt patiaris, & à Deo non adiuueris. Sine conſolatione cruciaris, quia iam tuo merito. Omne vulnus iactatione fit grauius. Vires humanæ Dei adiutorio omnia ferre poſſunt.

d *Diac. l. 23.*

e *Regin. l. 2.*

¶ 4.

Quæ paſſus eſt Dominus crucifixus, quæ martyres cõſidera, nõ ſterili cogitatione, ſed fructuoſo voto imitãdi. Pro Chriſto pati glorioſius eſt q̃ regnare toto orbe, quam mortuos excitare, pro illo autem patieris, ſi eius cauſa omnia ſuſcipias, omnia condones. Sine igne

Lætitia patientia.

& ferro martyr: parua, mediocria, etiam maiora ferre diſces, ſi Chriſtianorum in maximis lætitiam conſideres. [f] Neſtor Pergæ Epiſcopus, claritudine generis, & in aula notus, cum in eculeo ad horrorem ſpectantium tenderetur, non plorabili voce, ſed geſtiente lætitia mentis exclamauit: *Benedicam Domino in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* Cum præſes inſtaret, vt abdicato Chriſto ſe tormentis eximeret: *Cum Chriſto ſemper fui, & ſum, & ero, reſpondit.* De cruce deinde pendens immemor tormentorum, memor caritatis, populum docebat, cum à circumſtantibus impetraſſet, vt ſecum preces ſociarent, in oratione ſpiritum Deo reddidit. Illa eſt patientia ſanctorum, tantum gaudij de magnis malis complexa, quantum doloris caperent ignaui. In plurimis iſta fuerunt, maxima in nobiliſſimis Euſebio, Porphyrio, Pontiano, Vincentio, qui mediis in cruciatibus hilari voce, cum admiratione cunctorum in DEI laudes eruperunt. [g] Euſebius cum neruis diſtraheretur, igne torreretur, plumbatis contunderetur, exciſa lingua trepidantibus ad miraculum tortoribus, orabat: *Gloria tibi Domine Ieſu Chriſte, qui me dignatus es ſeruus tuis ad gloriam adiungere.* Quid porro rationis afferent, quos minima delicatos tactio in rabiem agit? Si non ritè conditæ epulæ, ſi calceus preſſit, ſi non lucent orbes, ſi oculos Atrienſis ſubtile Arachnes textum effugit, ſi de multitudine nauſea, ſi de ebrietate grauedo dolores attulit, quaſi Priamo vi vita euitetur, tragœdias agunt. Optent potius breuia mala, quam æterna. Melius eſt poſt paucas anguſtias beari, quam poſt breuem lætitiam damnari. Deo credite: nos mala nobis obeſſe opinamur: ille prodeſſe nouit.

f *Martyr. Rom. 2. Febr. Sur. t. 2. Niceph. l. 7. c. 15.*

g *Petrus in Catal. l. 7. c. 111. Vincentius in Speculo l. 20. c. 119.*

***

CAP.

Cap. XLVII.

Conſtantia, fortitudo, & generoſitas principum & magnatum familiaritate digna.

¶ I.

FOrtitudo alia eſt in firmitate oſſium, robore neruorum, & corporum ſoliditate ac duritie, de qua nimium ſæpe verum eſt, fortitudo corporis animæ imbecillitas. Non eſt igitur de gladiatoria laterum firmitate, non de gigantibus, Milonibus, aliiſq; ſermo. Illis plerumq; fortitudo exitium adfert, & in parœmia dicuntur, fortes citò naufragium facere. Tales apud Danielem pereunt; [a] *Porro viros illos, qui miſerant Sidrach, Miſach, & Abdenago, interfecit flamma ignis, erant illi viri fortiſſimi de exercitu.* *Robur corporis inane.* a c 3.22.

Altera fortitudo planè regia videtur, quæ opibus, armis, exercitu cõtinetur. Hanc in Nabuchodonoſore prædicat Daniel: [b] *Magna arbor, & fortis & proceritas eius contingens cœlum: aſpectus illius erat vſque ad terminos vniuerſæ terræ.* Et deinde: [c] *Arborem, quam vidiſti ſublimem atque robuſtam; cuius altitudo pertingit ad cœlum, & aſpectus illius in omnem terram.* Tum: [d] *nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ?* Eo ſignificatu etiam quarta beſtia fortis eſt: [e] *Mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus ſuis conculcans.* Et [f] Alexander rex fortis. Hac Darium Alexander vicit: [g] *& cucurrit ad eum in impetu fortitudinis ſuæ.* Sic Antiochus Epiphanes & Ptolemæus concurrũt: [h] *& cõcitabitur fortitudo eius, & cor eius aduerſum regẽ Auſtri.* Neq; hæc fortitudo eſt, quã quærimus; quia contereturr. [i] *Filia regis Auſtri* Berenice *venit* quidem, *ſed non obtinebit fortitudinem brachii.* [k] *Et Electi regis Auſtri conſurgent quidem ad reſiſtendum, ſed non erit fortitudo.* b c.4.8. c v.17. d v.27. *Fortitudo regia.* e c.7.7. f c.11.3. g c.8.6. h c.11.25. i c.11.6. k v.15.

Ter-

Fortitudo vera. Tertium igitur genus fortitudinis quærendum ſupereſt, quod commendare aulicæ dignitati & proce-
l c.10.v.1. ribus oportet. Illud quoq; Danieli notum eſt, [l] *anno tertio Cyri regis Perſarum verbum reuelatum eſt Danieli cognomento Baltaſſar* : veritas verbi, & fortitudo (Zaba) magna, exercitus magnus, Dei nimirum Eccleſiam protegentis, & ipſam Eccleſiam fortium. Nam cornu
m c.8.9. paruum Antiochus, [m] *& factum eſt grande contra meridiem, & contra orientem & contra fortitudinem.* Fortitudo hic eſt Eccleſia, & qui eam defenderunt Maccabæi, quique fortiter pati, quam malè agere maluerunt, vt libri Maccab. deſcribunt. Hæc vocatur fortitudo
n c.8.10. cœli. [n] *Et magnificatum eſt vſque ad fortitudinem cœli.* Deiiciet de fortitudine, viros fortiſſimos, Judam, Jonatham, alios, qui erant & ſidera fauſta Iſraelis, & ſalubria. Hos fortes eſſe viros, ſanctos, fidos, principes
o c.8.11. fidelium oſtendunt proxima verba: [o] *& vſque ad prin-*
p v.12. *cipem fortitudinis magnificatum eſt.* [p] Hoc robur autem contra Eccleſiam datum eſt propter peccatum. Hos eſſe fortes Dei Angelus conteſtatur, qui Danieli viſio-
q v.24. nem exponit : [q] *Et roborabitur* (Antiochus) *fortitudo eius, ſed non in viribus ſuis : & ſupra quam credi poteſt, vniuerſa vaſtabit, & proſperabitur, & faciet. Et interficiet robuſtos, & populum ſanctorum.* De eodem & de Antichri-
r c.11.31. ſto ſermo eſt in alia viſione : [r] *Et brachia ex eo ſtabunt, & polluent ſanctuarium fortitudinis, & auferent iuge ſacrificium : & dabunt abominationem in deſolationem.* Sanctuarium fortitudinis eſt ipſa Eccleſia ſancta, templum & Sancta ſanctorum, Eccleſia virorum fortium cum perſecutore mundo, & dæmone prælium.

§ 2.

Fortitudinis officium. Fortitudo timoris, & fiduciæ eſt moderatrix : Media enim inter vtrumque animum tuetur, ne vel metu ab officio diſcedat, vel temeraria audacia mala acceſſat. Materia eius eſt mors & dolor, quem honeſti cauſa contemnit, opus eius fortia agere & pati. In bello

illius

Digitized by Google

illius vſum præcipuum putat Ariſtoteles, in eo ſunt mala terribilia, & ante oculos honeſta mors, ad quam fortis ſtat impauidus. Eum, qui fidenter aut plagas accipit, aut in naufragio fidit, negat ille fortem. at profecto, qui tormenta ſuſtinet, ne ab officio diſcedat, vt filius Q. Ciceronis, qui cruciatus perferebat, ne proſcriptum parentem proderet, fortiſſimus eſt. Et qui virili animo quamcunque mortem exſpectat, nec deiicitur, ſed ad Deum aſſurgit, hanc virtutem exercet. Bellator autem fortis eſt, non feriendo hominem: hoc enim & carnifex facit, ſed contemptu ſui doloris & mortis, qui in acie neceſſarius eſt, & honeſti cauſa: nam carnifex vinctos ſine ſuo periculo cæit. Non ſolet vt obſeruauit [s] Ambroſius hæc virtus incomitata eſſe: alias enim tuetur, & cum illæ terrore pulſantur, munit. Collegæ Danielis ab idololatria abhorrebant, illa fidei rectitudo, niſi fortitudini copulata, erat futura vidua, & ceſſura formidabili flammæ. At nunc animoſe reſpondent: [t] *quod ſi noluerit, notum ſit tibi, Rex, quia Deos tuos non colimus, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adoramus.* Charitatem, & fidem comitatur, & ſpernit vultum tyranni pallentis ira. Tale in Paulo Apoſtolo, & Electis robur. [u] *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?* Tali fiducia Daniel deuotionem ſuam propugnat, nec metu Leonum tempora modumve orandi mutat: [x] *quod cum Daniel comperiſſet, id eſt conſtitutam legem, ingreſſus eſt domum ſuam: & feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contra Ieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat, confitebaturq; coram Deo ſuo.* Nec minus fortiter agit, cum [y] Bel deſtruit, templum deiicit, contemptor furioſæ multitudinis; draconem etiam interfecit: Hic fidem, pietatem, zelum, charitatem, ad præclara facienda fortitudo animauit, nec rugitus leonum deterruit. Nobile quoque fortitudinis fœmineæ exemplum producit Suſannam, in qua caſtitatis decor eluceet

s *l.3 offic.*
Fortituto non ſola.
Daniel fortis.
t *c.3.18.*
u *Rom.8.35.*
Danielis fortitudo.
x *c.6.10.*
y *c.14.27.*

Digitized by Google

cet quidem, ſed præcipue laudatur animi robur. Pugna enim eius erat contra libidinem leuior, contra metum grauiſſima. Hircoſos ſenes, amoris remedia ſecũ adferẽtes facile erat ſpernere caſtæ Matronæ maritum amanti. Nam cæteræ quoq; filiæ Iſraël non voluptate, ſed incuſſo timore ad flagitium ſollicitabantur. [z] *Sic faciebatis*, inquit, *diuus Ephebus, filiabus Iſraël, & illæ timentes* (non laſciuientes, non libidinantes) *loquebantur vobis. Sed Filia Iuda non ſuſtinuit iniquitatem veſtram.* Ipſa hæc Suſanna teſtatur; & ſecum diſputat, & fortiter concludit: [a] *Ingemuit Suſanna, & ait: Anguſtiæ ſunt mihi vndiq;: ſi enim hoc egero, mors mihi eſt: ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras. Sed melius eſt mihi absque opere incidere in manus veſtras, quam peccare in conſpectu Domini.* Filiorum Dei illa eſt conſtantia, reproborum mutabilitas leuitasque animi, qui in carne & ſanguine volutantur: ſibi diſpares ac graues, qui per ſcelera à dæmone, quaſi in funda rotantur. Porro quamuis fortitudo in metu rerum terribilium omnia ex recta ratione gubernat, qualia ſunt mortes, arces & morte acerbiores dolorum ſtimuli: In minoribus tamen etiam locum habet, cum virtutis ergo ad perpetuos carceres damnantur, cum Marcellus ad catabulum, cum Chriſtiani ad metalla, ad ſecanda marmora, ad arenarias: relegabantur, cum in ſeruitutem dabantur: cum paupertatis, famis, ſitis, laborum incommoda ferre coguntur.

Suſanna fortitudo.

z c.13.57.

a c.13.22. 23.24.

In terribilibus fortitudo.

§ 3.

Heroicam virtutem ab aula exſpectare, inter delicias multi ſupetuacuum exiſtimant: materiam cauſantur deeſſe virtuti. Vtinam ne virtus materiæ deſit. Sane nemo nobilium in aulâ eſt, qui non ſtrenuus videri, & veluti expers terroris Achilles, laboret. Priſco Chriſtianæ Reipublicæ æuo, integri populi fideles, heroum natio fidem ſuam, innocentiamq; hac armatura defendebant. Traianus acerbam ac cruen-

In aula fortes.

Chriſtiani Priſci Heroes.

tam

tam perſecutionem mouerat, illi tamen ſuſtinendæ non modo par Chriſtianorum conſtantia fuit, ſed terrorem inſuper ingentem attulit ſæuientibus. Tiberianus præſes Imperatori ſcripſit: *Chriſtianis occidendis ſe imparem eſſe.* Tantis ſe agminibus ad mortē præclaram offerebant: omnia ferre, & frameæ potius quam culpę ſuccūbere parati. Lumina tum vrbium, & Senatus pro martyrio felicius, quam pro faciebus, mortium candidati, ambiebant. Diu manſit ille religionis vigor, & ſine metu fortitudo: nam vere Prudentius canit.

Dei perenis nomen aſſerentibus,
Mors ipſa ſubiacet.

Hominem timere, etiam Cæſarem, ſeruus Dei erubeſcit. Geneſius ſane fortiter clamat: *Nō eſt rex niſi Chriſtus, pro quo ſi millies occidar, ipſum de ore, ipſum de corde tollere non poteſtis.* Non nocet martyribus, ſed perſecutoribus ſæuitia. Victor vir nobilis fuſtibus cædebatur, præcone clamante, *Diis immola*: illeècontra: *non ſacrifico dæmonibus, ſed me Chriſto ſacrificium offero.* Ibat igitur an cœlum rara victima, cadebant hoſtes victimæ gehennæ. Hoc conſequitur ne teneantur in vita prolixa mora, quæ eſt malorum multorum cauſa. Expedite Tertullianus. *nihil intereſt noſtri in hac vita, niſi vt quamprimū decedamus.* Et Nazianzenus quoq; optimum eſſe, ita agere, vt ex vita quamprimum abſoluamur. Nec adultis modo, ſed & pueris. Sic Maccabæi fratres, Juſtus, Paſtor, Joannes, Vitus, Paulillus, Florellus, alij plurimi. Omnium quidem Chriſtianorum eſt fortiter agere, & pati, ſed præcipue nobilium & magiſtratuum: neque enim vllus locus præſtantiores maytyres, quam aula dedit veros Danielis imitatores. Marinus, dignitate & morte propoſita, hanc elegit. [b] Euſebius. Nero plurimos Romæ occidit, vt eſt apud Tacitum. Claudius ſæuior fuit. Achati Mauritij integræ legiones generoſe mori, quam cædere hoſtes maluerunt. [c] Baro. Traiano imperante magna pars Romanæ nobilitatis pro Chriſto ſanguinem fudit.

Geneſii fortitudo.

Aulici martyres.

b *l.7.c.14.*

c *Tom.1.2.*

Gal-

Gallienus nobilitatem Africanam religionis Chriſtianæ tenacem trucidauit. In viris illuſtribus S. Procopio, Perennio, Geruaſio, Protaſio, Claudio, durauit illa conſtantia. Veniunt in hunc cenſum & reges martyres. Edmundus & Eduardus Angliæ: Wenceslaus Bohemiæ, Canutus Daniæ, Ericus Suetiæ, Olaus Norwegiæ, Sigiſmundus Burgundiæ: Delicias & tormenta fortitudine animi, non ſceptris aut ſanguine ſuperauerunt. Virtutis certamen fuit. Omnia ſuſtinuerunt, quæ videre vix ſuſtineant, quorum animus infirmus eſt. Multa de ſuorum fortitudine gentiles prædicant, nihil tale, ne fingere quidem auſi ſunt, quale noſtri fecerunt, Julianum fabulas Deorum ſecutum Nazianzenus ex martyrum actis confutat. [d] *Hæc, inquit, non colis, ſed contemnis, qui Herculis rogum, ex calamitate iniuriisq; mulieribus illatis excitatum, admiraris, &* Pelopis *laniationem*, illam, inquam, *vel hoſpitalem, vel à Deorum amore profectam: ex qua Pelopidæ ab humeris & ebore nobilitati ſunt: qui etiam Phrygum, qui tibiæ ſuauitate mulcentur, & poſt tibiæ cantum contumelia afficiuntur, exactiones, & in Mithræ ſacris adhibitos cruciatus, iuſtasq; aut etiam myſticas vſtiones, & hoſpitum apud Tauros cædem, illudq; apud Troiam puellæ regiæ ſacrificium, & Menacei pro Thebanis fuſum ſanguinem, poſteaq; filiarum Scedaſi in Leuctris: Qui Spartanos adoleſcentes, virgis ſeſe lacerantes, laudas, & aram cruore reſperſam, Deam caſtam & Virginem oblectantem: Qui Socratis cicutam extollis, & Epicteti crus, & Anaxarchi vtrem, quorum patientia coacta potius ac neceſſaria, quam libera & voluntaria erat: Qui Cleombroti Ambraciotæ ſaltum, ad quem ex libelli de anima lectione impulſus eſt: Qui Pythagoricam illam pro fabis contentionem, & Theanus, aut neſcio cuius alius, ex iis, qui Pythagoricis myſteriis initiati erant, eiusque dogmata ſequebantur, mortis contemptionem? Quod ſi tu ſuperiora illa noſtra non miraris, at certè præſentia mirare, ô omnium ſapientiſſime & fortiſſime, atque in Epaminondas illos & Scipiones tolerantiæ ratione intuens: qui ſimul cum exercitu iter facis, & victum tenuem ac plebeium amplecteris, & eam*

d *Orat.* 3.

Gentes minime fortes.

eam gerendi belli rationem laudibus efferſ, in qua Dux omnia per ſe adminiſtrat. Eſt quippe generoſi & ſapientis animi, ne hoſtium quidem virtutem contemnere: verum hoſtium fortitudini plus tribuere, quam ſuorum, etiam familiariſſimorum ignauiæ atq; languori.

§ 4.

Dolor grauis ſolet eſſe breuis. Non lactatur illa ſpe Chriſtiana fortitudo; longum virtus exercitium amplectitur. Timotheus & Maura nouem ipſos dies in cruce pependerunt, nec eos quiritando, plorandoque, ſed mundi conditorem & redemptorem laudando inſumpſerunt. Non metuebant futurum, qui præſentia ferebant. Nemo diu hic moritur, etiam ſi per dies, & annos. In futuro multi ſemper morientur. Hic extremũ doloris eſt gaudium plenũ, medium conſolatio occupat, ibi nouus dolor veterẽ continuat. Inuicta pariter conſtantia Fauſtus ſub Diocletiano dies quinq; in cruce perſtitit, & orando & monẽdo illuſit dolori. Victor quoq; tribus diebus in fornace perſeuerauit vultu decoro, & hymnis cœleſte numen laudauit. Dolere ſe, non cruciari ſentiebat, diſpergebatur dolor vt fumus, cum mens igne feruidior ad cœlum tenderet. Totidem dies poſt varia tormenta in fornace arſit Chriſtina. Lucia vidua à filio Euprepio accuſata, etiam abominante Diocletiano, in lebete, qui pice & plumbo bulliebat, toto triduo torta eſt. cum adhuc ſæuiret rabies torquentium: domus iudiciaria concidit, iudicemque oppreſſit. Procopius Mutium ſuperauit: Thus manu accipere iubebatur: ea arulæ prunis ardentibus, imponebatur, vt, ſi dolore manum verteret, iniectis in ignem ſuffitibus Diis litaſſe videretur: ille dextram immotam exuri permiſit, & ferre dolorem maluit, quam minimam maledicendi occaſionem dare. Cumq; homines omnia faciant, vt dolore liberentur, hic ne manum quidem vertere ſuſtinuit: Cantabat interim verba Dauidica [e] *tenuiſti manum dexte-*

Diuturna ſupplicia.
Timotheus Maura.
Rom. Mart. 16. Iulii. Fauſtus Victor.
Rom. Mart. 4. Iulij. Lucia.
Procopius.
e *Pſal. 72. v. 24.*

X *ram*

ram meam: Et in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me. Præſidi lachrymas exprobranti reſpondit non mirum eſt, inquit, cum lutum igni admouetur, ſudat. Deinde inſaniam iudicis ſe flere proteſtatur. Eadem animi firmitate manum vt Baſilius recenſet, Barlaamus immotam tenuit, cum prius variis tormentis debilitatus eſſet. Et cantabat frendentibus hoſtibus: *Benedictus Dominus Deus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Neſcio an non hos omnes vicerit Gordianus Centurio, qui paſſus eſt, quicquid pati voluit. nam pro facto voluntas in Dei iudicio fuit. Paulum metu crudelitatis ſeceſſerat, cumque ad necem quæreretur, ſponte theatrum ingreſſus exclamat: *Inuentus ſum à non quærentibus me.* In tormentis canit: *Dominus mihi adiutor, non timebo, quid mihi faciat homo.* Increpat ignauiam carnificum, ad nouos cruciatus ſemper illud memorabat: *Damno ſe affici, quod non ſæpius mori pro Chriſto poſſet.* Hæc lætus, & placida voce prolocutus, in rogum paratum ſe ipſe immiſit. [*f*] *Domus enim iuſti plurima fortitudo: & in fructibus impii conturbatio*, vt Salomon docet. Primo non temere auſus eſt, deinde non inconſulte timuit.

Baſilius martyr. — *Gordianus.* — *f. Prou. 16. b.*

¶ 5.

Vltro ſe offerebant ſuppliciis.

Non trahebantur ad ſupplicia, ſed ſponte ibant. quod eſt liberrimæ fortitudinis. Nec fortis eſt, qui inuitus dolores perfert, quiq; vt timidi gladiatores ferro & igne in vulnera cogi debet: infamis Vlyſſes qui bellum furore detrectauit. Mennas Diocletiano, vt & Maximiano vehementer charus, & familiaris, die Cæſarum natali, cum omnes aræ viciq; Dæmonum ſacrificiis inceſtarentur, publice Imperatores arguit, & ſe Chriſtianum profeſſus, omnem ſuppliciorum atrocitatem tam læto animo tulit, quam auido exſpectauit. Quam præſens conſtantia Feliciani: nam audito decreto de ſuo martyrio, *ô quam iucundos dies annuncias*, inquit, *octoginta annis iam exſpectatos.* Nec aliter pertulit, bonum

Mennas. — *Felicianus.*

Digitized by Google

bonum ſuum ad terminum deduxit, nec terga dolori dedit, probra ſuſtinuit. Victor Carthagine Proconſul minantibus multa barbaris facile conſilium expediuit: *Dicite, inquit, regi veſtro vt me ignibus ſubiiciat.* Et Ambroſius minanti Calligono. *Caput tibi tollo.* reſpondit: *Deus tibi permittat.* Quam animoſe occurrit Tiburtius & Valerianus quærenti perſecutori, cur Martyrum corpora ſepelirent: *quia nos, inquiunt. fieri cupimus eorum ſocii.* Demetrium nobilem & fortiſſimum ducem Maximianus ipſe proconſulis Græciæ inſignibus ornabat, vt obligatiorem haberet: Ille quaſi ad Euangelium prædicandum illo honore incitaretur, vbiq; Chriſtum annunciat, deinde in ipſa concione captus optatam ſibi mortem affirmat. Armerius Albanus, vir clarus & potens promiſſa libertate, ſi Mahometem coleret, abominatus eſt apoſtaſiam, & crudelem in modum diſſectus: [g] Andreas ſub Maximiano paucis Chriſtianis militibus multos Perſas vicit. de fide accuſatus bellicæ fortitudini adiecit laudem conſtantiæ Chriſtianæ, ornamentum omnium virtutum, & in lectum æreum ignibus ſæuientibus candentem ſponte aſcendit, in quo canticis & hymnis ſe dux magnanimus refrigerabat. Irene quoq; fœminam ſupergreſſa minantibus hoſtibus in rogum ipſa inſiliit. Indi Philoſophi Alexandro reſpõderunt mentes eum cogere non poſſe, in corpora habere poteſtatem, ignem eſſe aſperrimum homini tormentum, illum à ſe contemni. In igne Petrus intimus Diocletiano, & à cubiculis, quaſi in roſa placida exſpirauit, Pari alacritate Maximus Claudius dux domi militiæque nobilis, aulæ decus ad oſtia Tiberina viuus exuritur.

Victor. Ambroſius. Tiburtius. Valerianus. Armerius. Andreas. g [illegible] Hiſt. [illegible] Irene Contemnunt ſupplicia. Indi. Petrus.

§ 6.

Virtutem in dolore incitabat ſpes præmij, quod in Dei coniunctione cernitur. Puſices medicus aulę, ſed & animorum: cum Ananiam ſenecta debilem ad tormẽtorum magnitudinẽ trepidare & expaueſcere videret:

Spes præmij.

non tenuit ſe, quo minus nutanti verbis conſtantiam adderet. *O ſenex*, inquit, *pauliſper oculos claude & æterna vido*. Valuit exhortatio, geminata eſt palma. Vnus periclitabatur de perſeuerantia, in ancipiti ſtabat victoria, duo triũpharunt. Nam & Ananias in agone perſtitit, & medico hortatori lingua exciſa datum eſt certaminis conſortium, qui ex ſpectatore factus Athletes ſpecioſiſſime pugnauit & vicit. Adrianum aulæ Diocletianæ principem & magiſtrum officij, nondum de Chriſto plene inſtructum, eadem ſpes ad maximum opus impulit. Cum enim dira cruciamenta perferre Chriſtianos magna alacritate & congratulatione cerneret, magna quædam ſperari ab his præmia iudicauit, quæſiuitque ex martyribus quænam illa bona eſſent, propter quæ omnia, quæ ſunt in natura triſtiſſima, ferrent. Cui tres, qui tum lignis extenſi, crudis neruis cæſi, lapidibus ora contuſi, linguis quamquam radicitus euulſis animoſe reſponderunt: *exſpectamus* [h] *quod nec oculus vidit nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, inenarrabile bonum, quod parauit Deus his, qui diligunt eum.* Tum ille lætitia geſtiens, à ſe abiens, & in Chriſtum tranſiens, dixit exceptoribus: *annotate meam confeſſionem cum his ſanctis & Athletis Dei, quia & ego Chriſtianus ſum.* Trepidare tota aula dæmones, dæmonumq; miniſtri Imperator Diocletianus rei nouitate perturbatus, cum viro clariſſimo diſceptationem inſtituit, victo Imperatore etiam tormenta ſuperauit, & ad agonothetam ſuum glorioſus aſcendit. Plato nobilis Galata è Boiis oriundus, cum à quatuor tortoribus, deinde à duodecim flagellatus in carcerem reduceretur, dicebat: male tugurium ſuum habitum dictans: ſe eſſe immunem, ad conſtantiam Chriſtianos hortabatur: illud Pauli omnium auribus inſonans: [i] *non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* res horrida, triſtis aſpectus, dolor inimicus naturæ, totum corpus vnum vulnus, ſed heros ille non ſucceſuit malis, non fecit dolorem querela turpem, ſed inſul-

Ananias Puſices.

Adrianus.

h 1. *Cor.* 2. 9.

Plato.

i *Rom.* 8. 18.

inſultando glorioſum. Cedit enim dolor fortibus, inſultat ignauis, Vrbicius iudex Lucium duci iubebat, ille lętus ad Deum ſe ire dicebat, ibatq; quaſi ad triumphum, & regnũ. Elpicius nobilis ſenator ſponte ſe dedit torquentibus, primum equis indomitis tractus, deinde igne tortus, æquo ſemper vultu, & placido animo omnia ferebat, & exſpectabat. Victorem imperante Antonino Sebaſtianus iudex immaniter torquebat, equuleo neruos luxauerat, ſecretis naturæ partib⁹ feruens oleum infundi imperabat, tum Martyr: *O quam ſuaue eſt hoc, ſicut aqua ſitibundo.* *Victor.*

§ 7.

Non tamẽ profanæ ſuperbiæ feroci virtute ſuperabãt Chriſto nitebãtur. Quare maiora humanis decora gentiles intuiti, magicis artibus perſeuerantiam in tormentis tribuebant. Quod cum Pontiano ſuper prunas ambulanti Fabianus iudex exprobraret, ille inſigni reſponſo calumnias retorſit: *In nomine Chriſti ſuper prunas ambulo, tu in nomine Iouis, vel manum in aquam calidam immitte. Si autem præſtigiæ ſunt, cur eas Dii tui non tollunt?* Heroum noſtrorum robur omne ac vis in humilitate cordis, non ſui fiducia fundatur. Quæ enim ſuperbis ineſſe videtur conſtantia, fragilitas eſt. Tam infirma, quam inanis. Gaudium Dei eſt fortitudo ſanctorum. Norunt ſe moriendo nõ perire, ſed reddi immortales, ituros in paradiſum Dei ſui, vt Theophilo aliquando Dorothea promiſit. Profectus itaque Chriſtianæ virtutis fortes efficit, & gratia cor ſtabilit, vt docet Dorotheus. [k] *Nam quanto proficit anima, tanto fit fortior & valentior ad ferenda, quæcunq; dura contigerint. Iumentum enim illud fortiſſimum dicimus, quod onus quodq; etiam magnum valenter & commode vehit, & ſi contigerit caſu vllo offendere vel cadere, ita ſtatim excitatur & reſurgit, vt vix offendiſſe, vel cecidiſſe ſe ſenſerit. Debile autem animal cuicunq; oneri etiam leuiſſimo ſuccumbit, & ſi ceciderit, ad reſurgendum multorum opus habet auxilio. Idem eſt de anima, quæ quoquo*

Spe Chriſti certabant.

Pontianus.

k Doctrina 7.

Profectus cauſa fortitudo.

Digitized by Google

magis peccauerit, eo fit ſemper debilior. atq; in eandem ſententiam Nazianzenus. [l] *Non enim in veſte, ſed in animi conſtantia, humilitas ipſi ſita erat, nec colli depreßio, aut vocis demißio, aut vultus inclinatio, aut promiſſa barba, aut capitis ad cutem vſq; raſi exornatio, aut certus incedendi modus humilitatē effingebat (quæ vt ad breue quoddam tempus exprimi poſſunt, ita quam celerrime ſeſe produnt: nihil enim ſimulatum conſtans ac diuturnum eſt,) quin potius idem, & vita maxime ſublimis, & animo perquam humilis erat: cuiusq; ad virtutem nemo aſpirare poterat, ad eiusdem congreſſum perfacilis omnibus aditus patebat.*

Cap. XLVIII.

Fortitudinem ac magnanimitatem veterum nobiles & palatinos noſtros imitari oportere.

§ I.

Obmurmurari mihi audio, & doctrinæ fortis conuitia. Tune iſta delicatulis noſtris? Tu carceres, gladios, eculeos, beſtias, cruces, ignes? Nondum ad iſta maturuerunt, leuiſſimis mouentur, punctionē acus, niſi forte ad ſuperbiam aures perforentur, ferre nequeunt: mortis mentionem tanquam dirum omen exhorreſcunt. Semper illis eſt de morte importuna narratio, etiam ſenibus, etiam morientibus. Verum ego contra audentior ibo. Non eſt doctrina Chriſti Lesbia regula, ad tortuoſam morum prauitatem flexilis, ad hanc normā immobilem animorum ædificatio dirigēda eſt, vt in cœlum vſq; domus excreſcat. Nihil dignius eſt homine quam vt imitetur auctorem. Imitetur & imitatores Chriſti: perfectiores illos, non multitudinem. Caueant ne filij ſint mali ex malis, beſtiæ, ex beſtiis: Si autem filij martyrum, opera martyrum faciant, ita lætis vtantur, vt & triſtibus gaudeant.

Forti doctrina opus eſt illis qui ſaluandi ſunt.

Dura non fugienda.

Scilicet

Scilicet aduerſis probitas exercita rebus,
Materiem triſti tempore laudis habet.

Si luctandum eſt cum aſperis, ne turbetur nouitate, turpe eſt cum officio luctari. Indicium malæ mentis eſt, inter ſimulationem virtutis, & amorem vitiorũ fluctuare. Vigorem veterum capiant, nec ſint inconſtantes, ne vt conchylia à luna mutentur. Si imbecilles ſunt, fortitudinem induant, munimentem infirmitatis inexpugnabile. Aderit illis de cœlo auxiliator petra & refugium malorum, ille inquam, qui Quintino, dum flagellis laceratur, acclamat: *Conſtans eſto, ego tibi adſum.* Plurima, non quod difficilia ſint, non audẽt timidi, ſed quia non audent, difficilia ſunt, perturbantur non rebus, ſed opinionib⁹. In cœlum ardua eſt via magno labore enitendum eſt. Memoria fati imminentis, iudicij damnantis, cruciantis inferni delicatis ingerenda eſt etiam inuitis, Hanc fortitudinem, quæ bello tuetur à barbaris patriam, domi defendit infirmos, à latronibus ſocios, ab infidelibus orthodoxos palatini dilaudant, nec iniuria: plena iuſtitia eſt, Qui enim non repellit à ſuis iniuriam dum poteſt, tam in vitio eſt, quã ille, qui facit, Eſt autem non in inferenda, ſed capienda iniuria lex virtutis, dum priuatim patimur, non cum publico bono, & quieti ſtudemus. *Fortitudo bellica laudata nobilibus.*

§ 2.

Dignos ego proceres, duces, tribunos, centuriones, nobiles iudico, quos horter ad Chriſti, apoſtolorum, martyrum imitationem. Hos omnes ſimul: nã erat eo tempore aula caſtrenſis. & in illa decus militiæ. Venerari ſaltem & ſuſpicere eorum virtutẽ neceſſe eſt. Nazianzenus ſane Juliano Apoſtatæ pro crimine obiicit, talium contemptũ virorũ. *Non victimas pro Chriſto cæſas veritus es? nec magnos pugiles extimuiſti, Ioannẽ illũ Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanũ, Lucam, Andream, Theclam, eos, qui & poſt illos, & ante illos, pro veritate periculis ſe obiecerunt qui cum igni, & ferro, & beluis, & tyrannis, & præſentibus malis, & denunciatis, alacri animo, velut in alienis corpori-* *Suſcipiendi martyres.* *a orat. 3.*

Digitized by Google

bus, imo quaſi corporum expertes dimicarunt (cur? ne pietatem vel verbo tenus proderent.) Quibus præclari honores & feſta conſtituta ſunt: à quibus dæmones propelluntur, & morbi curantur: quorum apparitiones & prædictiones: quorum vel ſola corpora idem poſſunt, quod animæ ſanctæ, ſiue tangantur, ſiue honorentur: quorum vel ſolæ ſanguinis guttæ, atq; exiguæ paſſionis ſigna idem poſſunt, quod corpora?

Martyres nos hortantur. Deinde Heroës priſci de pyra, de cruce, de eculeo ad ſe nos inuitant. *Quirinus.* Quirinus epiſcopus ingenti ſaxo alligatus, mergi non potuit, ſuper aquas ferebat eum Spiritus ſanctus, cõcionantem in ripa ſtantibus, & hortantem, vt votis magnis tormenta ſubirent, facilia ex difficilimis facerent animi magnitudine. Hanc ad maxima tendere. magnum eſſe, qui cœleſtia amat, terrena nec metuit mala, nec cupit proſpera. Chriſto confidentes ſtare rectos ſub omni pondere.

§ 3.

Leuiora petuntur hodie. Veruntamen non eo ſolum fine perfectæ conſtantiæ exempla produxi, quod ei pares omnes iudicem: nam triſtiſſimos ferre cruciatus in ſuo corpore tanquam alieno, maius eſt, quam vt ferre queant, qui etiam in noxiorum ſuppliciis exalbeſcunt. Minora à noſtris exigam. Ne malorum metu leniorum de officio deiici ſe ſinant: in vita innocente perſeuerent. Bonum inchoare, malo fine concludere, incipere à ratione, à gratia, deſinere in ſenſu, in delicto monſtroſum eſt; hoc eſt, humano capite ceruicem equinam, ſerpentinam caudam adiungere. Non autem martyres illi tantummodo ne idolis ſacrificarent, aut Chriſtum abnegarent in cruciatibus perſeuerarunt. Sed ne in alias quoque Dei leges committerent, vt gloriam Dei propagarent, ne pudicitiam proderent, ne cõſcios religionis indicarent, orationem aut docendi munus intermitterent, vt eleemoſynas darent, martyres ſepelirent, infirmos corroborarent, vt veritati teſtes eſſent, ne ſacra traderent. *Gregorius.* Gregorius ſenior magno zelo reſtitit Julia-

Digitized by Google

Juliano templum petenti. Felix Tibarenſis occiſus eſt, quod nollet tradere perſecutoribus ſacras Scripturas. *Habeo*, inquit. *ſed non do.* Euplius eadem de cauſa diutiſſime grauiſſimeq; tortus eſt, nec tradidit. Ad ſupplicium vero elogio præſtantiſſimo, alligato ad eius collum Euangelij codice educitur. Teſtis ſcriptæ veritatis, & illius teſtimonio viciſſim probatus. *Virtus omnis fortitudine defenditur. Felix Tibarenſis. Euplius.*

Vitam Julittæ S. Baſilius recenſet, opes ereptæ ſunt, maluit egere, quam Chriſtum deſerere. Audita eſt vox Heroidis animi plane virilis: *Malo omnia deſerere, quam vna voce impia Deum offendere.* Alacris, ad rogum pergit, mulieres notas ad martyrium, virilemq; conſtantiam hortatur non ſolum ex carne viri, participes imbecillitatis, ſed ex oſſibus quoque vt fortitudinem æmulentur oſtendit oriundas, & facto fortiſſimo ſplendida dicta firmauit. in rogum enim exultabunda inſiliit, oblata Deo in odorem ſuauitatis. Latiſſime patet illud: *malo omnia perdere, quam vel vna voce impia Deum offendere.* Ad omne genus officij pertinet. Hinc vitæ noſtræ exempla ducemus, iudices enim illos habebimus, quos nunc admiramur. Tribunal illud in arcu cæleſti cõſtitutũ inteamur & fidos Dei ſeruos. Dicent illi: amore tui, ô Judex, toto corpore laceri ſtetimus, tetẽderunt, fidiculæ ſulcarunt vngulę, virgæ fuſteſq; lancinarũt, in cruce de vulneribus pependimus, ſuper vulnera ſtetimus, totũ fuit in vulnere corpus, luxerunt in plagis flammæ, dum iam nõ membra, ſed vulnera torquerentur, addita dolentibus ludibria, & amarulenta ſpectantium gaudia, atque inſultationes. Omnia tamen etiam membra corporis perdere maluimus, quam vel vna voce te Deum offendere: contra omnia vitia pro omni virtute iſta ſuſtinuerunt. Quæ igitur à nobis excuſatio obtendi poterit, ſi ſponte ea committamus, ad quæ tormentis adigi felices illæ animæ adigi non potuerunt: nulla ſupplicia illos ad mentiendum, fallendum, potandum, ſcortandum impellere potuerunt. An conſortes ſanctorum eſſe poſſunt, qui ad iſta non metu coguntur (& *Pios ad crimina nullus timor adigit.* *Iulitta.*

X 5 ſi me-

ſi metus intentaretur non excuſarentur, ſed nequitia prouolant, nec metu legum reuocantur?

Ratio cõtra omnia peccata.

Tanta igitur maieſtas regiæ virtutis, ſi nondum ab anguſtiis terrenæ mentis concipi poteſt, eo tamen vſque proficient Palatini, vt ſi à Satana ſpecies ſceleris obiiciatur, aut ſit ex mundi contagione periculum, ſi vltionis, luxuriæ, ebrietatis, iniuriæ occaſio ſe offerat, animumque percellat, ita ſecum ſtatuant: Heroas veteres Chriſti fide inclytos, ſi fornaces Babylonias, leones, cruceſq́ue, & quicquid dolorum cogitare diabolus poteſt, admotum corporibus fuiſſet, non commiſſuros fuiſſe, vt quicquam ſceleris facerent, quare Chriſtianis omnino indignum fore, ſi nulla neceſſitate, nulla vi impulſi, ſola animi libidine, aut ignauia ſeſe ſceleribus contaminent. Si leui irriſu, aut damni metu peccatis, vel ſuis, vel alienis conſentiant.

Cap. XLIX.

Pertinacia conſtantiæ larua vitanda, eam potentibus periculoſam, ſed conſuetam.

§ I.

Magnatibus non quidem proprium, ſed ordinarium tamen malum, pertinacia, conſtantiæ æmulatrix. Eſt vero pertinacia opinionis, aut voluntatis ſine recta ratione obfirmatio. Idcirco aulis frequens, quod mutare vel inconſiderate, vel cupide conſtituta, probroſum exiſtiment: Facilius porro decreta mutant reges, quam regum conſilia, & vrbium curiæ. Omnia obtendunt, ne videantur erraſſe. Pertinacia autem alia eſt in opinione, à qua nullis rationibus obſtinati dimouentur, nec tamen recta ratione tenentur.

Multiplex pertinacia.

tur. Qualis eſt in hæreticis, alia in ſola voluntate, qualis in Alexandro, qui certo non eſſe ſe DEVM nouerat, & tamen etiam per amicorum cædes diuinitatem affectabat: contumacia voluntatis contra mentem peruicacis. Pertinacia in peccato graui eſt propria reproborum, ad finem nimirum perſeuerans. Quiſquis in peccato mortali vitam infelicem claudit, modo ſit animo præſenti, etiam contumacia peccat. Leuior eſt pertinacia in leuibus delictis. Poteſt etiam eſſe in rebus adiaphoris cum nimium ſuæ opinioni etiam probabili adhærent, aliorum res contemnunt. Cum obſtinatione quadam non rei veritate mouentur, aut rationum momentis. Eiuſmodi homines cum inuſitato iudicio ſunt, appellant noua voce, *opinatiuos*. Qualis erat Anaxagoras, qui cum ſemel niuem atram dixiſſet, inſaniam defendit. Innumera eiuſmodi ſunt apud philoſophos: nullum eſt enim ſine teſte mendacium.

§ 2.

Verum de palatij pertinacia, quæ ſæpe prouinciis exitiabilis eſt, dum id, quod leniter decretum eſt, tanquam ſacroſanctum, & Reipublicæ neceſſarium defenditur, cum tamen alia cauſa tuendi non ſit, quam quia lata lex eſt. Quomodo Creon reſpondit. **Procerum pertinacia grauis.**

[a] *Vox conſtituto ſera decreto venit.* a *Seneo. Medea.*

Tam ſceleſtæ pertinaciæ exemplum Daniel attulit. [b] *Nunc itaq; rex confirma ſententiam & ſcribe decretum: vt non immutetur, quod ſtatutum eſt à Medis & Perſis, nec præuaricari cuiquam liceat.* b *c.6.8.*

Vrgent vero regem cum minis, & contriſtant. [c] *Scito rex, quia lex Medorum atq; Perſarum eſt, vt omne decretum, quod conſtituerit rex, non liceat immutari.* c *c.6.15.*

Duriſſima procerum cõtumacia, quam rex flectere nequiuit, leonum dentibus commolita eſt, vt teſtatur Daniel: [d] *Iubente autẽ rege, adducti ſunt viri illi, qui accuſa-* d *c.6.24.*

uerant

Digitized by Google

uerant Danielem, & in lacum leonum miſſi ſunt, ipſi & filii & vxores eorum: & non peruenerunt vſque ad pauimentum laci, donec arriperent eos *leones, & omnia oſſa eorum comminuerunt.* Maior etiam & ſtolidior Babyloniorum furor, non in opinione, ſed peruerſa voluntate, ideo ſine vlla ratione contumax. Impoſturam ſacrificulorum Belum Daniel oſtenderat, & conſtabat de fraude toti prouinciæ, Draconem etiam noxium interfecit, quem certum erat Deum non eſſe, qui venenum, quod ſumpſit, ignorauit, & mortuus eſt. Cum ſcirent iſta omnia, ſuæ tantum voluntati, & beluino affectui indulgentes

e c. 14. [*e*] prophetam ad lacum Leonum depoſcũt. Perſarum quo ſtupidiora eo peruicaciora erant pectora, ebrij cõſultabant, & de rebus maximis deliberabant, hæc fir-

f l. 15. miora, teſte [*f*] Strabone, quam quæ ſobrij decreuerunt, ab ipſis habebantur.

g l. 4. h *In equitibus.* [*g*] Athenæus [*h*] Ariſtophanes & illius Scholaſtes inſaniam Barbarorum exagitauit. Eorum, qui nec ſcientia, nec ingenio valent ſolet eſſe in præconceptione temeraria obſtinatio, nam rationem cur mutãdum ſit decretum non intelligunt. Fuit idem Nabuchodonoſori vitium, qui monitus viſione terribili non mu-

i c. 4. 16. tauit male conſtituta, retinuitq; peruicaciam [*i*] nam *poſt ſpacium menſium duodecim deambulabat in palatio,* minarũ Dei, & Danielis conſilij immemor, & regno deiectus in beſtiam mutatur. Subito enim Deus obfirmatam contumaciam rumpere ſolet; quicquid enim ſupra modum durum eſt, etiam præfractum eſt. De-

Valerianus cium peruicaciſſimum ſubito paludi immerſit. Valerianum repentina, & fœda ſeruitute oppreſſit, & in malitioſa miſeria obſtinatum Perſæ viuum excoriarunt. Lucia, Diocletiano imperante, in æſtuantiſſimo rogo triduum illæſa pſallebat, certabat patientia martyris, & pertinacia iudicis, donec iudicem

Ebroini contumacia. ruina oppreſſit, ſocium eius dæmon corripiens, cum equo de ponte præcipitauit. Omnium pene obſtinationem vicit Ebroinus improbitate notus. Gerinum

num & Leodegarium nobile par fratrum, collegas ſuos neci dedit. Leodegarium etiam adigere ſuppliciis conatus eſt, vt Chriſtum negaret, atque æternum perderet, odio in futurum ſæculum pertinaciter extenſo: Verum & illum cœlum excepit, & Ebroinum in ollam Vulcani deferri ſanctorum aliqui viderunt. Antiochus pertinaci ſtudio, & cladibus Ægyptum ambiuit repulſus [k] obſtinatam iram vertit in Judæos, gentem innocuam, quorum octoginta milla occidit. k 1. *Macc.* 11. *Ioſeph l.* 13. *c.* 7.

§ 3.

Abominabilis porro maxime eſt pertinacia voluntatis, cum in malo proceditur, non errore aliquo, aut probabili inductione animi, ſed quia illa via cæptum eſt ire, maieſtati aduerſum arbitrantur mutare curſum. Cuius pertinaciæ exemplar poëtæ proponunt Oedipum oculis erutis deliberata morte ferocientem. *Voluntatis pertinacia peſſima.* *Pertinaces omnia ruere cupiunt.*

[l] *Vnicam ſalutem,* vocat, *non eſſe ſaluum.* l *Senec. in Thebaide.*
Quid verba perdis, quid pectus ferum
Mollire tentas precibus? Hoc animo ſedet,
Effundere hanc cum morte luctantem diu
Animam, & tenebras petere.

Et:

Abſiſte, nullas animus admittit preces.

Tota Tragœdia malæ voluntatis ſine ratione obſtinationem continet. Hanc tanquam corrigi neſciam, ſed ſuo impetu graſſantem, omnia pariter trahentem numen abrumpit, nec enim ſui, nec aliorum reſpectu flectitur. Orat, vt nati in facinus ruant, pater Oedipus.

Ab imo tota concidat domus,
Vrbs concremetur.

Et ante dixerat:

Aliquid facite propter quod patrem
Adhuc iuuet vixiſſe.

Nihil illi aliud cordi, ſuo propoſito delectatur: Et ex victoria quauis voluptatem quærant, vt [m] Ariſtoteles m *l.* 7. *c.* 9. *Eth.*

Digitized by Google

Boleſlai pertinacia, & pœna. teles exponit. Mira Boleſlai regis Poloniæ pertinacia & totius aulæ. Epiſcopo infenſus erat, ſcelus ſuum norat, non monitis, non anathemate mouebatur. à mortuis euocatus Petrus cauſam antiſtitis teſtimonio probauit, milites ad cædem miſſi ter proſtrati ſunt, partes diſſecti corporis lumine inſigni fulgebant, collecta in vnum conſolidata ſunt, lux ingens ſepulchrum glorioſum reddidit, perſiſtit in cõtumacia rex & aula, donec repentino leto ſublatum canes deuorarunt. Horum princeps Pharao, cuius cor Deus obdurarat. Talis *Nicephorus.* Nicephorus, qui auditis pauperum clamoribus, cor ſibi obduratum dixit. *Geilæ pertinacia.* Geila diu pertinax ſicarios ſecreto S. Kiliano immittit, primum dæmon igne conſumpſit ſecreto viſcera depaſcente, & ipſe ſe dentibus lacerauit. Alter verſus in rabiem enſe ſuo ſe interfecit, fœminam diabolus corripiens facinus fateri coëgit. Non ſubita, ſed poſt multa monita, & prodigia immane facinus auſi perierunt. Pontium in arena vrſi venerabantur, venatores occidunt, exclamat populus minime contumax: *Vnus eſt Deus Chriſtianorum.* *Claudij & Anabij pertinacia.* Nihil his mota obſtinatio Claudij, & Anabij, quin virum ſanctum occiderent, verum eadem hora, qua parricidium commiſerunt, vtrunq; dæmon inuaſit, Claudio periuram linguam, Anabio maleficos oculos eiecit, vtrunq; *Luxurius.* in ſuas ſecum pœnas abripuit. Luxurium Leontij accuſatorem, & auctorem, vt in ignem coniiceretur Martyr, coluber illapſus occidit. *Hunericus.* Hunericum in perſecutione contra ſuam conſcientiam praue pertinacem putreſcente corpore vermes exederunt. Demum cauendum in vita communi ne pertinaciter ſua tueantur, neq; quamlibet veritatem, vbiq; exiſtiment defendendam. Sæpius præſtat cum pace ſilere, quam cum contentione vincere.

CAP.

Digitized by Google

Cap. L.

Audacia aulæ, & iactantia, patricia arrogantia.

§ 1.

PAucis hic verbis opus, in aula facilime frangitur. Cito vitium illud ſeneſcit: ſola iuuenum ferocia fere ridetur. Audaciſſimus in Daniele eſt [*a*] Hircus caprarum Alexander. [*b*] Nam ſine mente in pericula ſe amens ingerebat. Longiſſime ab arrogante præſumptione abfuit vir fortiſſimus Daniel contra reges, contra proceres, in lacu leonum interritus, timorem ſuum alia in cauſa ſtudioſe deſcribit. [*c*] *Cumq; veniſſet pauens corrui in faciem meam.* [*d*] Metuebat & pronus cadebat in terram. [*e*] In altera quoq; viſione metum ſuum exponit. Fortitudinis enim eſt moderari timores, nõ tollere, vbi timendum eſt. Audacia porro eſt æmula fortitudinis, aduerſa conſtantiæ, & ſpecie virtutis illudit. Pericula enim ſine ratione, cum temeritate ſuſcipit. Vel quia illius magnitudinem non æſtimat, vel quia nimia ſuperandi fiducia fertur. Animos impiorum gemina indurat audacia. Indurat inquam, non roborat: non enim illa ferrea, ſed vitrea durities eſt. Prima audacia in Nabuchodonoſore, Antiocho, Antichriſto cernitur, omnibusque in peccato perſeuerantibus; pœnitentiam differentibus. [*f*] Chaldæus à Daniele monitus in ſuperbia poſtea creuit, peccata aut non redemit, aut ad defleta rediit. [*g*] Antiochus contra Deum locutus eſt, & contra altiſſimum bellauit. Antichriſtus ſe Deum aſſeret, [*h*] *Et faciet iuxta voluntatem ſuam rex, & eleuabitur, & magnificabitur aduerſus omnem Deum.*

Audacia iuuenum thraſonũ. a *c.8.* b *Curt. l.2. 3.4. Plut. de fortuna Alex.* c *c.8.17.* d *c.8.18.* e *Cap.10.* *Audacia larua fortitudinis.* f *c.4.* g *c.8.11.* h *c.11.36. & 37.*

Non modo ſumma eſt iſta, ſed etiã ſtultiſſima audacia Dei ſe inimicum profiteri, nullũ Deum curare. atq; vtinam

Dei inimicum eſſe ſumma audacia.

Digitized by Google

vtinam quam facile improbam audaciam, plane dæmoniacam in illis diaboli optimatibus deteſtantur omnes, ita ſedulo quisq; fugiat. Si quispiam lætali crimine ſe obſtrinxit, Dei inimicus eſt, ſe eſſe nouit in offenſa regis vniuerſorum, qui eſt Dominus zelotes, ignis conſumens, iſta credentem dolere, contrahi, conteriq; animo, contremiſcere, plorare, miſericordiam petere ſuppliciter oportet: omne momentum, quo in peccato verſatur, inferorum pœnis grauius eſſe iudicet. Hoc in periculo quotidie verſantur impij, inferis, niſi reſipiſcant, addicti, ſolam ſententiam iudicis moratur miſericordia. [i] Interim magna pars ad æternos rogos infertur, dum implent deſideria ſua præſumptione miſericordiæ, vt docet Auguſtinus & [k] Tertullianus.

i Tract. 33. in Ioan.
k De cultu fœm.

§ 2.

Audacia vana iuuenum.

De altero genere audaciæ agimus, qua ſtolidi iuuenes in aula exultant fidentes, opinione ſcientiæ, dexteritatis, virium inflati, alios iudicare, cuncta cenſere, facile prouocare, depugnare, negocia ſuis viribus maiora ſuſcipere, interritos velle videri, etiam terribiles apparere. Si loqui audias Cerberum eduxiſſe ex Acheronte, aut nepheloccygiam expugnaſſe credas. Hinc illa vana, nocturnæ graſſationes, & noxia duella, aliaque, quæ temeritatis plurimum habent, veræ fortitudinis falſa imitamenta, inſipientiæ vera opera, quæ mala vt vitarent Spartani, & iuuentutem ad conſideratam periculorum, & dolorum perpeſſionem impellerent, & ſuo loco timere docerent, Timori templum poſuerunt, [l] vt Alexander ab Alex. narrat. Errore tum communi, quo tamen audaciam eliminandam oſtenderent. Magnorum enim malorum cauſa eſt audacia, in turpes errores abeunt ingenia nimium ſibi confidentia. [m] Barbara vanitate Troglodytæ bello feſſi per vetulas pacem conficiebant, ne petendo, vel dando pacem formidoloſi viderentur.

Templũ timoris.
l l. 2. c. 4.
Troglodytæ ſtulti.
m Diodor. l. 4.

§ 3.

Digitized by Google

§ 3.

Audaces ad mala prompti: in bonis ſunt timidi, ne ad bellum quidẽ idonei. ſtupidi enim ſunt, & ignorantia periculi fidentes, cum res ipſa in oculis eſt opinione decepti conſternantur. [n] *Qui confidit cogitationibus ſuis impie agit.* clamat Salomon. & [o] *Qui confidit in corde ſuo ſtultus eſt:* Non ita ſapiens, mauult ille bene timere, quam male fidere. [p] *ſapiens timet & declinat à malo: ſtultus tranſilit & confidit.* *Audaces in malis.* n Pro. 12. o Pro. 28. p Pro. 14.

Intuta eſt audacia. Carolus filius regis Franciæ, Albini, cuius tum celebris erat fortitudo, præſtãtiam explorare volens ex venatione redeunti occurrit armatus, & pugnam ciet faciem tectus, & mox ab ignorante, quis eſſet, occiditur. Audaciæ metus opponitur, & magiſtratus. Factæ ſunt leges, vt earum metu humana coërceatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio, refrenetur audacia, & nocendi facultas. Non tollo animi magnitudinem, ſed temeritatem. Qui omne periculum fugit, timidus, qui omne ſuſcipit, audax eſt, fortis eligit, quæ declinet, quæ vincat. Fortes fortuna adiuuat, ſed magis ratio, audaces ſtultitia perdit, cum ceſſat impetus, torpent. Vilis animus eſt, qui periclitari ſine cauſa ſuſtinet, parua enim magni æſtimat. Si enim fortitudo, & magnanimitas temeritate cenſentur, iam agyrtis, funambulonibus, ſerpentium incantatoribus, vetulis ſagis dæmonum conciliatricibus nemo fortior. magna enim pericula ſubeunt, & in magnis malis ſua ſponte verſantur. Nequiſſimi ſeruulorum in comœdiis finguntur dolos & fraudes cõcipere, heros emungere pecunia, & cum res ad votum ceſſit, magnis ſe imperatoribus exæquant. Magnum facinus, inquit, ille non fit ſine magno periculo. Furunculi nocturni ſub ipſa cruce periclitari non ceſſant, tot ſocij pendentes non deterrent, audaces illi ſunt, nequaquam fortes. Abiectus eſt animus, qui leues ob cauſas ma- *Audacia turpitudo.*

Digitized by Google

Audaces animi puſilli, & bruti ſunt. gnum diſcrimen adit, impius qui ob malam: Eſt vitiis ſuus vt beluis impetus, qui audacia dicitur, Auaritia, ſuperbia, maxime libido audaces facit, quia cœcos, temerarios, inconſideratos, brutos, amentes.

Cap. LI.

De opibus in aula parandis, eorumq; vrbana in curia ſtudio.

§ I.

Diuitiæ regibus, vt arma, vt arces, ſunt neceſſariæ: patriæ defendendæ, non voluptatibus fruendis: cum regem vrit ardor opum, cupido minor pernicies populis adfertur, quam cum in proceribus illud ſtudium eſt: facile eſt vnum ſatiare, at illi regem circumueniunt, vt largiri & egere cogatur, ipſi regias opes poſſident, ſubiectos expilant, & de præda ſua mutuum regi dant, vt miſerum & furto & vſura opprimant. Vrbes & prouincias ſibi oppignoratas obtinent, & velut inerti pecudi barbam velliunt, vellera detrahunt, quæ cum longo tempore fecerunt, metu vltionis ad fraudes, perfidiàmque vertuntur, coitiones faciunt, vt ſi vel regem neceſſitas ad frugem cogat, vel hæres rationem repoſcat, potentia obſiſtere valeant, regemque ſub diſciplina velut pupillum continere. Aurum terra glorioſior plus illicit, quam ſapientia, & quod exitioſum eſt populis, copia atque vbertate veſana ſitis accenditur. Antiquum eſt nobilitatem, præcipue aulicam opibus prouinciarum ſaginari, ſed in mortem:

Procerum auaritia pernicioſa.

Opibus creſcit auaritia.

> *Funeſtas vt opes inopum de ſanguine partas*
> *Effundant pleni cum ſanguine.*

Olim

Digitized by Google

Olim minorum vrbium direptionibus viuebant, vt refert [a] Thucydides. [b] Saluianus ait: potentes putare ad hoc ſe natos, vt in opprimendis infirmioribus nobilitatis ſpecimen præbeant. *Rapina.* *a l. 1.* *b l. 3. de pedop.*

Rupere fœdus impius lucri furor,
Facinus cruentum, præda maiori minor.

Fortes in ventrem abeunt imbecilles, aues impuras vorare cæteras ait Æſchylus, aurumq; omnia, & perfringere & perficere. Menander adiicit: etiam inferni portas. Auari igitur proceres regnorum ſunt calamitas maximorum, non fulmina, non tempeſtas, non beluarum, non latronum vis ingruens, non ipſum bellum prouinciam ſæuius vaſtat, quam aulæ rapacitas, quam potentes. Tum demum ſibi tutam arbitrantur, cum tantum congeſſerunt, quantum ad terrendum, vincendumque regem ſatis eſſe iudicant. Quod ſane in Romano Imperio à pluribus factum eſſe videmus ſæpiſſime, in aliis regnis frequenter. Nemo dubitare poteſt. Si F. Tiberios, Seianos, Galbas, Veſpaſianos, Plautianos, Maximos, Eugenios, Arbogaſtus, Ricimares, Stilicones, Ruffinos, Eutropios, Chryſaphios, memoria recolat, & alios, quos taceo, ne odioſa ſeries me vna ad noſtra tempora deducat. Non mirum eſt, Aurum & purpura exercent hominum vitam, & ſæuis ignibus Æthnæ amor ardet habendi. Inſaniæ ſpecies eſt auaritia: in medicos incitat crudelitatem furentium. Eliphium à prædatione, & iniuſto diuitiarum deſiderio, deterrentem Dani occiderunt. Plutus cœcus eſt, auri fames grandis eſt, & vt Auguſtinus docet, furioſa. Auarus enim quis ſanus eſt.

———*Cui? ſi ſtat terra & traditus orbis*
Furando tamen & morbo ſtimulatus eodem
Ex ſeſe iniuſte aliquid quærat, cogatq; peculi.

¶ I.

Commune vitium eſt omnibus plura habendi cupido, non ſeneſcit ætate, vix morte aboletur. Atticus *Auaritia commune vitium.*

 etiam

Digitized by Google

etiam moriens captat, vt eſt in Parœmia: pauper impatiens oneris, quo premit inopia, maius affectat, quod imponant diuitiæ. Reges & principes copia ipſi incenduntur, nec illi, quorum ſors eſt Dominus, Clerici peſtem facile exuunt inſitam: Eduardus rex Angliæ vno die per diſpoſitos prædones Eccleſias omnes expilat. Et nunc quoque templa ſpoliantur auaritia militum, qui pro fidei & religionis ſanctitate ferre arma profitentur; ſed tamen magis ſacerdotum profanitate & auaritia dehoneſtantur; Olim zelo religionis & ſalutis optabant Eccleſias nunc propter opes & luxum. Nunc propter diuitem Eccleſia pauper deſeritur, & pietati ſuccedit cauponatio. Quod proceres Eccleſiaſtici faciunt illi, qui ſacerdotium ſacerdotio connectunt, arrogantius, quam belli duces, luxurioſius quã ſæculares viuunt, Parochus, & laborantibus inopiam & famam delegant. Quorum idcirco pernicioſior eſt auaritia, quia illi puniendæ bella Deus permittit. Furor igitur acquirendi, tenendi, augendi communis eſt, maxime tamen cauendus eſt magnatibus. Illos ſæpius & grauius infeſtat. Imperia etiam ex profunda honorum & opum cupiditate naſcuntur. [c] beſtiæ ſunt comedentes & conſumentes: Qui illis proximi miniſtrãt exemplo regni, & halitu auaritiæ acrius afflantur. Nabuchodonoſor aurum & argentum vndiq; congeſſit. [d] Nabuzaidan princeps militiæ etiam æs & ferrum abſtulit: In auro auarus & raptor adorari voluit. [e] *fecit enim ſtatuam auream*. Animos diuitiæ fecere, vt Deum ſe ex prædone factum credi vellet. Quartam beſtiam, hoc eſt Romanum Imperium, vidit Daniel deuorantem omnia. [f] *Beſtia quarta, regnum quartum erit in terra, quod maius erit omnibus regnis, & deuorabit vniuerſam terram, & conculcabit & comminuet eam.* Vnde tam inexpiabile abdomen, vnde tanta voracitas? Implenda tot Patritiorum, legatorum, quæſtorum, proprætorum, proconſulum auiditas inſatiabilis, militum, ducum, publicanorum rapacitas mitiganda. Minutis beſtiolis eſt ex

Eduardus.

Auaritia proceres magis infeſtat.

c c. 7.

d 4. reg. 25.

e c. 3. 1.

f c. 7. 23.

eſt ex facili ſatietas. Vaſta moles multo cibo farcienda eſt. Accendunt dignitates, & titulorum inſignia, quæ vt ſplendorem augent, ita etiam prædandi artes intendunt, & vt vnus creſcat multis moriendum eſt. Leunculus ante didicit hominem vorare, viduos facere, quam fiat leo. De columbarum ſanguine creſcunt aquilarum pulli: raptu educantur, vt raptu viuant. Daniel regiæ rapacitatis exemplum nobis producit Ptolomæum, Euergetam, [g] *Inſuper & Deos eorum, & ſculptilia, vaſa quoque pretioſa argenti & auri captiua ducet in Ægyptum:* Totam Aſiam ad Euphratem vſque, quædam etiam in Perſide obtinuit, & cum retinere non poſſe ſe videret, vniuerſam ſpoliauit, vt ſupra expoſui [h] ex Juſtino [i] Polybio, aliis. Cyro Deus abſcondi tos theſauros dedit, & arcana ſecretorum, quem tamen beatum non fecerunt opes. Nam vt apparet peſſimis dantur maximæ: Nabuchodonoſori, Cyro, Alexandro, Romanis. Et Xerxi maximæ, vt teſtatur Daniel: [k] *Ecce adhuc tres reges ſtabunt in Perſide, & quartus ditabitur opibus nimiis ſuper omnes*, neſcio plane an crudelior auarior, ſuperbior, ſtolidior Xerxe regum aliquis fuerit. Qui non modo iniquus, ſed hæres etiam iniqui Darij, qui Caupo dictus eſt ignobili pecuniarum æruſcatione. Magnas etiam datas Antiocho impiiſſimo propheta dixit: [l] *& abundantes & vberes vrbes ingredietur.* Nemini quam Antichriſto maiores: [m] *Et dominabitur theſaurorum auri & argenti, & omnibus pretioſis Ægypti: per Libyam quoque & Æthiopiam tranſibit.*

Euergeta auaritia.

g c.11.8.9.

h *l.*29.

i *l.*5.

Cyro.

*Iſa.*45.3.

k *c.*11.2.

l c 11 24.

m c 11.43.

Antichriſto.

§ 3.

Quin & illud, hiſtoria teſte, diſcimus declinantibus imperiis, ruentibus, feruentiſſimum eſſe opum in proceribus ſtudium. hinc auaritia ad interitum impellit. Nam de morituro auidius prædantur, rapta occaſione [n] Saluianus obſeruauit, ſuo tempore, ducum, & præfectorum adeo duram fuiſſe in Romano Imperio

Pereunte Imperio creſcit auaritia.

n *De gub. l.*4.

Digitized by Google

ac vaſtatricem auaritiam, vt incolæ magno numero ad Alemanos, Francos, Gothos infideles profugerent: Deſertæ erant prouinciæ, deſita commercia, rapacitate præſidum, Imperatores egeni, vix panem in ſumptum habebant, proceres, quos ditarant, ne ſtipem quidem illis largiebantur, legatur hiſtoria vicina Auguſtulo, in quo deſiit Occidentis imperium, inceptum ab Auguſto. Præcipue vero, quia crimina ſubditorum per auaros præſides Deus punit, ipſos deinde reges & aulicos per externos hoſtes. Hoc nobis indicat Daniel in Judæa factum: regum & optimatum erant grauiora ſcelera, in illos pœna grauior ſtatuta eſt: vt Daniel oſtendit: [o] *Anno tertio regni Ioakim regis Iuda, venit Nabuchodonoſor rex in Ieruſalem, & obſedit eam.* Quæ omnia libri Regum, Paralipomenon, Prophetia Eſaiæ, Jeremiæ, Ezechielis declarant. Sic Romanum Imperium in Occidente, in Oriente, ſic regnum Vngariæ, ſic alia regna perierunt, dum pro paſtoribus ad caulas ſtabulabant lupi. Hos aliquando fugant arietes ouium, cum non poſſunt, mittuntur leones, & tigres, quibus gratiſſima eſt vrſorum, luporum, vulpiumque, venatio. Ita Deus ſtatuit, ne illi impunita ſit improbitas. Deus miraculo quandoq; punit. Nunquam male parta proſunt, venena ſunt vitæ. Guarnerus Bituricas ſpoliare aggreſſus, Auſtregiſilum obſiſtentem habuit & viuum & mortuum: nam cum, eo defuncto, liberas ſibi furoris habenas permiſſas crederet, oratione Auſtregiſili repulſus, & ſpe fruſtratus, etiam inſatiata in cloacam viſcera effundit. Experientia docuit, hoc noſtro bello fortes quidem, & inſignes viros varie interemptos. auariſſimum tamen quemq;, & ſpoliis inhiantem Mars ſibi pignorauit, vt in illos Pluto ſæua exerceat iudicia.

o c. 1. 1.

Pœna lucri iniqui.

§ 4.

Quis audiet hæc? nemo, vel duo, vel nemo. Venter aures non habet. Christum Phariſæi irridebant, quia auari

Digitized by Google

auari erant. Ridebant & ſeruum, nec enim maior Domino, par tamen doctrinæ auctoritas, vbi Domini verba ſeruus adfert. Rationibus enim rem examinemus. [p] *Difficile eſt diuitem intrare in regnũ cœlorum.* Quæ cauſa eſt? nolo cauſam dare. Veritas dixit, Diues fieri vis? difficilem aditum paras. Pauperi cœlum, diuiti palatium patet. Si cauſam redderem, haberet humana ratio, quod obiiceret. Sine cauſa data Deo credamus. [q] *Facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, quam diuitem intrare in regnum.* Non ergo diuites ſaluantur? plane ſaluantur: [r] *quia non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum.* Non dicit promptum, vulgare eſt, ſed non eſt impoſſibile. Curas, actiones, & turbas mundi, lites, & bella vide; quid agitur? plerique vt diuites fiant, vt difficile ſit intrare in regnum cœlorum. Qui dixit: [s] *Væ vobis diuitibus, qui habetis conſolationem veſtram:* Idem dixit: [t] *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Felicitatem fugis, exitio propinquas, ad cœlum te tendere putas, & profiteris, quid viam obſtruis, foramen acus tranſeundum eſt, tu tamen multiplici te veſte circumdas, & ſarcina oneras. Difficultas illa non ex rerum natura, ſed affectu poſſidentium, peccato rapientium, amore retinentium, quibus auri pallor, quam ſolis iubar, eſt iucundior. Magni animi eſt abundare fortunæ bonis, & opibus non tradere mores. Criſpinus & Criſpinianus Martyres, quamuis ingentia ſaxa molaria in aquam præcipitatis alligarentur, in aduerſam ripam tamen enauerunt, ſpectaculum Chriſtianis & perſecutoribus facti? Verum ſingulariſſimæ gratiæ adiutorio, atq; Angelorum obſequio, tam eorum corpora, quam lapidum pondera ſuſtentabantur. Non minor in cœlis admiratio eſt cum diuites fundorum & theſaurorum pondere preſſi, denſo luto incluſi, in cœlum eluctãtur. nõ eſt illis promptus in ſublimia volatus, quemadmodum nec camelo facilis per foramen acus eſt tranſitus. Impedimenta ſunt vitæ non auxilia ingentes diuitiæ.

p *Matth.* 19.23.
q *Matth.* 19.24.
r *Luc.* 1. 37.
s *Luc.* 6. 24.
t *Matth.* 5.3.

Pereat auaritia & diues eſt natura. Superbiæ fons eſt rerum affluentia, cæteris vitiis ſeneſcentibus, auaritia iuueneſcit. Amplitudo fortunæ contra naturam eſt: [u] vt Philoſophus exiſtimat, premit enim inſitam vim, mentemq; impedit, vt minimum magna atq; operoſa veſtis, vt copioſus per venas ſurgens ſanguis cor ac vitalia coarctat, halitum grauat, & cum incaluit, morbos efficit, ita opum redundãtia animos deiicit ſi amãtur, nam ſi non amantur recte poſſidentur, ſi amantur, hero ſuo veluti mancipio, ad catenam religato, dominantur.

u l. 5. pol. c. 7.

§ 5.

Quemadmodum facile eſt opes negligere, vera bona petentibus, ita fieri nõ poteſt, vt luteæ res animum diuinum, & Dei capacem expletum aut quietum reddant.

Nam quibus æternum ſpes informatur in æuum,
Omne bonum tenue eſt, quod præſens ingerit ætas.

Cupido inſatiabilis.

Menſuram neſcit cupiditas, ſemperq; extra orbitam fertur, quia bonum quod non eſt hominis perſequitur cum ditiorem intuetur, pauperem ſe arbitratur. Si omnes antecedit, omnes timet, inſidiantur & premunt. Non eſt illi ſatis quod ſatis eſt: Ingenium cupidorum Lucilius expreſſit.

Nam ſi quod ſatis eſt homini, id ſatis eſſe potiſſet.
Hoc ſat erat, nunc cum hoc non eſt, quid credimu' porro
Diuitias vllos animum mi explere poteſſe?

Improba enim ſpes eſt, atq; in futurum etiam poſterorum nunquam naſciturorum anxiam curam extenditur. Cupiditas in maiore auri congeſta eſt concitatior. Flammæ in ſylua infinita, cum ex maiore incendio emicat, vis acerrima eſt. E contrario, quicquid vult iam abſtinuit, qui velle tantum quod ſatis eſſe poteſt. Minimum eget, qui minimum cupit:

Semper auarus eget, nec habet, quod habere videtur.

magis

Digitized by Google

magis eget, quo plura tenet. Cumulus deſiderium auget, Phœnicibus, Sidone, Tyro, Carthagine nulla gens ditior, anchoras etiam argenteas habebant, nulla etiam lucri ſtudioſior, rapacior.

§ 6.

Hinc nulla meta laborum, quem cupido rerum ſemper fluentium exagitat. In orbem eunt curæ, totum vbi hominem vindicant, fatigant ærumnis, ſpinas Chriſtus appellat, angunt, ſepiunt, pungunt animum, paupertas ſine cura eſt, aut ſine graui cura, quæ pauca optat locupletior eſt. Hinc inopes in libero campo toti, diuites inter ſpinas, omnia ſuſpectantes, omnia vitabundi incedunt, & cum omnia cauiſſe putant, incidunt in laqueos dæmonis. [z] *Nam qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & in laqueum diaboli.* Hamus figitur non omnibus piſcibus, ſed eſcam captantibus. Diuitiæ hamus diaboli. Opes ſæpius dominos ſuos perdiderunt, quam ſeruarunt, & proceres & reges. Quomodo Creon periit & tota domus, [a] reſpondet Tragœdus. *Quo ſolent reges capi*, muneribus nimirum pernicioſis. Non ſola Colchis nouit dona non dona dare, dona illitá veneno. Aſpice curas hominum & tumultus, aſpice theſaurizantes temporum mutationibus, & theſauros ad hoſtes tranſeuntes, vide tot millia rapientium, populos in prædam natos, & raptores breui omnia perdituros. Rape, congere, aufer, poſſide, relinquendũ eſt. Quid Xerxi, cui Daniel maximas diuitias tribuit, profuerunt theſauri? Aſianam ſuperbiam in illo punitam [b] Æſchylus memorat, ſane miſerrime interiit. [c] *Concitabit omnes aduerſus Græciam.* Quid tanta molitione egerit, non recenſet Daniel, quia euentus ſpem eluſit. Tantum concitauit, & morituros trans pontum duxit, tot principes, nobilesque perierunt, nihil egit Xerxes, aliquid Mardonius, patuit tamen hominis ſtultitia, dum Athos perfoditur, dum ad eum literæ ſcribuntur, mari compedes in-

z *1. Tim. 6. 9.*

a *In Medea.*

b *In Atoſſa.*

c *c. 11. 2.*

iiciuntur, verbera infliguntur. Interim ipſe ſcapha trepidus in regnum ſuum moriturus fugit, ibi mortem inuenturus, opes ad alios defluxere, plurimæ ad hoſtes, fide diuitiis, auri montes in puluerem abierunt, dum manent integræ curam, dum auferuntur dolores gignunt, ſomno interſtrepunt. Tantummodo in illis prouinciis rectè habitum eſt aurum, vbi vernaculum fuit & multum, vbi & compedes ex auro, quibus nihilo leuius, quam ferro ergaſtula onerantur. Neſciebant illa precia nuper Indi ad occidentem, cum religione didicerunt & auaritiam, & citius quam religionem. Naues oneratæ facilime merguntur, vacuæ deprimi non poſſunt. Ne fide opibus, [c] qui fidit corruit, vt Salomon pronunciat. Minime feſtinandum, [d] celerata ſubſtantia minuetur. [e] *Ipſe auarus conturbat domum ſuam, impegit in laqueos mortis.* Seipſum enim perdit auarus, & antequam capiat, capitur. [f] Clemens Alexandrinus diuitias ſimiles ſerpentibus dicit, qui cauda tenentur, quod eſt periculoſiſſimum: Conuerſi enim letalem plagam inferunt. Etiam ſuſpiciones falſæ diuitiarum noxiæ ſunt, & periculoſum eſt diuitem videri, ideo & aurum pallet, inſidiarum metu. Rumoldum, qui ſpe magnarum opum occidit, tres duntaxat argenteos accepit, ſæui facinoris leue precium. Cum Hieroſolymas obſideret Titus, fugientium Judæorum aliquis inuentus eſt aurum deglutiſſe, fama per manipulos ſparſa quingentorum transfugarum ventres vna nocte ſecti, in paucis tamen inuenta pecunia. Miſeri, qui ſic alieno errore peribant, miſeriores, qui certo ſcelere tam incerta præmia petebant, inteſtinorum ambages, & ciborum fæces ſcrutati, ſed auaritiæ nihil eſt ſordidum, cum ipſa omnium rerum ſit ſordidiſſima. Nec vllum exiſtimat nefas, niſi egere. Plutus celerrime ſcelera, peſſime virtutem docet. Horrendum in iudice Veſalienſi exemplum, qui Wernerum puerum, quem Judæi rapuerant, vt cruciarent, flen-

c *Prou.* 1.
d *Prou.* 13.
e *Prou.* 15.
f *Pæd.* l. 5. c. 6.

flentem, & orantem in manibus impiorum torquendum, accepta pecunia reliquit. Bion auaritiam improbitatis metropolim nominabat. [g] Salomon grauior contra illam cenſor eſt: inferis ipſis comparat. non enim ſatiatur, vt nec perditio. aggerit & aggrauat contra ſe lutum, ne eluctari poſſit. quemadmodum ab inferendo dicuntur inferi, omnibus hauriendis patulum rictum ſemper dilatant, neminem exire ſinunt, ita auarus omnia poſſidere ſolus deſiderat. Ipſe Plutus duriora quam CHRISTVS imperat, nec fructum habere ſinit. Opum amor, porta mortis. Idcirco improbus & deprauator ordinis, quod DEO vti, nummo frui expetat. nec DEVM colit gratiis, ſed aliud pro DEO. Quid arcte complecteris relinquenda, mox ipſe abiturus? Semper à te dilabitur, quod tenes, vel tu ab eo deficis. Si minus damnum feceris, res per te tranſeunt, ſi moraris per eas dilaberis. per domum tuam, & fundos multi tranſierunt, nemo ſecum abſtulit, ſtabulum eſt & diuerſorium, per quod imus ad æterna: parum refert quam per magnum domum eas ad regnum, facile æreum nummum ſpernit, cui iter ad regnum eſt. Vna nox ſæpe aufert omnia. Lydius lapis probat aurum, ipſum aurum probat hominem, auri color mox à lapide recedit, & aurum poſtquam probauit priorem Dominum, ad alium migrat. Pauper omnibus eſt initium, pauper & finis, nec infans in vtero, nec in tumulo cadauer ſuperbit, nec rapit. Interim ſudat pauper in opere diues in cogitatione, hunc ligones, illum computus atterit. Nihil auaritia relinquit incontaminatum, ipſa connubialia fœdera lenocinante pecunia ſanciuntur. Lyſandri, dum opulentus putaretur & cautus, filias ſibi iuuenes nobiles deſponderant, comperto autem patrem eſſe pauperem, & innocentem conditionibus renunciarunt, nec Spartani ephori officio defuerunt, ſponſis multam dixerunt, quod pauperē innocentiam contempſiſſent.

g Prou. 27.

Opes fluxa.

Initia & finis nudorum eſt.

Spartani auaritiam puniunt.

Execra-

Execrabiles & Deo & hominibus opes congerunt non profuturas, quorum meſſis eſt fames pauperum, & de miſerorum calamitate fructuoſa negotiatio. Rebus præclare gerendis præcipue obſtat auaritia, Mithridates victus Romanæ gnarus auaritiæ, inſequentes ſparſa pecunia moratus eſt donec effugeret. Noſtro quoque tempore progreſſus & quietem reipublicæ, religionis augmentum auaritia præpedit. Dum reges diſſident, & belligerantur, iuſtitia & religio opprimuntur. ipſa bella per auaritiam infeliciter geruntur, primores exigunt vectigalia, incolas ſpoliant, theſauros ſtipant, fame milites moriuntur, aduerſum amicos ſtrenui prædatores, & cum ſpem præda fruſtata eſt, ſæui, aduerſum hoſtes ignaui, ſemper improbi: Magnates ſuo quæſtui conſulunt reipublicæ proditores, quis nunc, aut ſi quis eſt, quam pauci ſunt, qui id faciant, quod Ariſtides, qui præfectus rei nummariæ & vectigalibus, cenſuiq; per Græciam colligendo miſſus, tanto pauperior rediit domum, quantum expoſuit, nec enim de publico quicquam attigit, nec in ſumptus quidem diurnos, aut viaticum quicquam accepit.

Cap. LII.

Vſus opum liberalitas, & qualis in magnatibus, in aula ſit neceſſaria.

§ I.

Eleemoſyna ſuadetur regibus. *a c.4.24.*

BArbaro & ſceleſto regi, ſimul opulentiſſimo, capiti aureo, cum vindictam de cœlo imminentem Daniel prædixiſſet, vnicum remedium ſapientiſſimo conſilio propoſuit, quod omnium palatiorum frontibus, Palatinorum cordibus inſcribendum eſſet. [a] *Quamobrem rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum: forſitan*

Digitized by Google

ſitan ignoſcet delictis tuis. Non inaniter dictum obſeruat [*b*] Ferrandus. *Quia potentioribus eſt facultas Eleemoſynarum potentior.* Monet & [*c*] Damaſcenus, *ab illis, qui eleemoſynam negligunt, ſine cauſa cœlos pulſari.* [*d*] S. Hieronymus paruiſſe regem vati ſuo affirmat, ideoq; pœnam in menſem duodecimum fuiſſe dilatam: verum regem deinde bonum miſericordiæ perdidiſſe malo ſuperbiæ. Quomodo vero Daniel remedium proponit, cum euenturum malum ſciret? Minas exiſtimabat, & mutata regis voluntate poſſe auerti. Ezechiæ mors prædicta, deinde oranti ſpacium vitæ productum eſt. apud Eſaiam etiam Deus minas temperaturum promittit, ſi vitia corrigantur. Hoc perpetuo prophetæ inculcant, in primis Jeremias, qui patriæ exitio, quod prædixit, ſuperfuit. Hæc igitur via vnica ſupereſt, regibus & magnatibus ad felicitatem, miſericordia in pauperes, ſine qua Dei miſericordiæ exortes æternum ſine miſericordia cruciabuntur. Probe in hunc ſenſum Philo. *Deus nullius indiget, rex ſolius Dei: imitare ergo nullius indigum, & expende miſericordiam.* Danielem largum fuiſſe non dubito, quia regi hoc ſuadet, ſed eleemoſynas ſuas ipſe non prædicat. Regem vero poſtquam de paſcuis ad palatium rediit indulgentiorem fuiſſe in miſeros ratio ſuadet vt credamus. Sane Euilmerodachus eius filius Jechoniæ miſertus multa dedit, vt Scriptura teſtatur: [*e*] *Subleuauit Euilmerodach rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Ioachin regis Iuda de carcere, & locutus eſt ei benigne: & poſuit thronum eius ſuper thronum regum, qui erant cum eo in Babylone. Et mutauit veſtes eius, quas habuerat in carcere, & comedebat panem ſemper in conſpectu eius cunctis diebus vitæ ſuæ.*

b *Paneg. regula 5.*
c *De die iudicii & Hiſt. Bart.*
d *In 4. Dan.*
e 4 *Reg. c.* 25. 27. 28. 29.

In Daniele, præter locum iam allatum, vix liberalitatis exempla habentur, agit de beſtiis, quæ laniatu victitant, opes congerunt, flagitioſe dilapidant, partiri in alios neſciunt? [*f*] Baltaſſar Dei & Eccleſiæ contemptor auitas opes premebat, donec Medus & Perſæ diuiderent: De Cambyſe, Xerxe, Dario vltimo conſtat aua-

Reges Danielici non ſunt liberales.
f c. 5.

auariſſimos fuiſſe, de miſerrima Græcorum ſorte, qui Perſepoli captiui tenebantur Curtius, aliiſque auaritia regum, qui Alexandrum ſecuti ſunt, & rapinæ infames apud omnes hiſtorias leguntur, præſertim duorũ Antiochorum, magni, & Nobilis. Omnium criminoſiſſime Antichriſtus & rapiet, & diſſipabit. [g] *Dominabitur theſaurorum auri & argenti & in omnibus pretioſis Ægypti.*

g *c.11.43.*

Ille Maozim colet argento, & auro, & lapidibus precioſis, terram diuidet gratuito ſatellitibus ſuis, & tyrãnidis adminiſtris.

§ 2.

Regni opes in regiam venientes redire in populum debent.

Porro diuitiæ totius regni paulatim in regia æraria conduntur, inde ad proceres reuoluuntur, quare æquum eſt, per illos in plebẽ eadem deriuari, & refundi. Quapropter Gregorius Nazianzenus imperio Chriſtiano proprium eſſe docet, miſerere & largiri. Si autem omnium eſt, eſſe beneficum: Deum imitari, quanto magis præſtare hoc illi debent, qui ad Deum proxime accedunt. Deum antecedunt veritas & miſericordia, vt terreſtribus diis, Dei vicariis anteambulones ſuo facto Dominus omnium præſtituat, atque hoc ideo vt aulæ peccata redimantur, nam vt ignem aqua ita Eleemoſina exſtingit peccatum. Gubernatoribus nauium ſimiles ſunt palatini, qui ſeruant nauem, & epibatas, & pariter ſeruantur, vt [h] Clemens Alexandrinus exponit. Dabunt facilius recepturi; qui dat ſine ſpe facile eum pœnitet. [i] Origenes. [k] Præcipuus autem Dei cultus eſt liberalitas, quæ tanta eſt, quantam prompta voluntas eſſe voluit, nõ quantum facultas permiſit. Medici corporis ad certum tempus vitam incertam promittunt, pauperes ſunt medici ſpiritales manus eorum pharmacum eſt non modo contra morbos animorum, ſed contra mortem æternam: claudi ſunt, mutili, cœci, ſed in cœlum præeunt, certo tramite deducunt, & noſtros theſauros in cœlum edendo, & biben-

Eleemoſyna exſtinguit peccatum

h *l.2. ſtrõ.*
i *In c.12. Rom.*
k *Naz. orat.16.*

bibendo deportant, quo fruſtra nituntur diuites ſine pauperum glorioſo comitatu. Deus eſt pauperum pater, Judex diuitum; vis propitium patrem? cole filios. [l] *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita fiet, vt nec à te auertatur facies Domini.* [m] *Per miſericordiam & fidem purgantur peccata.* l *Tob.4.7.* m *Pro. 15.17.*

Si pauperes habes pro fratribus ſperabis & illum patrem. Si pauperes dedignaris, filios Dei ſpernis, hæreditate filiorum excluderis: nam arrogantia, & tenacitate negaſti fratres eſſe: exules deſpexiſti, non ſedebis cum regnantibus. Reges & ſacerdotes vngi iuſſit Dominus, vt largitatem, quæ oleo ſignificatur, illis commendet. Magna eſt Dei ſapientia, potentia, at ſuper omnia opera eius miſericordia, ille titulus cæteris præeminet, mūdus enim ſola miſericordia ſeruatur. Dabis pauperi, & honorabis, natura pares ſunt, natura fecit omnes pariter diuites, pauperem adorare iubet [n] S.Bernardus, licet leproſus ſit, & æger. *Honorandi pauperes.* n *Serm.3. de com.Dei*

§ 3.

Indicium aliquod æternæ prædeſtinationis eſt liberalitas, damnationis durities, & immiſericordia. Hoc Criterion, de ſe nobiles, & proceres faciant: In pauperibus, & mediocris fortunæ hominibus minus elucet, niſi in animi quadā teneritudine, quæ ſæpe fallit, in opulentis ſignum eſt euidens, cum ſine vana gloria, ſine ſpe retributionis, læto & miti affectu pecuniam, quæ multis, quaſi altera anima eſt in Chriſti pauperes effundunt. Supremo mundi die, cum ſententia æternitatis pronunciabitur, diſcrimen inter oues, & hœdos ſignabit liberalitas & auaritia. Illi dederunt, hi retinuerunt. Si vir opulentus de ſua ſorte in futurum anxius eſt, an ad ouile Chriſti, an ad dæmonis hœdilia pertineat. Quærat hanc in operibus ſuis ſignaturam. Dei iam ſententiam iudicis audiuit. Expendat an det liberaliter? Nam vt de magno cenſu particulam exiguam egenis aſpergat, quæ potius auari- *Liberalitas indicium eſt prædeſtinationis.*

tiæ ſit

¶ 5.

Hinc oritur obligatio, qua diuites obſtringuntur ad largiendam eleemoſynam. Quin & mediocres, & aliquando pauperes: nec enim viduæ pauperis minutum reiicitur. Errant, qui putant ſe nulla lege teneri. Iuſtum eſt dare vt Neocæſarienſis ait. Nazianzenus paterna bona pauperes poſcere, non tua affirmat, non ſunt tecum nata, nudus in mundum veniſti, accepiſti, vt lucreris. Noli theſauros recondere, vt perennem vitam amittas. Mandatum Dei vis audire. [q] *Non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum.* [r] *Idcirco ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum verſatur in terra.* Præceptum eleem. q Deut. 15. 7. r Vers. 11.

Salomon peccare aſſerit, *qui non dat pauperi.* [s] *Qui deſpicit proximum ſuum, peccat.* s Prou. 14. 21.

Etiam inimico. [t] *Si eſurierit inimicus tuus ciba illum, ſi ſitierit da ei aquam bibere.* Iſaias clamat. [u] *Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagosq; induc in domum tuam: cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris.* Chriſtus ipſe minatur, [x] *Quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* t Prou. u c. 58. x Matth. 25. 4.

Hæc eſt noſtra religio, vt Iacobus pronunciat. [y] *Religio munda & immaculata apud Deum, & patrē hæc eſt: viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, &c.* y c. 1.

Præceptum porro eſt graue, & quod ad peccatum mortale obliget: nam diues epulo damnatus eſt, quia Lazaro manum clauſit, nec digitum eius deinde ab Abrahamo impetrauit, quo flammantem linguam refrigeraret. Deinde iudex pronunciat, & iubet ire in ignem æternum, quia eleemoſynas non dederint.

¶ 6.

Quæ vero & quanta largiar? Superflua? nam superflua recondere eius eſt, qui caritatem non habet: quod enim tibi ſupereſt, cur non dares egenti.

Porro ſuperflua ſunt, vel naturæ ſuſtentandæ, vel perſo- Superflua danda.

Digitized by Google

perſonæ dignitati non neceſſaria, vt S. [z] Thomas [a] alij, & [b] Bellarminus. Natura pauciſſimis contenta eſt, verum non eſt reſtringenda ad infimum, ſed vt commode viuatur, familia alatur, morali enim ratione, & iudicio viri boni hæc æſtimanda ſunt, plus requirit perſonæ dignitas ſiue ſtatus: ſi nobilis eſt, ſi in magiſtratu, ſi comes, ſi princeps, ſumptus faciet tantos quantos res ipſius feret, & dignitas poſtulat: non quantos illi, qui excedunt, non enim capienda ſunt exempla à vitioſis.

z 1.2.q. 66.a.7 & q.87.a.q. q.118.a.4 a Theol. in 4 ſent. diſt.15. b L.3.de bon.oper. c.7.

Statuendum itaq; primum eſt. In extrema neceſſitate aliorum dandum eſſe ex illis, quæ & perſonæ dignitati, & naturæ communiter neceſſaria ſunt: nam eo caſu ſunt omnia communia: & egens ius habet accipiendi.

Deinde cui deſunt naturæ neceſſaria, ita vt in graui ſit neceſſitate, illi danda ſunt illa, quæ dignitati, non naturæ neceſſaria. pluris eſt enim vita, ſanitasque proximi, quam ſtatus proprius & ſplendor. Quare cum annonæ caritas eſt, pauperes radicibus, pane ex variis ſeminibus confecto, corticibus cõtuſis viuere coguntur, ita vt nec ſani, nec ægri habeant, quo naturam tueantur, vnde peſtilentia, & varia morborum genera naſcuntur, proceres, & opulenti tenentur ſumptus domeſticos minuere, pauperibus ſuccurrere: Hoc ſi non faciunt, non eſt illis caritas, proximi, nec Dei, in quibus autem caritas non eſt, ſedem Satanas poſuit. Succurrendum dixi, vel mutuum dando, vel donando, nam mutuum gratuitum etiam eſt eleemoſyna. Quare improbe faciunt, qui ea tempora captant, vt carius omnia diſtrahant, vilius emant.

§ 7.

Hanc quidem doctrinam in controuerſiam non vocant, multi tamen opere non ſequuntur, cauſasq; prætendunt in ſpeciem graues.

Nihil

Nihil ſibi eſſe ſuperflui contendunt, etſi forte naturæ non tamen perſonæ, idq; tribus ex capitibus demonſtrare conantur. Primum: Futuros euentus incertos eſſe, ſterilitatis annonæ, incendiorum, belli, morborum, filios educandos, filias elocandas: non igitur iam eſſe ſuperflua quorum vſus futurus ſit neceſſarius, reponenda igitur, non donanda. *Reponenda in futurũ.*

Alterum caput ex ipſo ſtatu, & conditione viuendi ſumitur: Nam perſonæ dignitas variam amplitudinem capit: domus, veſtitus, familia, equi, ſupellex, menſa, cœtera in magna varietate ſunt. Plerique vero ſibi ita indulgent, vt ſumptus ſe minores facere exiſtiment, quam opus ſit pro dignitate, atque ea de cauſa ſibi alios proponunt in eodem genere maximos & æquum cenſent, non minus, quam alij, abſumere. In palatio duo ſunt comites, ad vnum redit annuus cenſus denûm millium, ad alterum ſexagenûm millium: ditior ſuæ dignitati cenſum imparem iudicat, totum intra anni ſpacium abſumit: nam nondum attigit opes comitis Palatini, Flandri, aut Tyrolenſis, tam autem ſe, quam illos comites iudicat. Ille vero cui res anguſtior, nihil ſibi ſupereſſe credit, niſi ad ſexaginta millia peruenerit, quo alter comes iam præuenit, atque ille ſe ratione ab eleemoſynis excuſat: vt cui deſint quinquaginta millia annui cenſus ad vitam pro ſplendore generis, & dignitate degendam. *Splendor vitæ.*

Tertium caput eſt, dignitatis & honoris augmentum, tum in eodem ſtatu, tum in mutatione, Etſi enim iam nobili ſufficiant in annum duo millia, futuro tamen Baroni pluribus opus eſſe, atque ita nihil eſſe ſuperfluum, nam ad dignitatem familiæ, & honoris incrementum ſeruari. Nonnulli vero ſunt, qui & quamplurimum reponere, & ſumptuoſe viuere, & ſtatum augere contendunt, quin in opibus maximis beneficentiam egentibus exhibere nequeunt. *Augmentũ ſtatus.*

§ 8.

Locum dare his tergiuerſationibus haud facile oportet, reponere in futurum prouidentis eſt, & ſuadet ſapiens exemplo formicæ. Nec tamen contrahenda manus, nec permittendum, vt, dum in futuros vſus, theſauros condimus, in conſpectu noſtro eſuriat, & nudus algeat in paupere Chriſtus. neque ad omnes caſus, qui innumeri eſſe poſſunt, reſeruandæ opes ſunt; ſed ad ea, quæ euentura pene certo noſcuntur, certe ſolent, quique antecedentem curam requirant. Nam de omnibus eſſe ſollicitum hominis eſt ſine cauſa ſeſe excrucianti, [c] & Dominus nos vetat eſſe ſollicitos de craſtino. Cui enim rei opportuna erit cogitatio craſtina, hodierna eſt intēpeſtiua, [d] quin & ſtultus iudicatur diues, qui in multos annos triticum reponebat, eadem enim nocte ablata eſt anima diuiti. Et ne leue dictum exiſtimemus, generali ſententia Eucliones omnes percellit Dominus. [e] *Sic eſt omnis, qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues.* Hanc etiam auaritiæ partem regibus Deus prohibuit. [f] *non habebit vxores plurimas, quæ alliciant animum eius, neq; argenti & auri immenſa pondera.* nam etſi reges pro Republic. & ærario congerere debeant opes, vt fecit Dauid, qui immenſos theſauros reliquit, ſed pro templo ædificando, & Salomon auxit, non tamen in ſuos priuatos vſus, niſi poſtquam deprauatus à mulieribus populum tributis oppreſſit, & grauiſſimum iugum poſuit ſuper filios Iſraël. Dauid ita opes congeſſit, vt ſimul in Deum eſſet diues. [g] *Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem.* [h] Inclytus erat Job, & poſſeſſio creuit in terra, magnus inter omnes orientales, regum amicus, ſed erat diues in Deum. Ipſum iureiurando affirmantem audiamus, & credamus. nam iſta dicendo, labiis non peccauit Deo teſte. [i] *Si*, inquit, *negaui quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ exſpectare feci. Si comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea: (Quia ab*

Non multa reponenda.

c *Matth.* 6

d *Luc.* 12.

e *Luc.* 12.21.

f *Deut.* c.17.17.

g *Ps.* 40.1

h *Iob.* c 1.3

i c.31.16.& ſq. v. 9. ad 26.

ab infantia mea creuit mecum miſeratio: & de vtero matris mea egreſſa eſt mecum, ſi deſpexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentum, & abſque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus eſt. Si leuaui ſuper pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta ſuperiorem: Humerus meus à iunctura ſua cadat, & brachium meum cum ſuis oſſibus confringatur, ſemper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui. Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi: fiducia mea. Si lætatus ſum ſuper multis diuitiis meis, & quia plurimũ reperit manus mea. Abraham quoq; in magnis opibus liberaliſſimus fuit, conſuetudinem eius Scriptura ad exemplum nobis proponit. Angelos, quos peregrinos arbitrabatur quam amice inuidat? cum eos vidit, [k] cucurrit in occurſum eorum, adorat in terram. An vero, vt lucelli aliquid à peregrinis extorqueat, imo vt Deo veneretur. [l] *Et dicit Domine ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum.* Quæ deinde ſollicitudo? mandat Saræ. [m] *accelera, inquit, tria ſata ſimilæ commiſce: ipſe vero ad armentum cucurrit, attulit vitulum tenerrimum, deditq; puero, qui feſtinauit, coxitq; eum*, Itaque magnates qui Abrahæ exemplo diuitias augent, opera quoque miſericordiæ eius exemplo faciant. Cauſa vero congregandi in immenſum opes non eſt ſacris viris, quibus Canones neceſſitatem erogandi imponunt, Clericus, *aliena rapit, qui vltra neceſſitatem ſibi ſeruat.* [n] *Et Iſaac presbyter: Si habes quid vltra neceſſitatem tuam diurnam, pauperibus illud eroga, & eris cum ſeueritate. offer orationes tuas, id eſt, loquere cum Deo, ſicut filius cum patre ſuo. Nihil facit ita appropinquare Deo ſicut eleemoſyna: nihil facit ita mentis tranquillitatẽ, ſicut paupertas, quæ voluntarie ſuſtinetur.*

k *Geneſ.* 18.2.
l c.18.3. 4.5.
m c.18. 6.7.
n c.8.

¶ 9.

Quod ad ſumptus quotidianos attinet, omnibus ita temperãdi ſunt vt ſuperſit quod in pauperes erogetur. Nam eorum debitor eſt diues. In rationib⁹ eorum primum locum eleemoſyna occupat. Minuendi ſunt apara-

Frugalitas fons eleemoſynæ. paratus, veſtium decor, ſi aliter liberalitas exerceri non poteſt Chryſoſtomus patriarchalis domus ſplendorem imminuit, & impenſas præcidit ad ſolatia paupe ũ, ſuccurrere calamitoſis, fouere ægros, melius iudicabat, quam dapibus onerari menſam, parietes fulgere. illa œconomia puteus inexhauſtus, in quem ſemper aqua noua ſuccedit exhauſtæ. Eſt illa ditiſſima frugalitas, quæ æquatur expenſis nunquam deficientibus, quæ expenduntur ad ea, quæ oportet, vt quantum oportet. Sunt autem diuites pauperum œconomi, rerum ſuarum quidem Domini, ſed cum recta ratione ex Dei lege expendendarum: Dei autem norma eſt, ne auertas faciem à paupere. Mediocres minus, diuites plus dare oportet, nemo apparere debet vacuus. [n] Apoſtolus ipſe miratur Macedones, *quorum altiſſima paupertas abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum: ſupra virtutem voluntarii fuerunt: Fiat diuitum abundantia inopiæ ſupplementum, vt fiat æqualitas.* Dent proceres proportione opum, [o] *vt benedictionem, non vt auaritiam*, nam quod in manu fabri eſt liberalitas, in manu viri nobilis eſt tenacitas. [p] *Qui parce ſeminat: parce & metet*, qui nihil ſeminat, nihil metet. *qui ſeminat in benedictionibus de benedictionibus & metet.* Diues ſi de granariis non aliter ſeminat, quam pauperes de cumeris in maledictione ſeminat. Non conſtringo diuitum & nobilium liberalitatem, ſed hortor in commonitione Dei ad liberalitatem Diues es, imperium Domini habes, ne pauperi neceſſaria deeſſe ſinas: huc rationes conſecra, non aliter licet expendere: ſi dilapidas, Dei ordinationi illudis. [q] Audi Baſilium: *Tu autem quem debueras oſtendere beneficentiæ fructum, illum tibi ipſi congregas? nam benefacti gratiæ in dantes reuertuntur.* [r] Chryſoſtomus te non minus rerum tuarum diſpenſatorem, quam illum, qui eſt Eccleſiæ œconomus, aſſerit. [s] ille, qui verba noſtra quolibet volantia ad normam legis exigit, vt de omni verbo otioſo reddant rationem homines, non magis poſtulabit, vt opes, quas diuiti

n 1. Corinth. 8. 3. Ibidem v. 14.

o c. 9. 5.

p Ibidem v. 6.

q In illud deſtruam horrea mea.

r Hom. 34 ad Antioch.

s Gregorius 3. parte paſtor. admonet.

Digitized by Google

diuiti dedit, & ad alimenta filiorum ſuorum commiſit, non otioſe expendant, de omni obolo otioſo, quem expenderunt homines, reddent rationem Deo. At mea ſunt: vtar vt volo: Quid mihi diuitiæ ſi non conceditur vti? plane tua ſunt, ſi homines ſpectes: ſunt tamen Dei, cuius & ipſe es, quicquid es. Vtere porro vt vis, ſed opus eſt, vt bene velis. vt lingua, vt manu, ita diuitiis non abutendum. [t] Leo Magnus modum exponit: *Etiam terrena & corporea facultates ex Dei largitate proueniunt, vt merito rationem earum quæſiturus ſit, quæ non magis poßidenda, quam diſpenſanda commiſit.* Ab œconomo rationem exigis, & ad Denarium calculi concordare debēt, rationem ſeueram cæleſtis paterfamilias petet, qui fraudem ignorare non poteſt, & factam ſuis filiis vlciſcitur, & ne factam dubites, [u] lege Bernhardum. *Noſtrum eſt, pauperes clamant, quod effunditis, nobis crudeliter ſubtrahitur, quod inaniter expenditis.*

Eleemoſyna neceſſaria.

t *Serm. 5. de coll.*

u *Epiſt. 42. ad Henricum.*

¶ 10.

Qua ex re apparet cauſa cur tam pauci diuites & magnates in vitam æternam perueniant, quia opibus, quas ad coronam acceperunt, ad perditionem vtuntur. Diuitum illiberalium vita in quarta beſtia, quæ deuorabit vniuerſam terram effigiatur, omnia comminuit, comedit, & reliqua pedibus conculcat. rapit omnia, ſtatui ſuo, & quam Chriſto præfert nobilitati & dignitati, impendit dona Dei, bona pauperum. Status ille quadam mediocritate contentus eſt, ſi veſtium luxus, ſi cōuiuiorum apparatus, ſi ſpectacula, venationes, res auferunt, non ſunt ſtatui neceſſaria, ſed inferni incendia. Quicquid ad luxuriam, ad ebrietatem, ad ſuperbiam expenditur, non pertinet ad decorum, & perſonæ dignitatem, ſed ad beſtiam Danielis, omnia conculcantem. Quod vero de incremēto ſtatus, & augēdis honoribus obiicitur: nō veto: hoc totū moneo, feliciorem eſſe, qui effuſa in egenos largitione minuit dignitatem in terra, auget in cœlo, quam qui ambitio-

Ratio ſtatus non excuſat.

Digitized by Google

ni ſuæ pauperes Chriſti poſtponit, arſurus in contumelia, in conſpectu Angelorum, & pauperum, quos contempſit. Auge plane dignitatem tuam, ad titulos maiores aſpira, ad regnum ipſum conſcende, pauperes interea foue, dabit Deus plura bene vtenti præſentibus. nam præſtat in ſudore cum Apoſtolo, & labore manuum viuere, & habere vt det neceſſitatẽ patienti, quam abſq; Eleemoſyna coram Deo comparere. Titulorum congerie ridendis, male aſcenſuris vetus illud occinam. *Viuite cõtenti caſulis & collibus iſtis O pueri, Marſus dicebat & Hernicus olim, Veſtinusq; ſenex, panem quæramus aratro.* Quod ſi igitur vel metus venturæ inopiæ, vel ſplendor familiæ atque creſcendi ſtudium poſſet à liberalitate exercenda liberare, pleriq; nobilium & dignitum, quorum ſunt iſta ſtudia ardentiſſima, excuſarentur. At iudicio ſupremo, qui ad dextram ſunt, omnes de largitate laudantur, & coronantur, qui ad ſiniſtram propter auaritiam damnantur, ſi facultas alicui defuit, rata eſt in conſcientiarum examinatione voluntas. Eſt enim & ſua pauperi liberalitas, in illo eſt magnum, vtrique fortunæ ferendæ par, quin ſi comparentur Eleemoſynæ diuitum & pauperum, præponderabunt, quæ de victu quotidiano dantur illis, quæ de abundantia veniunt. Tenues damna ſua ſentiunt, diuites vix nouerunt. Inſigne inter diuitem & pauperem certamen à Græcis ſcriptoribus narratur, in quo tamen palmam pauper tulit. Proſcholus homo tenui fortuna ſaccum, in quo ducenti ſolidi, inuenerat, profeſſus indicium, Domino diuiti reddidit. Ille gratus partem inuentori offert, & merito, quod non cælaſſet. Proſcholus recuſat maiore animo, quam reddiderat, nolle ſe dicebat propter iuſtitiam munera accipere. & laudandus tamen diues, noluit ille recipere, totum, inquit, retineat, nego me amiſiſſe, ſcio tamen neminem vendicare poſſe, nec amiſiſſe dicendus erat, qui tam probis manibus dimiſerat.

Proſcholus iuſtus.

§ II.

Liberalitas quædã eſt in pauperes, vera illa, & lege DEI imperata diuitibus, maior ſæpe eſt in diuites & bene meritos, aut qui tales videntur. vtraque in Conſtantino, pauperum filios ex horreis publicis ali iuſſit, ne aut fame, aut ab inmitibus parentibus necarentur. Sanctum hoc regiæ magnificentiæ exemplum. Quo deinde in plures beneficentia imperatoria deriuaretur, plures in palatio dignitatum gradus, officia & magiſtratus inſtituit, quod anceps alij tanquam munificentiæ eximiæ opus laudarunt: aliis viſa eſt noxia profuſio, auctis enim aulæ impenſis, etiam vectigalium acerbior, & exactionum regidior conquiſitio ſequi ſolet. Augere omnino procerum & diuitum opes poſſunt reges, non tamen ex Reipublicæ viſceribus, nec permittere, at exinanitis prouinciis, immenſas, cruentasq; pauci opes accumulent. Aurum enim conquirendum eſt, vt inopia hominum leuetur, [x] quod Joannes Tertius Luſitaniæ Rex ſedulo faciebat. Nam quondam magna eſt liberalitas, & præcipue magnatum, non accipere. Diuitem ſaluum fore Chryſoſtomus promittit, ſi loco pauperis ſteterit, ſi abſtineat, & tribuat. Cyrus amicos ſuos theſauros dicebat, Ptolemæus melius ditare, quam diteſcere, ſed tamen amicos illi vt plurimum de pauperum collatione ditabant. Magnatibus iniuſtè congerentibus theſauros, ſeueriſſimas leges ſcripſit, [z] vt Diodorus recenſet. Andronicus Comnenus bonis prouincialium tanquam ſacrilegio abſtinere iubebat. Multum ille aberat à fraude Dionyſij, qui amicos plenos euacuabat, vacuos abiiciebat. Jam quidam iniuſti hæredes dici gaudent. Et beatos iudicant, quorum patres in inferno ſepulti ſunt. Has igitur opes, ſi regum profuſio afferant, viri fortis & iuſti eſt, non accipere: Potius ſuadendum vt pauperi donet, hæc eſt enim caritas. Magnificentia erga diuites ſæpe eſt vanitas, ſæpe datur in-

x *Oſor l.1. de reb. Eman.*

Non facile accipiendum.

z *l.17.*

Digitized by Google

dignis cum iniuria pauperum, & accipientium exitio, dum in malo confirmantur. Quo quidem in genere liberalitas vera Chriſtianorum ab improba gentium magnificentia diſtinguitur. illi exercitum ſeruorum, ſubſtructionibus inſanis, veſtitu, aurigatione, muneribus gladiatorum patrimonia dilapidabant, Chriſtianorum largitio ſtruendis, ornandisve templis, Xenodochiis Ptochodochiis, pauperum miſericordia commendatur. Sane non raro obeſt illis, qui vtcunq; ſe alunt, opum repentina largitio. S. Antoninus dum iter ageret ſuper caſam quandam vidit ſedentes angelos, iuſſit inquiri, qui inhabitarent, reſponſum: viduam, quæ cum tribus filiabus virginibus labore victam toleraret, pietatem Angelis probatam larga Eleemoſyna honorandam duxit. Poſtliminio rediens ſuper eadem caſa vidit Dæmones ſalientes, explorataque cauſa, intellexit, mulierculas illas ad ornamenta, & ſuperbiam vſas Eleemoſyna. Increpitas igitur ad priſtinam virtutem hortatus eſt. Caute igitur largiendum non egentibus, ne virtutem diſſoluant opum blandimēta, in eos, qui egeſtate premuntur ſemper bene collocantur beneficia. In redimendos captiuos vt faciebat Damaſceni pater, qui ſuis opibus & redimebat à barbaris, & liberos ſuſtentabat. In propriam familiam maxime laudabilis eſt liberalitas, ad diſciplinam & fidelitatem ea pertinet. Laudanda & illa, quæ toti prouinciæ impenditur, cum pontes ſternuntur, viæ planantur, fontes ducuntur, beſtiæ noxiæ fugantur, omnibus illa, ſed maxime pauperibus prodeſſe ſolent.

Largitiones & dilapidationes.

§ 12.

Modus liberalitatis, anteuertere rogantes.

Anteuertere verecundiam petentium laudabile eſt. Notum eſt etiam pueris factum Nicolai Myrenſis Epiſcopi, adeo probatum & amatum, vt etiam pueris occulta munuſcula tanquam auctore Nicolao den-

Digitized by Google

dentur. Fuit & inter Philoſophos quoddam ſpecimen. Cteſibium ægrum & pauperem viſitabat Arceſilaus, & clam puluino ſacculum ſubiecit, quo inuento Cteſibius; *ludus hic Arceſilai eſt*, dicebat. Voluit amico dare & ſine probro, ſine pudore accipientis. quod faciendum eſſe, etiam monet [a] Iſidorus. Hanc perfectam eſſe miſericordiam definit [b] Auguſtinus: *Perfecta miſericordia eſt, vt ante occurratur eſurientibus, quam roget mendicus.* Non eſt perfecta miſericordia, quæ precibus extorquetur. Benigna etiam liberalitas, nec iniuria offenditur, quo minus aperta ſit indigenti. S. Germanus aſinum furato, deinde reddenti togam dedit, & maleficium beneficio penſauit. Martinus Abbas furem olerum, qui diſcedere diuinitus prohibebatur, dimiſit: monitum ne mala arte opes quæreret. Nam reuera eiuſdem caritatis, & dare miſeris, & indulgere, ſi egeſtas ad furtum impulit. Furati enim ſunt, vt eſurientem implerent animam. Liberalitatis etiam augetur decus, ſi ſanus, & cum ſpes longæ vitæ eſt expendas. Lucia matrem Eutychiam orabat, vt ſana pauperes ſubleuaret, ne inuita dediſſe videretur, nam quid magni eſt dare, quod deſerendum eſt: Et tamen auari ne morientes quidam ſolent eſſe liberales, ſeuero Dei iudicio, non enim digni ſunt, qui orantes, & cœlum flagitantes, habeant hæredes, ſed ridentes & litigantes, etiam dita imprecantes defuncto, & in tartaro poſitos manes inceſſentes.

a Epiſt. 214. l. 2.
b l. 50. hom. 39. & hom. 47.
Det qui retinere poteſt.

§ 13.

Ingentium præmiorum promiſſionem liberalitas habet à Deo, [d] *perfectos enim facit, imitando perfectum Chriſtum, quem miſericordia cœlo deduxit, vt hominem cœlo induceret, ad quod omnes inuitat magnitudine præmii, quos obſtrinxit ſeueritate præcepti.* [e] Pauperi non dediſſe, tuliſſe, inquit, Fulgentius. Naturæ conſentaneum eſt, vt rerum ſit ſocietas, quibus eſt humanitatis.

d Amb. l. 1. c. 11. offic.
e Epiſt. 2.

tatis. Si autem in ignem mittetur, qui non dedit ſua, quid qui rapis aliena? [*f*] quod Auguſtinus valde vrget. Præmium igitur primum extinxiſſe peccatum, euaſiſſe ignem, alterum eſt regnum, variaq; regnaturis beneficia. Omnis homo eripiendus eſt ab incommodis, [*g*] vt Hermes hortatur, quo & ereptores ipſos liberet magnus redemptor Deus. Quare cum pietate & miſericordia ſimul humanam naturam exuiſſe illos cõſtat, & ſupra humanũ modũ potenter torquendos: quos contra [*h*] Nazianzenus diſputat. Crudeliſſimi diuitũ negabant, ſe pauperibus debere ſuccurrere, ꝙ Deus illos miſeros voluerit, & cum poſſet, nõ dederit: ſe nec opulentiores Deo, nec mitiores eſſe. Verum nõ dedit illis Deus, vt diues daret, dedit diuiti vt per illum daret pauperi, & ne periret pauper, & grauius periret diues. Non dat pecuniam filio pater, mandat tamen œconomo, vt neceſſaria ſuppeditet, & comiter tanquam minori Domino, & largiter tanquam nobili, cui ſi maligne, auareque miniſtret, ſi fame, ſiti, nuditate vexet, etſi filius nõ pereat, ſui tamen ſanguinis incommoda ſupplicio procuratoris ira patris vindicabit. Magna fuit Alphonſi regis Aragonum in omnes Chriſtianos tanquam fidei domeſticos liberalitas, nec vllius vnquam maior gloria, non quæſita, ſed oblata. Maior etiam Othonis Bambergenſis Epiſcopi, qui accenſa annona pauperes inuiſebat, & largiter donabat, munificentiam ornabat humanitate, & blando alloquio. Par Placillæ Auguſtæ in cura pauperum. Syluester Pontifex nomina pauperum ſuo albo inſcripta gerebat, ne quempiam per obliuionem negligi contingeret, multo glorioſior illis, quos noctes & dies tabulæ debitorum, & libri cenſuum exercent, atque ita exaſperant, vt omnia crudeliter repoſcant. Paulus Primus, & Leo Tertius carceres obibant, æs alienum diſſoluebant. Alexander ſe diuitem fuiſſe Epiſcopum, pauperem Cardinalem, Pontificem Mendicum dicebat. Gregorius Tertius tanto amore, & miſeratione miſe-

f *Serm. 12. de verb. Domini.*

g *l. 3. c. 10.*

h *Orat. 16.*

Deus dedit diuiti, vt daret pauperi.

Regiæ liberalitatis exempla.

Digitized by Google

miſericors complectebatur, quaſi eos ipſe genuiſſet, verus paſtor Eccleſiæ,& filiorũ Dei pater. Ludouicus Galliæ rex in Aſiam vſq; Eleemoſynas mittebat. Henricus Con. Salii filius nuptiis ſcurras & hiſtriones repulit, pauperes inuitauit. Crodegildis Franciæ regina etiam manu & labore pauperibus miniſtrauit. Sordidis & miſeris Carolus Nauarræ rex etiam æger ſeruiuit magno cœlis ſpectaculo, in Alphonſo rege Aragonum miraculo quoque probatum. Euchariſtia morientium viaticum ad fœminæ inopis caſam deferebatur,ille vt erat obuius,pompam comitatus eſt, atque,vt regio munere ægram ſolaretur,iaſpidem in manum eius diſſimulanter inſerit, occultam liberalitatem Deus in publicum eduxit. Fœminam morbo, quo moritura erat,liberauit. Tribunus iuſſus à Coſroë Perſarum reſtitutæ ſanitatis præmium petere, captiuos ſibi donari petiit,dati ſunt tria illorum millia,quibus comitatus, glorioſus ad ſuos rediit. [i] Candidus Sergiopolitanus acceptis à Coſroë ducentis aureis captiuorum duo millia redemit. Stephanum Vngariæ regem à liberalitate iniuria non impediuit. Cum enim noctu egrediens Eleemoſynam faceret, à cupidis,& comprimentibus lacerata eius barba eſt.

i *Proco. l.2.bell. Perſ.*

§ 14.

Vnus eſt hic infirmitati humanæ ſcopulus, ne ita donent, vt egeant ipſi, verentur minuere,at vero vnica eſt augendi ratio,ſuccurrere pauperibus. [k] Chryſoſtomus quæſtuoſiſſimam artem vocat, Salomon ipſi promittit Dei ſpiritum. [l] *Qui dat pauperi non indigebit.* In cœlo redduntur omnia centeno fœnore, vt ſe accepiſſe ſcribit Syneſio Euagrius. Oſwaldo regi diſcum argenteum frangenti non modo vita æterna data eſt, & manet glorioſa reſurrectio, qua mortale corpus induet incorruptionem, ſed manus quoque eius manſit incorrupta. Non errauit Tiberius cum vxori dixit, nihil defore ſibi,ſi pauperes curaret. Gregorio Secundo Pon-

k *Hom.33. ad Antioch.*
l *Prou.28. 27.*

do Pontifici Deus inter expendendum Eleemoſynas multiplicauit. Plucherus epiſcopus Raceburgenſis granarium quod euacuaret in ſinus pauperum, plenū inuenit. Charilepho omnia donanti theſaurum Deus oſtendit, quem ille mox in pauperes expendit; quod etiam Rodino pauperum ſepulchra curanti contigit. Piaſtum liberalitas ad regnum euexit. Cum Brigitta equos egentibus dediſſet, mox nouos ipſa accepit. Non deerit viro liberali pecunia modo ne vir deſit pecuniæ. Modo ne gloria de opere bono quæratur, aut facti pœniteat, quemadmodum de infelici donatore narrat Cedrenus, qui quos ægre dederat triginta libras ab amico recepit, & exiens è templo corruit mortuus. Et obſeruatum eſt plerumque diuites, nobiles, canonicos illiberales derepente mori: Tum cum maxime res ſuas in tuto locatas arbitrantur, vt non de vno aliquo ſed de pleriſq; Chriſtus locutus eſſe videatur, cum dixit, [m] *ſtulte, hac nocte animum tuam repetunt à ſe; quæ autem paraſti, cuius erunt.*

m *Luc.* c. 12. 20.

Cap. LIII.

Iuſtitiæ & æquitatis in aula tutela, & in ſenatu præſidium.

§ I.

Iuſtitia neceſſaria regnis.

LVx altera mundi eſt iuſtitia, vbi illa non eſt, nec reſpublica eſt nec populus. Fons eſt paradiſi ſine quo areſcere terram neceſſe eſt. Tenenda in regno eſt ſine illa imperia ſunt magna latrocinia. [a] *Odibilis* inquit, Salomon; *coram Deo eſt, & hominibus ſuperbia: & execrabilis omnis iniquitas gentium. Regnum à gente in gentem trāsfertur propter iniuſtitias, & iniurias, & cōtumelias, & diuerſos dolos.* Si per omnes hiſtorias eatur nulla nō docebit

a *Eccli.* 10. 7. 8.

bit cum iuſtitia cecidit, perire regna: nec tamen exemplo totius mundi mouentur, vt iuſti agant: conquirunt opes, & quæ nulli bono fuerunt, ſibi fore felices exiſtimant. Juſtitiæ præcepta breuia ſunt, & dilucida. Honeſte viuere, neminem lædere, ſuum cuique tribuere: Juſtitiæ tutela in palatio debet eſſe: nam propter iuſtitiam lecti ſunt, aut naſcuntur reges. Regia eſt arx æquitatis, in qua ſi Themis opprimitur nullo loco conſiſtere, ſemel pulſa permittetur. Hæc eſt arbor fortiſſima & pulcherrima, ſub cuius ramis omnes gentes requieſcunt, quam vidit Nabuchodonoſor & oblitus eius, quod eſſe debuit, exciſus eſt: & in beſtiam mutatus: nam rex iniquus erat vltra omnem terram. Daniel iuſtitiæ ſibi conſcius in aula vſque ad Cyri annos aliquot durauit, tyrannis & proceribus iniuſtis ſuperſtes inter Leones triumphans, & magno animo pronunciat. [b] *Deus meus miſit angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi, qui coram eo iuſtitia inuenta eſt in me.*

Iuſtitia præcepta.

Danielis iuſtitia.

b c.6.22.

Tiſtimonium habet ex hoſtibus capitulibus. [c] qui fatentur non inuenturos ſe cauſam contra illum *ex latere regis.* Quamobrem miraculo nobis eſt Danielis Iuſtitia, & ſapientia. Juſtitia quidem, quod plurimis tam vaſtæ Monarchiæ negociis præfectus, inter ipſa primordia, quæ turbulenta atque adeo iniuſta eſſe ſolent, nihil iniuſte egerit. Sapientia vero, quia certo modo, ordine, teſtibus, omnia diſpoſuit, vt de calumnia deſperarent. Multorum innocentia conſpiratione maleuolorum euertitur, à morſu Sycophantæ nulla probitas ſecura eſt. Danielem contra virus illud muniuerat integritas, & ſapientia. Nec tam miror in illo viro non inuentam iniquitatem, nec vllum crimen verum, ſed tam ſpectatā fuiſſe innocentiam, vt falſum intentare nec hoſtes infeſti, vitam cum ſanguine poſcentes, auderent: ſed deſperatione probandi, accuſatione deſiſterent. Deum imitatus

c c.6.4.

Danielis Iuſtitia.

Digitized by Google

e *c.3.27.* tatus eſt, de quo ceciniſſe ſocios memorat. [e] *Quia iuſtus es in omnibus, quæ feciſti nobis, & vniuerſa opera tua vera, & viæ tuæ rectæ, & omnia iudicia tua vera.*

Qui & periiſſe regnum confitentur per iniuſtitiam. f *c.3.29.* [f] *Peccauimus enim & iniquè egimus recedentes à te, & deliquimus in omnibus.*

Iniuſtitia pœna. Et multo expreſſius Daniel omnium malorum, & deſolationis cauſam fatetur eſſe peccatum, & iniuſtitiam. g *c.9.5.* [g] *Peccauimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, & receſſimus: & declinauimus à mandatis tuis ac iudiciis.* Et deinde: *V.7.* *Tibi Domine iuſtitia, nobis autem confuſio faciei, regibus noſtris, & principibus noſtris.*

h *c.9.12.* Mali magnitudinem exprimit. [h] *Et ſtatuit ſermones ſuos, quos locutus eſt ſuper nos, & ſuper principes noſtros, qui iudicauerũt nos, vt ſuperinduceret in nos magnum malum, quale nunquam fuit ſub omni cœlo, ſecundum quod factum eſt in Ieruſalem.*

Primum opus publicum de Daniele legimus iuſtitiæ vindicias: & iniuſtitiæ pœnas tandem veniſſe libidinoſo calumniatori denunciat. i *c.13.52.53.* [i] *Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua, quæ operabaris prius.*

¶ 2.

Iniuſtitia pœna tota prophetia Danielis. Finis Danielicæ prophetiæ eſt diuinæ prouidentiæ in mundi gubernatione accuratam rationem oſtendere, iniquitatis vindicem. quæ peccata peccatis punit, & iniuſtitiam alia iniuſtitia obruit. Joacimus rex iniuſtus, captiuus ducitur, occiſus abiicitur. Jechonias multos annos in carcere detinetur, Sedeciæ in conſpectu occiſis filiis eruuntur oculi, principes horum regum pleriq; trucidati, alij in ſeruitutem abducti. Hæc iniquitas Hieroſolymorum. Iniuſtior tamen Chaldæus horum vltor, verum iniuſtitiam ille quoque luit ad beſtias damnatus, & Baltaſar derepente occiſus cum tota aula. Crudeliſſimo hoſti dati ſunt in prædam. k *Iſa.13.17.18.* [k] *Suſcitabo ſuper eos Medos, qui argentum non quærant,*

Digitized by Google

rant, nec aurum velint, ſed ſagittis paruulos interficient, lactantibus vteris non miſerebuntur, & ſuper filios non parcet oculus eorum. Diuiſum regnum Baltaſaris [l] datum eſt Medis & Perſis [m] Jeremias quoque eos excitat. Et Eſaias hortatur, [n] *Aſcende Ælam, obſide Mede.* Nullius gẽtis grauius eſt punita iniuſtitia, quã Babylonis, occiſi omnes proceres, qui iniuſti, & munerũ captatores. Vix Iſaiæ verba ſuppetunt, quibus calamitatem exprimat. [o] *Vlulate*, inquit, *quia dies Domini prope eſt.* Iniuſte dominãtur & opprimunt, opes rapiunt, & clamat Dominus: *vaſtitas à Domino venit.* Hinc torſiones, vt parturiẽtis, *facies combuſta, vultus eorum.* Et rarum habitatorem fore prædicit. [p] *Precioſior erit vir auro, & homo mundo obrizo.* [q] Subuertit Dominus *Babylonem ſicut Sodomam & Gomorrham.* Nam qui non pepercere paruulis, quomodo parcerent hoſtibus armatis? itaq; cum dicit Daniel occiſum Baltaſſarem, de tota quoq; aula accipiendũ eſt. Hoc eſt n. ab Iſaia prædictum. [r] *Omnis, qui inuentus fuerit, occidetur: & omnis, qui ſuperuenerit, cadet in gladio. Infantes eorum allidentur in oculis eorum: diripientur domus eorum, & vxores eorum violabuntur.* Hæc facta eſſe propter iniuſtitiam docet [ſ] Iſaias. Nam Iſraeli dabat *requiem, à labore, concuſſione, ſeruitute dura.* Quid vero canet. [t] *Sumes*, inquit, *parabolam iſtam contra regem Babylonis, & dices: quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributum? contriuit Dominus baculum impiorum, virgam Dominantium, cædentem populos in indignatione, plaga inſanabili, ſubiiciẽtem in furore gentes, perſequentem crudeliter.* Gauiſa eſt terra, & abietes, & cedri Libani ſunt lætatæ, hoc eſt nobiles, & magnates, & dicunt: *Ex quo dormiſti non eſt, qui ſuccidat nos.* Quin inferi quoq;, & damnati reges gentium venienti ad ſupplicia inſultant, & cauſam tormẽtorum potentiſſimorum reddunt. [x] *Nunquid iſte eſt vir, qui conturbauit terram, qui concuſſit regna, qui poſuit orbẽ deſertum, & vrbes eius deſtruxit, vinctis eius nõ aperuit carcerem? omnes reges gentium vniuerſi dormierunt in gloria, vir in domo ſua. Tu autẽ proiectus es de ſepulchro tuo, quaſi ſtirps inutilis pollu-*

l c.5.28.
m 25.25. & 51.28.
n 21.2.
o Iſa c 13. 6.& 7.
p & 12.
Babyloniorum pœna.
q v.19.
Pœna Babylonis.
r c.13.15.16.
ſ c 14.3.
t Iſai c. 4 5.6.
Iniuſtitia Chaldæa.
v.8.
x c.14.v. 16 17.18. 19.29.

Aa *tus,*

tus, & obuolutus cum his, qui interfecti ſunt gladio, & deſcenderunt *ad fundamenta laci, quaſi cadauer* putridum. Non habetis conſortium *neq; cum eis in ſepultura: tu enim* terram *tuam diſperdidiſti, tu populum tuum occidiſti: non vocabitur in æternum ſemen peßimorum.* nec lenius poſteris

y V.21. fatum. [y] *Præparate filios eius occiſioni in iniquitate patrum ſuorum: non cōſurgent, nec hæreditabunt terram, neq; implebunt faciem orbis ciuitatum.*

Longum eſſet Perſarum, & Medorum iniuſtitiam referre mutuas lanienas, donec à Romanis, Parthis, Turcis ſubacti ſunt. De Græcorum imperio iam ſupra dixi eos terribilis beſtia comſumpſit. Quin in Romano imperio, vt maior iniuſtitia, ita grandiora ſupplicia: nam poſtquam belua ingluuiem farcire cœpit, Italiam, Siciliam, Hiſpanias, Africam, Gallias, Græciam, Aſiam, deuorauit, tum vero in ſua viſcera dentes fixit, ſociali latrocinio, Marianis & Syllanis, Pompeianis & Cęſareanis bellis ſeſe cruentauit, acceſſerunt barbari Imperatores, Latium & nomen, & gentem, & linguam ipſa perdidit. Vbi vel vnus de nobilitate Quiritum? Hunni Gothi, Wandali, Longobardi formidata quondam nomina delicias Italiæ poſſident.

Italia barbarorum imperatorum præda.

§ 3.

Iniuſti belli auctores pereunt.

Priſci æui iniquitatibus ſua quiſq; tempora cōparet. An alibi quoq; Leonū & tigrium regna latrocinentur: expendat. [z] Regna enim Leonum typo Jeremias adumbrat, & [a] Joël. Opprimit nobilitas agricolas, curia tribus, patiuntur iſti à maioribus dominis, quod minoribus intulerunt, & grandioribus ſua quoque manent ſupplicia. Iniuſte parta recondunt, longas poſteris opes pollicentur, & omnes ad vnum excidentur, pleriq; etiam hac in vita. Numerent belli decennalis, quo adhuc Germania atteritur capita, & tribunos, pleriq; qui arma contra leges & æquitatem, & iuſiurandum ſumpſerunt periêrę, aut exiliis, & inopia premuntur: Ex illis qui ſancte arma induerunt, multi auare tractarunt, & hos quoque raptis frui dominus iuſtus vetuit, aut

z c.5.29. & c.15.9. & c.21.8. & c.30.6. & c.50.17

a c.1.16.

Iniuſte adminiſtrātes iuſta bella periere.

prædas

Digitized by Google

prædas excuſſit, aut morte multauit. Si quis amicos ſpoliat, de pacato prædas agit, milite onerat innoxios, contributiones cogit, auaritiæ ſuæ cauſas publicas prętendit, conſiliarios principum furti ſui participes reddit, auro corruptus cum hoſte colludit, bellum trahit, vt diutius imperet, argentum conquirit, ſi quis illis conſentit, probat, defendit, diſſimulat, non vetat, non punit. Si quis numos accipit, vt hæreſes tueatur, iam iudicatus eſt. Mox aderit illa dies, qua dicetur: [b] *Iam venerunt peccata tua, quæ operabaris prius. Iudicans iudicia iniuſta.* Nemo iudex, nemo præfectus, nemo cēturio, tribunus aut dux, niſi iuſte agat, publicam infamiam deuitat. Iniuſtitia eſt enim vitium publico malo graſſans, quare in ſummo eſt odio. Quapropter de morte talium beluarum publica lætitia exoritur. Nam Deus quoque de morte Babyloniorum gaudere iubet Eccleſiam captiuitatis. [c] *Quomodo ceſſauit exactor?* Abies & Cedrus Libani lætiore fronde feſtum agebāt. Quanta gratulatione quotidie audiuntur mortes non modo hoſtilium ducum, & copiarum, ſed militum amicorum quoq; & tribunorum, quos concuſſio, rapacitas, crudelitas fecit infames? eadem via ibunt, qui antecedentium veſtigiis inſiſtunt, quiq; cum debeant, non corrigunt. Juſtitia igitur diligenda eſt: niſi enim diligatur, augetur prohibitione peccandi cupiditas. Si timor deſit, de ſacrilegio triumphant: furta magna in pompis ferunt. Clamat pauper & nemo audit. Commolunt facies pauperum, cum puluere terrę conterunt capita pauperum, vt [d] Iſaias & [e] Amos de proceribus perituris vaticinantur.

b Dan. 6. 13. 52.

Iniuſti principis mors læta populis.

c I. Iſa. 14. 4.

d Iſa. 3. 15

e c. 2. 7.

§ 4.

Porro duplex iuſtitia, pariterque iniuſtitia in regnis cernitur. Altera cum ius ex æquo, & bono dicitur, & ſuum cuique redditur. Altera cū pecuniæ publicæ, & cenſus ex fide tractatur. Priori repugnat, cum ſententia venditur, aut patrocinium, & legum prætextu vis euertitur, quod frequens crimen eſt, & tamen grauiſſi-

Duplex iuſtitia.

Digitized by Google

uiſſimum: nam æquitas ficta eſt duplex iniquitas. Huic ſe iniuſtitiæ ſemper viri magnanimi oppoſuerunt. Animoſe Caracallæ reſpondit Papinianus: *non tam facile parricidium excuſari, quam perpetrari.* [f] Chryſoſtomus in aula Arcadij oppreſſam iuſtitiam, per Eudoxiæ violentiam, reſtituit, imperatricem aditu Eccleſiæ prohibuit, & cauſam Deus defendit; cum enim antiſtiti obſiſtere perſeueranti ſatelles ſtricto mucrone cædem intentaret, manus ferientis obriguit, ſtetitque immobilis. Et quamuis tum pulſus vrbe eſt, poſtliminio tamen reductus eſt, & tempeſtate ad vineam defenſæ viduæ cadauer orta procella diuertit. Iacobus etiam Niſibenorum Epiſcopus ſaxo in partes diſſiliēte iudicis iniquam ſententiam oſtendit, monuitque impie iudicantium pœnam eſſe, vt in partes minutas, adeoque in puluerem redigantur. [g] quem rapiat ventus à facie terræ. Omnis iniquitas vt flamma Babyloniæ fornacis in auctores redit, vt Medi, Perſæ, Babylonij ſubcenturiantur Danieli in locum Leonum: vt & faces, quibus vrebatur Mamas Martyr, carnifices interemerunt.

f Surius vita Chryſ. Chryſoſtomus iuſtitia defenſor.

Iacobus Nibis epiſcopus.

g. Pſ. 1.

Inter magnates vix laborioſius, & fortius quiſquam iuſtitiam, quam Hanno Colonienſis præſul tuitus eſt: Ille militum primum ductor, deinde, Canonicus, tandem Archiepiſcopus, & Henrici, qui Germanicus Nero habetur, inſtitutor, cōſiliarius & rector, & cum is ad nefanda deflexiſſet, monitor. Diuina eius vox in diſcrimine audita eſt, *Vitam ſibi eripi poſſe, iuſtitiam non poſſe.*

Hanno Colonienſis.

Juſtitiæ iunxit clementiam. Nam per tumultum à ſeditioſis ciuibus obſeſſus, euaſit intra quatriduum rediit armatus, & ſupplices in gratiam recepit. Plane proceres ſimiles eſſe Galaziæ oportet, gemmæ nobiliſſimæ, quæ frigus in medio igne retinet, ita illi in feruore, & æſtu negociorum, furoris & odij ſine affectibus veri normam ſeruare debent. Alphonſus rex Aragonum, Alexander Scotiæ aliique ſtatis diebus ipſi cauſas audie-

Digitized by Google

diebant. Judices in ipſos inquirebant, cauebant, ne ſententiæ fructum ſumptus exuperaret, Nobile enim principis officium eſt, à ſuis iniuriam repellere. Hoc regni firmamentum eſt, Regnum firmabis, ſi ſit amicis libertas, ſi ſubditi non afficiantur iniuria. Nulli enim hominum iniuriæ paruæ videntur, plures æquo grauius illas habeant. Qua de cauſa & Artaxerxes à filio rogatus quomodo tam diu regnaſſet? reſpondit: *Iuſta faciens:* Quicunq; in poteſtate eſt, aboleat iniquos: Omnibus illis dicitur. [*b*] *Non permanebunt iniuſti ante oculos tuos.* Galba iniquis menſariis præcidit manus, Caſtrucius ad menſam ſuſpendit, vt inſtrumentum eſſet pœnæ ipſa ſedes iniuſtitiæ. Antoninus Florētinus notum medicum excellentem magiæ conuictum occidit. Interim alij quoque iuſtitiam corrumpunt, qui nimium regibus tribuunt, Anaxarchus Alexandro triſti ob Cliti cædem, & mori deſtinanti ſuggeſſit: *Iuſtum eſſe, quicquid rex facit.* Hanc Minois laruam ſummæ iniquitati prætendebant, *qui ſibi omnia, & in omnes licere iactabant.* Nihil vlli licet in vllum, niſi ex lege iuſtitiæ. Ea cauſa Pythagoras iuſtitiam definuit numerum æqualiter æqualem. At ſi eſt æqualis, quid nî ſit æqualiter æqualis? æqualia enim æqualitate ſunt æqualia. Vir prudens non modo æqualitatem rei poſtulabat, vt rem tuam tu habeas, ille ſuam: Verum etiam æqualitatem iuris, vt eodem iure recuperare ſuam pauper, quo diues valeat: hanc natura æqualitatem æqualiter poſuit, quæ vbi fauore, aut potentia violatur, non eſt æqualitas æqualiter, ſed inæqualis iniquitas.

Princeps debet iniuſtitiam pellere.

b Pſ. 5.

Æqualitas iuſtitiæ.

§ 5.

Altera pars iuſtitiæ eſt in principis ærario, publicisque theſauris tractandis, de qua re alibi dixi: Vnicum moneo multos ex illis, minutis, ſenſim & ſecuris furtis ſibi opes parare, quæ omnes non furantis, ſed reipubl. cenſeri debent. Aliud quoque

Digitized by Google

genus iniuſtitiæ in potentibus obſeruaui, quod nobilium familiarum ſalus vltore cœlo euertitur. Opulenti ſunt, & auari, creditoribus tarde, maligneque ſoluunt, labores & merces ipſi æſtimant, non quod æquitas exigit, ſed quod ipſis lubitum eſt, reddunt, it clamor cœlo, vltio in terras deſcendit. Si tandem perſoluant, moram, & damna, & lacrymas, & preces quis reddit? Juſtino imperante procerum incuriis Byzantij plebes obnoxia viuebat, parum leges, parum magiſtratus contra potentiam valuit iniurias, creatus eſt vrbi præfectus, qui tenuiores tueretur, & æquale ius redderet, officio ille ſuo fungitur, at quidam ex magnatibus, qui fauore regis ad perniciem ſubditorum abutebatur, ciues iniuria afficiebat, præfecto inſultabat, deinde ad conuiuium regium ferox, velut alter Aman proficiſcebatur, non tulit indignitatem præfectus, ipſe quoque in palatium proceſſit, & ab Imperatoris menſa abſtractum, ad ſupplicium produxit. Tantum erat in præfecto animi, tantum in Cæſare æquitatis.

Cap. LIV.

Caritas, amicitia, concordia, odia, inimicitiæ, diſcordia in aula, & adminiſtratione.

§ I.

Caritas, amicitia. VErus amor eſt, quo Deum ſuper omnia, proximum ſicut nos ipſi amamus. Caritas in vno ſolo eſſe poteſt, qui nimirũ habet inimicos, & inuitus habet, & vt amicos diligit. Amicitia niſi inter duos eſſe non poteſt, eſt enim mutua beneuolentia, animorumque coniunctio, ac conſiliorum communicatio. Hæc mater eſt concordiæ, gignit enim opinionũ quoq; ac ſententiarum conſenſionem, atque ab ipſa quoq; conſeruatur. qui-

Digitized by Google

quibus repugnant odia, maleuolentia, inimicitiæ, diſcordiæ, diſſenſiones; vnde lites & rixæ palatiorum æterna mala, quæ exaſperat ſimultas, cum plures eadem petunt, inhiantq; palmæ omnes, quæ vni ſoli poteſt contingere. Imminente ſupremo mundi die refrigeſcit caritas multorum, & abundabit iniquitas. Nec inuſitatum eſt. Fuit illa quandoque etiam paucorum. [a] Danielis ſocios in ipſo momento Chaldæi accuſant omnes flammas ſuggerunt. Medi & Perſæ Danielem ad Leones depoſcunt. [b] Daniel tamen amicitiæ memor ſociis à rege, vt conſtituerentur ſuper opera Babylonis; impetrauit. [c] Suſannam ab infeſtis amatoribus liberauit. Caritatem Danielis teſtantur orationes quas pro aliis fundebat. [d] *Inclina Deus meus aurem tuam, & audi, aperi oculos tuos, & vide deſolationem noſtram, & ciuitatem, ſuper quam inuocatum eſt nomen tuum: neque enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Exaudi Domine placare Domine: attende & fac: ne moreris propter temetipſum Deus meus: quia nomen tuum inuocatū eſt ſuper ciuitatem & ſuper populum tuum.* Amicus Danieli erat Nabuchodonoſor. [e] *Donec collega ingreſſus eſt in conſpectu meo Daniel, cui nomen Baltaſſar ſecundum nomen Dei mei, qui habet ſpiritum Deorum ſanctorum in ſemetipſo: & ſomnium coram ipſo locutus ſum.*

Rara vera. *Daniel verus amicus.* a c 3. b c.1.vlt. c c.13. d c.9.18. 19. e c.4.5.

Amiciſſimus Darius, qui eum conſtituere ſuper vniuerſum [f] regnū cogitabat. Qui pro eius ſalute laborabat. *Quod verbum cum audiſſet rex, ſatis contriſtatus eſt & pro Daniele poſuit cor, vt liberaret eum, & vſq́ ad occaſum ſolis laborabat, vt erueret.* Cum non poſſet amicum liberare, [g] *dormiuit incœnatus, ſomnus receſsit ab eo. Lacum Leonum obſignauit, altera die lacrymabili voce Danielem inclamat, & vlciſcitur.* Fuit autem Daniel vir amicus Dei & angelorum, qui familiariter cum eo tractabant. [h] *Noli metuere vir deſideriorum: pax tibi, confortare, & eſto robuſtus.* Quod ſignificat virum multa deſiderantem bona & virum deſiderabilem, ἐπιθύμητον, vt

f c.6.14. *Darii amicitia.* g c.6.18. 20. h c.10.11. & 19. & 9.23.

alia manus Hippocratis, alia carnificis. Veræ amicitiæ indicium, amico bene velle, non quærere res amici. non amat digitum, ſed gemmam, qui articulum propter annulum abſcindit. Gentiles apud [l] Tertullianum mirantur dilectionem Chriſtianorum, *Ecce*, dicebant, *quomodo ſe amant*, nec mirum, *ipſi enim ſe oderant.* Amicitia in paucis, odium commune eſt. Qua mundus amat falſa dilectio, odio ſæpe deterior, quia fallax. Operoſum eſt fallere hoſtem, quia ſuſpectat. Theogn. *Verus amicus.* *l In Apolog.*

[m] *Fallere difficile eſt inimicum, at amicus amicum,*
Fallere non magno, Cyrne, labore poteſt. *m Ad Cyrnum.*

difficilius itaque cenſuit Alcmæon cauere amicum, quam hoſtem. Et Sophocles. Nullum maius vlcus eſſe, quam amicum malum ac ſubdolum. Amicitiæ ſpecie falluntur plurimi, ea nihil dulcius, nihil periculoſius. Vir bonus omnibus eſt amicus, malus animæ ſuæ inimicus. Seruus Dei etiam in hoſtes beneficus eſt. [n] Paulus Martyr moriturus pro omnibus orabat, etiam iudice & tortore. Agnes hominem ſceleſtum, quem ad flagitium in conclaue irrumpentem, Satan eliſit, precibus ſuis vitæ reſtituit, & maleficium beneficio penſauit. Inimicitias Arianorum grauiſſimas paſſus eſt Eubeſius Samoſatenus, ille tamen à muliere amore peſtiferæ ſectæ inſaniente letaliter ictus tegula, ab amicis iuſiurandum exegit, non expetituros pœnam: vt recenſet [o] Theodoretus: ex corde dimittebat, quod omnem Eleemoſynam ſuperare, [p] Auguſtinus docet. Deus inimicos diligi iuſſit, non perſequi, non ad duella prouocare, non calumniari. Theodoſius imperio, victoriiſque magni nomen aſſecutus, maior fuit indulgētia in hoſtes. Inimicorum filios, quos belli impetus in arma adegerat, ad Eccleſiam confugientes, etſi nondum Chriſtianos, erudiri ad religionem, & illa occaſione baptizari voluit, inſigni caritate dilexit, rebus ſuis frui iuſſit, auxit honoribus, & poſt victoriam in neminem priuatas inimitias vale- *Amicus falſus.* *Inimicorum dilectio.* *n Euſeb. l.8.c.6.* *o l.5.c.5.* *p Enchir.* *Theodoſii caritas.*

re paſſus eſt. Bella ciuilia, non vt Marius, & Sulla, ac Triumuiri finita cædibus infamia reddidit, exorta doluit, nulli nocere voluit terminata. Dilectio inimicorum proxima Chriſti eſt imitatio, præcipuum ſignum prædeſtinationis æternæ. Amator Epiſcopus Antiſidorenſis re & nomine illius imitator, qui caritas eſt. Virum nobilem Germanum vrbis gubernatorem offenderat neceſſario, & immerito infeſtum habebat, atque inſidiatorem, diuinitus tamen cognito fore vt ſucceſſorem haberet, in clerum ſuſcipit, & moriens Epiſcopatum commendauit, quem is multa virtute præclare adminiſtrauit: Hoc perpetuo animis cogitandum, eos quos hic abominamur, fore amicos æternos, niſi forte nos ob ſimultatem felicitate excidamus. Chriſtianus neminem inimicum habet, niſi malus; nam quisquis alium odit, etiam malum, non eſt bonus: niſi forte tam caute vitia oderit, vt amet perſonam: quod in magnatibus rarum eſt, ita enim inimicitias exercent, vt inſidias moliantur, & ſanguinem fundant: quæ dum machinantur tam hoſtes ſunt, quam cum feriunt. Tolerare hoſtem eſt beneficum, & humanum, amare diuinum. Nemo eſt quem non hoſtem Deus amarit. Quare formidet, quicunq; Chriſtiano infeſtus eſt: nam cum Chriſto inimicitias gerit.

Chriſtianus nulli inimicus.

¶ 3.

Quicunque ex animo Deum diligit, illi non modo facile eſt, ſed etiam neceſſarium amare fratrem. Creatoris enim & creaturæ dilectio ita eſt connexa, vt ſi vel vnum hominem oderis, hoſtis Dei iudiceris, non igne & aqua, ſed interdicto cœlo proſcriptus. Dei vero amicitia ad diuinitatem homines perueniunt, & puriſſimi redduntur, at mundi amore efficiuntur immundi. Amor enim ab immortali bono ad peritura translatus contaminat. Amor Dei præſtantiſſimus eſt numinis cultus, plenitudo legis, ſumma Scripturarum, virtutum

Dei amor.

Digitized by Google

tutum omnium in vnam arctata maieſtas. Scopus vitæ, prora & puppis religionis, ignis mentium mundator, ſol illuminator tenebrarum, par morti fortitudo radix bonorum omnium, ad Deum curſus, pondus noſtrum, vita animæ, gratitudo noſtra, quæ ſemper & datur & debetur, vegetabilis cœli ros, ſine quo omnis arbor eſt infructuoſa, vinculum ſine quo omnes virtutes ſunt inutiles, imo & ſpuriæ; labor mercedis vacuus eſt quem non excitat caritas. Illa rerum noſtrarum obliuionem inducit, & ſolas diuitias æſtimat Deum, quem amat. Olympiades, & Maximus Decio infeſtis minis imperanti: *Pandite diuitias*; Reſponderunt: *Noſtrum aurum & argentum Chriſtus eſt, huc accede, & eris diues.* Deum, qui ſic amat, Dei amicus eſt, quicquid ille amat, diligit, & quicquid odit, abominatur ac fugit. Deum ſuper omnia, proximum pari ſecum gradu diligit. Hic amor gratuitus eſt, non quæſtuoſus: qui non diligit ad hanc normam, mortuus eſt. Talis amator adamanti omnium metallorum, & gemmarum domitori, par eſt, nullis illecebris emolleſcit, tundendo non frangitur, impacta rumpit. Magnes eſt, homines, angelos, Deum ipſum ad ſe trahit, & trahitur. Vtriusque inſigne exemplum caritatis ex aula Flauiorum Artemius erat per Ægyptum præfectus, tantam poteſtatem caritas regebat, idola per totam prouinciam deiiciebat, monitis ex cordibus hominum venerationem eorum euellebat, pietatem inſerebat. Deinde apud Julianum apoſtatam accuſatus, cum impium tyrannum conſtantiſſima caritate argueret, atq; vt idola contemneret, hortaretur, exquiſitis ſuppliciis affectus amorem DEI ſui, & re & verbis teſtatus eſt. Acta eius recenſet [q] Theodoretus & [r] Nicephorus, [s] Lipoman [t] Surius. [u] Præfectum auguſtalẽ vocat Martyrologium Romanũ, quæ erat ſumma dignitas, toti Ægypto imperabat, vice Auguſti, [x] Strabo regibus illos præfectos adæquat. Poſſet & ille auli-

Amoris natura.

Artemii in Deum amor.

q *l.3.c.17.*
r *l.10.c.31.*
s *T.6.*
t *T.5.*
u *20.Octob.*
x *l.17.*

aulicorum ſpeculum dici, eques Romanus, ſub Conſtantino magno, Conſtantioq́; ſummis etiã belli functus honoribus, & iam in purpura conſeneſcens, gladio truncatus Chriſti triumphos auxit. Ammianus
y *l.22.* [y] Marcellinus illius quoque meminit. Erat enim eo
z *Menol.* tempore clariſſimus, & ſæculi iſtius Daniel. [z] Ad-
4.Maii. iungam Artemio Eleutherium ſenatorij ordinis, cuius pater conſulatum ter geſſit, & nobiliſſimi Epiſcopi, qui Meſſapiæ ſub Adriano, cum matre Anthia certa-
Eleutherius. uit, nomen illi Eleutherius, magna in illo caritas, in
Metaph. Deum fixus, ſui oblitus tormenta rapiebat, iuſſus Deum negare, aut accenſum ignem experiri, in rogum luculentum inſiliit, fortis erat vt mors dilectio, dolorem pro nihilo reputauit, ſuauiter ſe cubare inter ſæuos æſtus gloriabatur. Perſecutores mortuum arbitrati, deponunt, ſupplicio factus ardentior purgata per ignem caritate, Cæſarem adit, de Deo colendo, dæmonibus deſerendis vehementer diſſerit, ad crates & ſubiectos ignes retruditur, in ſartagine pice & adipe decoquitur, in clibano æſtuante aſſatur, nec tamen caritatem mortis tot genera obruere potuerũt, Adriano vrgenti, nam ſupplicia tyrannus ipſe ſpectabat & aſperabat, reſpondet, *non poſſe ſe vi vlla à Chriſti caritate diuelli*, obiectum ſibi Leones non attigere, alligatum equi feroces in montem molliter vexere, beſtias ne milites ab illis deuorarentur, impediit, tandem cum matre iugulatus tormenta cum cœleſti beatitudine mutauit. atque inter iſta Corebum nobilem præfectum Adriani conuertit, atque ad eadem perpetienda perpulit.

¶ 4.

Amicitia in bonis. Amicitia niſi in bonis, & cum virtute eſſe non poteſt. Nulla cum impiis & infidelibus ſincera eſt, in malis conſiliis conſpiratio eſt, Imperator cum Henricum fratrem, & Cunonem principem, in regiam affinitatem aſſumptum, videret inter ſe confidentiſſime inter

ſancta

Digitized by Google

ſancta myſteria confabulantes, amicitiam illam in grauiſſima odia diſſenſionesque commutatum iri dixit. quas illi deinceps ſuo malo exercuere. Ea cauſa fidelis amicus, hoc eſt vir bonus, & fidus diu quæritur, difficulter inuenitur, difficilius ſeruatur. Amor ſincerus in aulis multa habet impedimenta. Amicitia defert amico, vt æquam, cum amicum amet, vt ſeipſum, diligendo illum ſibi, quamuis minore ſit dignitate, exæquat. atque hoc eſt, quod Ambroſius monuit: amicitiam aut pares accipere, aut facere. In aula paritas ſuſpecta eſt, atque origo inuidentiæ. Quapropter facilius pauper verum amicum inuenit, nec eſt enim de dignitate concertatio, nec opes habet, quæ in vicem Domini amentur. Diues an vere diligatur, ignorat, niſi ad paupertatem veniat, tum denudant ſe, & fugiunt fortunæ comites, manent quos vera caritas vinxit. Cura igitur veri & boni amici legendi adhibenda eſt, non enim amicum iudicat Iſidorus quem pecunia conciliauit. Sed qui pecuniam expendat: idem enim animus eſſe debet, & fortunarum communicatio, vt [a] Ariſtoteles, [b] Plato, [c] Cicero, [d] Gellius etiam ſuis in tenebris viderunt. Leges amicitiæ illas ferunt, vt ſit inter bonos, animorum conſenſione conſtet, vt idem velint, & nolint, ſint omnia communia, & quidem ſine fraude. In aduerſis & triſtibus perſeueret: monere errantem liceat. arcana ne cælet, ne turpe aut iniquum poſtulet. Silentium arcano præſtet, opes & vitam pro amico ponat, nunquam aboleat, aut minuat caritatem. Amicitias habeat communes, non inimicitias, quas habere oportet nullas, quare iniuſta lex veterum Germanorum apud Tacitum eſt, vt ſuſcipere tam inimicitias patris, & propinqui, quam amicitias neceſſe habeant: In hoc enim incumbere omnes oportet, vt amico concilient inimicos. Qui his legibus amicus eſt, nihil illi comparari poteſt. Tales non vincendo, aut premendo, ſed ne benefaciendo quidem feceris, niſi benefacta gratuiti

Æqualitas inter amicos.

a *Mor.* 8.
b *De leg.* 1.
c *De leg.* 1.
d *l.* 1. *noct.*

Amici veri, rari.

Digitized by Google

tuiti amoris eſſe ſenſerint. Talium amicorum pauca paria vetuſtas numerat, nec illos quidem veros, vt Pylades ſanus fuerit, certe Oreſtes inſaniit.

§ 5.

Beneficio paucos fieri amicos.

e Xenoph. lib. vlt.

Attamen reges aliquos ſibi amicos faciunt beneficio ſuo. Rectiſſime Cambyſen filium Cyrus docet: [e] *Quare; quod etiam te, Cambyſes, minime latet; non eſt aureum hoc ſceptrum, quod regnum ſeruat; ſed amici fidi, ſceptrum ſunt regibus fidiſſimum, maximeq́ tutum. Verum ne putes homines naſci natura fidos; omnibus enim iidem fidi conſpicerentur, quemadmodum etiam alia quæ natura gignuntur, omnibus conſpiciuntur eadem: ſed fidos oportet ſibi vnusquisque faciat; quorum acquiſitio nullo modo fit vi, ſed beneficentia potius.*

Verum eſt, vbi eſt amor & gratitudo, alioqui ſi hiſtoriam conſulamus, magna regum beneficia plures fecerunt ingratos, quam amicos, plurimos capitales hoſtes. Nam ſi homines Deo, à quo omnia habent etiam animam ipſam, vitamque, ſint ingrati, & beneficia in contemptum auctoris vertunt, non eſt mirum regibus eſſe ingratos proceres, his famulos. Stultiſſima eſt malorum principum querela, cum indigne ferunt clientes non reſpondere beneficiis, cum ipſi de donis numinis luxurientur. Meminerint pleriq; vſitatiſſimæ, & maximæ caritatis ſe impatientes eſſe, qua viri ſinceri, & recti alios à peccato auertere conantur. Si omnium in laude eſt Antigone, quæ Oedipum patrem mori obſtinatum viuere coëgit, nonne magis amare dicendus eſt, quisquis à morte grauiore præſeruat? quod fecit Paphnutius, qui è Tyria Synodo Maximum eduxit, ne ſceleſti contra Athanaſium iudicij particeps fieret, vt [f] Ruffinus narrat. Nonne Ignatius, qui lacu frigido ſe merſit, torſitque vt amicum libidinibus deditum à flagitio reuocaret, ſummæ caritatis opus perfecit? Verum potentium amicitiæ peſtis eſt, libertati amantium offendi. At vero apem propter aculeum nemo odio

A culpa auocare magna caritas.

f l. 1. c. 7.

habet,

habet, propter mellificium omnes fouent. Hos tamen in neceſſitate ferunt. quia neceſſarios eſſe intelligunt; nullius eſt ea felicitas, vt ſibi ſufficiat. ne regum quidẽ, qui multorum odia, non niſi amicorũ præſidio depellere valẽt. Quanto minus aulici poſſunt, quorum certi ſunt æmuli, amici incertiſſimi? Multi vultures, qui fœtorem cadaueris, hoc eſt, vitia ſectantur? Claudam tanquam gemma ſententia [g] Nazianzeni.

Amicus fidelis protectio fortis, & munitum palatium. Amicus fidelis, viuus theſaurus. Amicus fidelis ſuper aurum & lapidem pretioſum multum. Amicus fidelis, hortus concluſus, fons ſignatus, qui opportune aperiuntur & communicantur. Amicus fidelis, ſolatii portus. Quod ſi prudentia etiam & iudicio excellat, quanti hoc faciendum? Quod ſi præterea ſumma doctrina inſtructus ſit, & quidem omnis generis doctrina, hoc eſt, tam noſtra, quam ea, quæ quondam noſtra erat, quanto tandem iſtud luculentius? Quod ſi ad has quoq; dotes id accedat, vt lucis ſit filius, aut homo Dei, aut ad Deum propius accedens, aut vir deſideriorum bonorum, aut quibuſdam id genus nominibus dignus, quibus homines diuinos & excelſos ac ſupernæ partis exornat Scriptura, id vero Dei iam donum eſt, meritumq; noſtrum prorſus excedat. g *Orat.* 6.

¶ 6.

Inimicitiæ in aula grande malum, & frequens, vt ex Daniele demonſtraui. Fugiet quisquis ab alio nocumentum timere poteſt. Salomon nos monet. [h] *Vir ſapiens ſi cum ſtulto contenderit, ſiue iraſcatur, ſiue redeat, non inueniet requiem.* *Inimicitiæ fugiendæ.* h *Prou.* 29.

Quin illa eſt veſania, vt ſua damna negligant, quo noceant alteri. Metuant etiam imbecilles: Terribilis eſt, quem faciunt anguſtiæ audacem. Quin illud ſecum reputent, vbi ſemel odia inualuerint mutuo concuſſu creſcere, nec facile ponit. Hoc ſecum ſtatuat quisque. Si habeo inimicum, inuitus habeo, & infeſto ſum amicus. cedat, melius hic bene vinci, quam male vincere. Qui vni hoſtis eſt, multos habet ille inimicos, nimirum tot, quot aduerſarius amicos. Cauſa inimicitiæ

Digitized by Google

citiæ ipſa mala eſt, auaritia, ſuperbia, inuidia. Chriſti & Apoſtolorum pax propria, quia caritas, qua amiſſa mundus eſſe deſinet, vt [i] Nazianzenus. Contentio tamen pietatis cauſa ſuſcepta melior eſt, quam vitioſa concordia, ſed pernicioſior diſcordia, conſilia enim inimici, etiam bona deſtruere nititur. Ariſtides iuſtiſſimus Athenienſium habitus, non fore rebus pacem dicebat, niſi ſe & inimicum in barathrum coniicerent, carceris id nomen eſt. Venenum eſſe ciuitatis iudicabat primariorum in Republ. diſſenſionem. Tolerant quidem aliquando reges diuerſa ſentientes, & hoſtes, quia mutuo ſunt ſibi cuſtodes, & vigilantius excubat, qui hoſtem à tergo imminere audit, verum cum potentes ſunt, facile rem perdunt, & principes ipſos diſſenſionibus.

i *Orat.* 12.

§ 7.

Fauor breuis.

Nihil amicitiæ aulicæ imbecillitatem adeo exprimit, quam, quo vti ſolent, fauoris nomen. Nemo minorum gentium appellare maiuſculum audet amicum, ſed fauentem, fauori ſe commendant. Quæ res mobilis eſt, & verſatilis, non minus quam ipſa aura fauonij. Fidere nos hominibus minaciter Deus vetat. *Nolite confidere in principibus in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus.* Fauoris inſtabilem Zephyrum experti ſunt Chaldæi. [k] Quo audito, rex, *in furore & in ira magna præcepit, vt perirent omnes ſapientes Babylonis.* Nec minus Danielis collegæ, & Daniel, quin fauor ipſe timendus eſt. Prudenter Calchas apud [l] Senecam.

k *c.* 2. 12.

l *In Troad.*

Sed fregit illos ſpiritus hæc, quæ dare
Potuiſſet alii cauſa, fortunæ fauor.
Tu me ſuperbum Priame, tu timidum facis.

Fauor fallit.

In altum extulit te fauor regnantis? Illo ſtas loco, vnde multi ceciderunt, ſcopulus multorum eſt exitio infamis. Stas proximus ſceptro? Vano fulgore tegeris, momentum rapit omnia. Fauor aulæ ſimilis eſt ſolis imagini, quæ in aqua relucet, aut luci tremulæ,

quæ

Digitized by Google

quæ ſpeculis auratiſq; conis excipitur, quæ non modo nubis interpoſitu, ſed minimo corporũ motu perditur. nõ igitur iſta magni faciẽda ſunt, [m] *nam qui pro virtute quam egit, humanos fauores poſtulat, rem magnam vili venalem habet.* Hoc obſeruet, ne placere conetur, cui non placet virtus. Nam miſer eſt, qui placet malis: mala via eo peruenit. Si regi places iniuſto, voluptario, adulterio per ſcelerum miniſteria, & lenocinia ad fauorem adrepſiſti. In aula ſæpe non virtuti fauetur, ſed ex ſimulatione virtutis gloria quæritur, Dionyſius, bonos & doctos viros liberaliter habebat, vt tyrannidos odium mitigaret. Vſthazanem nobilem Perſam, rex quamuis familiarem carumque ob religionem morti addixerat, rogatus tamen moriturus eſt, vt ſi quid vellet, à rege fauente peteret: Aliud non popoſcit, quam vt præco ediceret: Ipſum hac ſola de cauſa, quod Chriſtianus eſſet occidi. Fauetur illis, qui vtiles ſunt, ſaxa molaria in precio ſunt, ſe mutuo tamen atterunt, donec attenuatis noua ſubſtituantur, ipſa ſternendis viis pedibus calcando aptantur, hic fere exitus & fauorum, & laborum aulicorum.

m *Greg. l.3 mor.*

Quibus fauetur.

Cap. LV.

De aulæ temperantia, deliciis, de abſtinentia, ſobrietate magnatum, nobilium.

§ I.

COpiam regiæ domus, exſtructaſq; dapes, & apparatum, deliciaſque menſarum tolli ſibi non reges magis, quam aula tota ſuſtinet. Magna pars procerum illo ſplendore luxurianti dignitatem principum metitur. Magno iudice cauſam tuentur, & obtinent. Salomon adhuc iuuenis, Deoq; amabilis, gentis electæ, & Eccleſiæ Iſraëliticæ magnificentiâ regiâ dignitatem

Aula magnificentia.

Digitized by Google

Salomon ſplēdidus. *a 3. reg. 4.22.*

oſtentabat, & Chriſti regis æterni ac beatorum cœnam figurabat. Voluit nos eius ſumptus ex parte cognoſcere S. Spiritus. [a] *Erat, inquit; cibus Salomonis per dies ſingulos, triginta cori ſimilæ, & ſexaginta cori farinæ.*

Sumptus Salomonis

Boues pingues & paſcuales noſtratibus maiores in ſingulos annos dena millia nōgenti quinquaginta abſumebantur, arietum triginta ſex millia quingenti. His additur venatio ceruorum, bubulorum, auium altilium multitudo. Vitulos, agnos, oryges, pygargum, tragelaphum, camelopardalum, capras & hœdos omittit. Quin & omnia genera piſcium, quorum erat copia ex mari mediterraneo rubro, lacubus, fluuiis, de terræ fructibus, melle, lacte, caſeo, butyro, arborum prouentibus, tacent ſacræ literæ, cum tamen in regione calida paucæ carnes, plurima, quæ ſponte naſcuntur in cibum adhiberentur. Corus menſura eſt, quæ & Chomer, continet modios triginta, itaque ſimilæ & farinæ in aula Salomonis in ſingulos dies conſumebantur duo millia, ſeptingenti modij, alia menſura & Gomor, ſeu גמר decima pars Epha. Non iam de menſuris diſputo, Corus eſt menſura, quæ iuſtum cameli pondus continet, dimidium cori onus eſt muli. Hæc omnia ordinatiſſime diſpēſabantur, ad guſtum & ſalubritatem coquebantur. Adeo vt inter cœtera, etiam cibaria menſæ eius regina [b] Sabæ, adeoque pincernas, eorumq; veſtes admiraretur. Non auſim iſta tollere, non enim res culpanda, ſed luxus. Hoc moneo, inter iſta Sapientiſſimi Salomonis ſalutem venire in dubium, nec vllum eſſe regem, qui non malit ſortem Lazari, quam tanti regis. Sed maneat palatio deliciarum excuſatio: immoderatus tamen vſus veniam non habet.

b 2. Paral. 3.

§ 2.

Temperātia Danielis.

Verum Danielem audiamus, magiſtrum temperantiæ, ciborum delicias aſpernantem, vinum aqua mutan-

tantem. Felicitatis principium illi & ſociis temperantiæ fuit. [c] *Propoſuit autem Daniel in corde ſuo, ne pollueretur de menſa regis, neque de vino potus eius*: Et Malaſari audacter loquitur. [d] *Tenta nos obſecro ſeruos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad veſcendum, & aqua ad bibendum.*

c c.1.12. d c.1.12.

Ea cauſa & formam & ſapientiam illis Deus donauit [e] *Pueris autem his dedit Deus ſcientiam & diſciplinam, in omni libro & ſapientia: Danieli autem intelligentiam omnium viſionum & ſomniorum.*

e c.1.1.17.

Non ſunt illa de Hippocratis aut [f] Galeni diſciplina, qui legumine colorē reddi luridum, ingenium obtuſum ſcripſit, quod etiam Theophraſtus affirmat. Verum ille qui in deſerto docuit exules ſuos, [g] *non in ſolo pane viuere homines, ſed ex omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Alimentorum noxiorum facultates in ſuccos ſalubres, & ingeniorum ſubtilitati, ſapientiæq; commodos conuertit. Nec modo iuuenis abſtinere nos docuit, ſed cum iam centum eſſet annorum, & conuiua Darij regis ieiunauit. [h] *Et poſui faciē meam ad Dominum Deum meum rogare & deprecari in ieiuniis, ſacco & cinere.*

f *De facul. aliment.* g *Matth. c.4.4.* h c.9.3.

Et anno tertio Cyri [i] *In diebus illis ego Daniel lugebā trium hebdomadarum diebus.*

i c.10.2.

Cur ſenior regum menſas non fugiebat? an non cōtaminabatur? Alia ratio pueri, & adulti. In tenera ætate edendum erat, quod apponebatur, iam in dignitate tanta de mundis cibis in magna varietate carpebat, ſuos ſibi coquos, pincernas, prægustatores habebat. Itaq; non quæ appetentia ſuggereret, ſed lege permiſſas libabat eſcas, vel hoc ipſo in regia temperantiæ magiſter: nam conditiſſimi fere ſapores ex illis erant, quæ lege vetabantur.

Daniel adultus regum menſa vſus.

§ 3.

Verumtamen magis Daniel temperantiā docet horrore, pœnisque ebriorum, quam ſobrietatis exem-

 plis

plis. Vnde enim voraciſſimis beſtiis lex temperantiæ? Narrat Joacimum, & principes ductos in captiuitatem, terram vaſtatam, Deum contemptum, cauſam
k c.28. 7.8.9. reddit Iſaias. [k] *Verum hi quoque præ vino neſcierunt, & præ ebrietate errauerunt: Sacerdos & Propheta neſcierunt præ ebrietate, abſorpti ſunt à vino, errauerunt in ebrietate, neſcierunt videntem, ignorauerunt iudicium. Omnes enim menſæ repletæ ſunt vomitu ſordiumq́;, ita vt non eſſet vltra locus. Quem docebit ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus.*

Regna cadunt, regesque ad deriſum veniunt, dum vino amentes Deum audire non poſſunt, Moab apud
l l.48. 26. [l] Jeremiam perit, *ſed inebriatus, & allidens manum ſuam in vomitu ſuo.* Jam ante Danielem natum decem tribus propter ebrietatem in exilium ſine ſpe reditus ab-
m c.28.1. iere. [m] *Væ coronæ ſuperbiæ ebriis Ephraim*, clamat Iſaias.

Aſſur per ebrietatē perit. Aſſyrium imperium cum Sardanapalo pecore ebrio in fauillas abiit, [n] Antiqui Nabuchodonoſoris
n *Iudith.* 4. ducem Holofernem, & virtutem Aſſyriorum vina ſtrauerunt, vt vna mulier faceret confuſionem in domo Nabuchodonoſor.

Baltaſſar iam temulentus cum mille optimatibus
o c.5.1.2. ſententiam mortis accepit. [o] *Baltaſſar rex fecit grande conuiuium optimatibus ſuis mille, & vnusquisque ſecundum ſuam bibebat ætatem, præcepit ergo iam temulentus vt afferentur vaſa aurea & argentea, quæ aſportauerat Nabuchodonoſor pater eius de templo, &c.* Omnes illi trucidati ſunt, vt ex I-
Babylon ebria periit. ſaia docui ſuperius. Non mirum, aulam Babylonis perire non ſobriam, eadem nocte Medi & Perſæ irrumpunt & plenas victimas cædunt, cadit ebria ferro nobilitas, & vino ſtygias ſuper ebibit vndas. Sobrij erant Perſæ cum Monarchiam ebriis Chaldæis extorquerent, cum Cyrus ad amnem pane & Naſturtio veſceretur, nec diu tamen imperditos paſſa eſt felicitas, in parœmiam abiit luxus Perſicus. Ebrij cōſultabant, quod ſobrij probarent, quod ſicci ſtatuiſſent, madidi ad examen

men reuocabant, & ſanctiora ebriorum conſilia cenſebantur [*p*] Strabo, [*q*] Athenæus [*r*] Scholiaſtes Ariſtophanis. Sane ingluuies beluæ Danieli oſtenſa eſt, vrſa Perſica de qua dicitur, [*s*] *Et ecce beſtia alia ſimilis vrſo in parte ſtetit: & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius, & ſic dicebant ei: ſurge, comede carnes plurimas.* Tres quaſi coſtæ, & ternus in illis ordo dentium, gulæ non ſatis erant vna ſeries, triplici mala molebat eſcas, non enim quieſcebat ille edendi exercitus, ſed dicitur illi: *Surge, comede carnes plurimas.* quod de crudelitate, & inſatiabili voracitate dicitur. *Surge*, inquit, Judex Babylonis, ſtupidi pecuarij, aratores erant, frugali, imo ſordido victu. Hæc verba Danielis l. 1. Herodotus exponit. Cyrus cum ad Perſas rediſſet irritata gula eos ad magna capeſſenda induxit. Nam primo lignatum educit & grauiſſimo labore fatigauit. Deinde die altera conuiuio lauto excipit, atq; in lætitiam effuſis vtriuſq; diei ſortem expendendam proponit, prioris quidem ærumnas laborioſas, triſtemq; famem, cibario vix pane victam, alterius lætitiam, ſatietatem & delicias: iubet eligere qua fortuna in poſterum viuere peroptent, illa hactenus latentes, torpentes, & vrſorum inſtar hyberno ſuctu viuentes ſpe pabuli ad bella incitauit, & vti beluis pugnandi cauſa eſt cibus, ita & Perſis, quorum deinceps monſtroſa gula fuit, donec à Pardo præciſa decidit, nec mutati tamen mores: Alexander potando periit, aulæ deinde Macedonum, Syrorum & Ægyptiorum regum, meræ popinæ, & vinolentæ paludes fuere, vt Juſtinus, Polybius Appianus, Liuius, alij deſcribunt. [*t*] Quarta beſtia comedebat & abſumebat, & deuorauit vniuerſam terram, creuit vtcunq; ſobria, adulta vix Cæſarem habuit ſobriũ, pleroſq; portentoſo luxu, donec ad tempora Chriſtiana eſt ventum, quæ tamen aulas videre coguntur, quam reliquũ orbem intemperantiores.

p *l. 15.*
q *l. 4.*
r *In equitibus.*
s *c. 7. 5.*
Vorax vrſus.
Perſæ cupidine exularum pugnant.
Regum ebrietates.
t *c. 7.*

§ 4.

Ebrietas omnibus quidem hominibus pernicioſa,

In aula eſt opus temperantia. ſed maxime aula poſtulat ſobrietatem, minime colit: conditio ſeruitij regalis animum vigilantem, intentũ, & corpus labori idoneum poſcit, quod ciborũ copia inhabile, marcidumq; efficit, ebrietas viuum tumulo infert. Fœdior eſt, quæ vino, quam quę morte ſit, ſepultura. At temperantia vita eſt. Vera pulchritudo Deo ſimilis cognoſcendo verum, agendo bonum, corp' ornando temperãtia acquiritur, vt Clemens Alexandrinus [x] qui eos maxime cibos probat, quos natura maturauit, non decoxit ignis. Communis vero cibus fortiores, & prudentiores facit, vt confirmat Clemens, & Antiphanes medicus Delius probauit. Temperantia mentis eſt ſenſuumq; ſeruatrix, corporis tutela, cuſtos arcanorum, doctrinæ apta indoles, prudentiæ munimentum, magiſtra ingeniorum, ſapiẽtia inſuperabilis. *Abſtinentia in palatio laudatior.* Nuſquam autem quam in palatio abſtinentia laudatior eſt, inter tot apparatuum illecebras, & inuitantium blandimenta. Clariorem enim temperantiam facit ferculorum ſumma affluentia gratuito oblata. Hic bene conſtitutus animus medium tenet, paucis vtitur pleraq; intacta relinquit, honeſto colloquio animum à cibis auocat. Qui de pleno fonte haurit, non quantum ſitis poſtulat, & ſanitas, bibit: prudens in menſa non patinas, & ſtruices epularum, ſed quid naturæ opus ſit, conſiderat, nouit non abundantiam, ſed edendi bibendique effrenem auiditatem culpari. Daniel puer ipſam affluentiam reiecit, adultus ex illa non niſi neceſſaria carpſit: Imitatus Dauidem & reges proauos quem & principes imitari neceſſe eſt. ſane ſuſpicere, & longo interuallo ſequi. In diuite aula, regumq; victrice, inter exquiſitas dapes clamat: *Genua mea infirmata ſunt à ieiunio: & caro mea immutata eſt, propter Deum.*

u *Pæd. l.2.c.1.*
x *l.2.c.4.*
y *Pſal.108.24.*

Fœda in ſacris viris intemperantia. Nondum eo peruenit infirmitas noſtra? at hoc ſaltem caueatur, ne genua labent à vino, ne corda grauentur crapula ac ebrietate. Si neceſſitas, vel vſus delicata requirit, ne ſe tamen eo nomine gula palliet, periculũ eſt. Quod ſi Deus illa regibus præcepta dedit. Quanto

accu-

Digitized by Google

accuratius ſeruanda ſunt in epiſcopiis antiſtitum. Nihil turpius eſt, nihil nocentius eſt, ebrietate inter ſacraria vbi ea de cauſa Aaronis filij ipſo initiationis die cecidere. Leges Apoſtolorum loco mouent, atq; in ordinē redigunt ebrios Epiſcopos [z] *Epiſcopus vel presbyter, vel diaconus aleis, & ebrietatibus vacans, vel ceſſet, vel deponatur* alia verſio, *Damnetur.* Græce eſt καθαιρείσθω *deiiciatur.* apud [a] Clementem, clerici ebrij triginta diebus cōmunione priuantur, aut ictibus quadraginta feriuntur. Miramur iſta facta, forte miramur etiam dici, ita vitia victricia leges victas triumphant. Quare multis iam locis militem Deus immittit, vt ſi vitia non exſcindat, ſaltem materiam ſubtrahat luxui, nec finis erit niſi priſcæ modeſtiæ reditu, ac ſobrietatis.

z *Canon. 43. diſtinct. 35.*

a *Can. 30.*

¶ 5.

Laudatur priſca frugalitas, etiam regibus conſueta, Homerus ſane mores priſcos bona fide recenſet, apud quem Achilles gloriatur in regum conuiuio ad Troiā cœteris certam vini menſuram fuiſſe poſitam, ſibi, vt & Agammenoni duci ſummo, illud honoris conceſſum, vt quantū vini poſceret, daretur: nec ebrietate tamen, ſed cithara conuiuium finiebat. Scipio Hiſpaniam magis vigilantia, & ſobrietate, quam armis vicit. Idem ſe vinum, ꝙ remiges bibiſſe ſcribit. Alphonſus Aragonius frequenter vino abſtinuit. Oſorius [b] Emanuel Luſitaniæ rex ex cultiſſima menſa parciſſime edebat, vino pene abſtinuit. Carol⁹ Magnus ter bibere ſoli tus erat. Maximilianus primus bis duntaxat, ꝙ ante ſeruarat [c] Ferdinādus Catholicus. Fridericus tertius extra cœnam nō eſt vſus niſi vino dilutiſſimo, vt teſtis [d] Æneas Syluius. Nam bibendi meta eſt ſitis expulſio. Cyrus de patre rogatus, quando bibere ceſſaret? quādo, inquit, *ſitire deſinit.* Duro ſobrietatis documento Peſcenninus toti exercitui vinum negauit. Sane pugnatorem ſobrium eſſe oportet. Siue certamen ſit [e] contra leonem rugientem, ſiue contra hoſtem

Regum ſobrietas.

b *l. 12.*

c *Marian. l. 21.*

d *Hiſt. Boh.*

e *1. pet. 5. 8*

Digitized by Google

armatum. Contra dæmonem validiſſima eſt temperantia, vt [f] Delrio probat. Magis turbat vini intemperantia, magis grauat cibi copia: itaque magni viri hanc ſemper fugerunt, vt Carolus, Emanuel, Fredericus. Quin & Selymus Turcus, cui tamen non modo vita mortalis, ſed cœleſtis etiam erat eſca & potus, homines enim bruti alias in cœlo voluptates, quam pecudem non agnoſcunt ex Machometis diſciplina. Eadem cibi parcitas in Fabricio, Scipione, Cæſare, Catone, Auguſto, Tito, Traiano, Hannibale, cui ante veſperum ſumere cibum non fuit conſuetum. Xerxes ipſe non niſi in die ſemel reficiebatur. Olim integra Scotorum natio, non niſi cœnam poſt leue ientaculum norat. Pythagoras olere vixit: Spartani cupediarum coquos vrbe eiecerunt [g] Romani per ſexcentos annos non pane, ſed pulte vſi, vt Alexander ab Alex. docet, vbi & vide Tiraq. ſane Germanis quoq; ante Chriſti aduentum pro pane pultes.

f *l. 1. diſ. mag. q. 21.*

g *l. 8. c. 7.*

Multa contra Jouinianum profert exempla Hieronymus. De abſtinentia ſanctorum Eadmundi, Caroli magni, Othonis primi, Stephani, Juanis Dalmatæ aliorumq; catalogum non texo. Vitæ & hiſtoriæ paſſim in manu ſunt.

h *l. 1. contra Iouin.*

Cap. LVI.

Sanitati, & longæuitati conuenire temperantiam, copiam obeſſe.

§ I.

Sanitatis conciliatrix temperantia

DVo obſunt intemperantibus, & copia, & ſapores qui non ſedant famem & ſitim, ſed irritant cupiditatem. Quibus & ſanitas læditur, & mors properatur. Salomon vere monet: [a] *Noli auidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam.*

a *Eccli. 37. 32.*

[b] Et

[*b*] Et prouerbiis ſuis grauiter monet: *Cui va? cuius patri va? cui rixa? cui fouea? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum.* b *c.23.29.*

Sanitas corporis ſobrius eſt potus: Proſper [*c*] de vita contemplatiua. *Omnia ordinat, ordinata corroborat, mentem componit.* Chryſoſtomus quoque contendit: Nihil ſic iucundum, vt cibus bene digeſtus, nihil ſic ſalutem,ſic ſenſuum acumen operari. nihil ſic ægritudines pellere, vt moderatum cibi vſum: hinc ſoſpitas eſt & voluptas, abundantia tam corpora extenuat, quam fames. Hippocrates & Galenus ingluuiem damnant, noxiam corporibus, & mentem eorum adipe quaſi luto demerſam nihil tenue ſapere demonſtrant. Communium ciborum in regia medicorum prima laus eſt. Galenus notos ſibi affirmat, qui ab articulari morbo, & podagra ad cibos communes traducti ſint ſanati. Sane cum viſcera febris vrit, fames & ſitis indicitur. qua lege opus non eſſet, ſi nunquam cum faſtidio ſaturitas eſſet, ſi nunquam plus corpori indulgeretur, quam ſatis eſt valetudini. Quod prudenter Jouianus Pontanus, indicauit, cum diceret, cibis abſtineo, vt à me Medici. Varij enim cibi & diſſimiles valetudinem affligunt, quemadmodum plures venti fluctus cient. Quapropter luxum illum & condimenta ab aula Joannes Comnenus eiecit, frugalitatem induxit, Romani quoque Alcæum, & Phileſium artifices deliciarum, & ſuaſores vrbe expulerunt, vt refert [*d*] Ælianus: ne gentem martiam frangerent ciborum lenimento. Innumerabiles morbos multi parant coci. Hinc ex aulis ægritudines & miſeræ mortes. Mœcenas luxuriæ exemplar, verbis etiam, non vita modo fractus, luxurioſus, ſupinus, Auguſti amicitia, quam virtute clarior, voluptates ſuas febri triennali, parique inſomnia luit. Integro triennio ante mortem ſomnum non vidit, atque in continuo tormento ſine requie inferos ſuos in purpura male auſpicatus eſt. Afri intemperantes erant, & inter eos perditiſſimi Car-

c l.2.

Ciborum varietas noxia.

d *l.9.*

Mœcenas.

e Ad Demetrian. thaginenſes, ideo memorat [e] Cyprianus eorum Epiſcopus, præcipitatam ſenectam, & mundi ipſius minui vires arbitratus eſt, origo tamen ab intemperantia. *Canos videmus in pueris, capilli deficiunt, antequam creſcant: nec ætas in ſenectutem deſinit, ſed incipit à ſenectute: ſic in ortu adhuc ſuo ad finem natiuitas properat. ſic quodcunq; nunc naſcitur mundi ipſius ſenectute degenerat: vt nemo mirari debeat, ſingula in mundo cœpiſſe deficere; cum totus iam ipſe mundus, in ſenectute ſit, & in fine.*

Maurilius. E contrario Maurilius Epiſcopus Andegauenſis ſumma abſtinentia, triduano ſæpe ieiunio ad decrepitam ætatem in ſummis laboribus peruenit, ſemper ſanus corpore, mente vegetus. Breuis vita gentium fuit, quæ deliciis vacabāt, in ea infamia Phæaces, Syri, Jones, Cyrenæi, Rhodij, Samij, Lydi, Mileſij, Sipontini, Syracuſani, Tarentini, Colophonij, Leontini. quorum morbi cum deliciis certabant. Addita erant & crebra balnea, hoc eſt, [f] vt Clemens Alexandrinus vocat *ἀνθρωπογναφεῖα*, quæ hominem interpolarent, & mundando detererent, ſenectutemq; celerarent. Dabis ergo ventri, quod debes, non quod potes, ſed de ebrietate videamus.

f l. 3. pæd. c. 9.

¶ 2.

Vina morbos generant. Vinum immodicum cohortem morborum inducit, & medicinę neceſſitatem morbis ipſis haud leuiorem. [g] Auguſtinus ebrioſos paludibus comparat, in quibus nihil, quod ad votum eſt, naſcitur, non arbores, non fruges, ne onera quidem ſuſtinent; non enim aqua rigantur, ſed merguntur, hinc ranæ, colubri, ſanguiſugæ, viſu fœda inſecta naſcuntur, ſic quoque quos vina opprimunt, quicquid aut dolore cruciat, aut fœditate offendit, patiuntur. Huic ſentinæ exhauriendæ, ſiccandisque paludibus viuis perpetuus medico labor. Liberis pediſſequus eſt Æſculapius. Eleganter Calliſthenes grandem calicem recuſabat, ne Bacchi comitem haberet Æſculapium. Vinum enim copioſe

g Serm. 231. de temp.

Digitized by Google

pioſe ingeſtum pro cicuta eſt : nec niſi ſiti curatur. Qua quidem in re Zaleucus ſeueriſſima lege cauit, vt ſi æger contra iuſſum Medici vinum bibiſſet intemperantius, occideretur, indignum vita putabat, qui ſponte morbos augeret, quod ille Locris, hoc toti generi DEVS edixit, & pœna capitali ſobrietatem ſanxit. Vinum omnium liquorum eſt calidiſſimum, quod ſi potens ſit, & fumoſum, vt Thaſium, Lesbium, Creticum, Chium, Naxium, non quærit illud ſitis, quo augetur, inflammat ſanguinem, cui reſtinguendo eſt potus aquæ neceſſarius. aqua ſcilicet, medicamentum vitæ temperatæ. Ea potus maxime naturalis. Hermes in principio generi humani ait ignoratam ebrietatem : id quoque Boëthius exiſtimat. *Zaleucus.* *Aqua potus commendatus.*

Somnos, inquit, *dabat vmbra ſalubres,*
Potum quoq; lubricus amnis.

Verum non ignoraſſe illos vinum, ſed temperate vſos verius eſt. Non ſine cauſa Noë vineam plantauit, & vinum bibit. Hac tamen in re Dei benignitas apparuit, quod aquam vitæ conſeruatricem eſſe voluit, quod Medici docent, & plus proficerent, ſi plus fidei haberent. Si plures Hippolytos haberent, [h] Seneca h *In Hippo.*

Quos iuuat nudâ manu
Captaſſe fontem.

Baſilius ex Muſonio aquæ potum ſalubriorem docet, & [i] Clemens Alexandrinus accurate probat, [k] Athenæus quoque, [l] Cardanus, [m] Cœlius, [n] Plinius.

i *Exhort. ad gentes.* k *l.2.* l *l. de aquis.* m *l.34. c.14.* n *l.34. c.12.*

Eſt enim potus naturæ aptus, ſobrius, ſitim facile ſedat, calorem temperat, alimẽta melius quam vinum elixat, deducit, digerit, capiti grauis non eſt, viſum acuit, corpus fouet. Et ne mireris : iam maxima pars Medicinæ eſt aqua, poſtquam vetera Pharmaca, & vtriusque Indiæ medicamenta ceſſere morbis, ad aquas venitur, acidulæ propinantur, & cur morbis vnæ & ſolæ medeantur nondum cauſa conſtat, niſi quod Deus ſobrie-

Digitized by Google

ſobrietatem commendare voluit, & quæ vera ſit panacea oſtendere.

¶ 3.

Atque hinc intemperantiæ à natura abhorrens, naturam interimens apparet turpitudo. Hinc

Ambitioſa fames (ſitis) & lautæ gloria menſæ.

Ebrietas contra naturam. Quicquid graditur, volat, natat, noſtris ventribus ſepelitur, vina peregrina precio ipſo commendantur, voluptas vt canis rabidus (ſic eum [o] Nazianzenus appellat) omnia virulento dente admordet, condimenta & ſapores quærit, non vitam. Roſomachæ pellem induti videntur homines bibacitatis, & voracitatis immenſæ, cuius gloriam quidam cupiunt, quos helluones de potentia potandi ſeſe iactantes opportune Ariſtippus refutauit, cum plus bibere mulum, nec inebriari diceret. Sane brutæ animantes non vltra famem & ſitim pabulantur, potantve, nec ſuperuacuo onere naturam premunt. Brutos homines, quibus ventrem præter, & ea, quæ ſub ventre ſunt, nihil curæ eſt, appellat [p] Clemens Alexandrinus. Juſtinus de vita Chriſtiana, & Gregorius. Varro illis animam pro ſale eſſe, quod de porcis Cicero dixit, affirmat. Græci κοιλιοδαίμονας *ventridæmonas* vocant. Corpus illis pro voluptate eſt, animus oneri. [q] Ariſtippus eos ſola voce à beſtiis differre reſpondit, [r] Lactantius ſolis lineamentis eſſe homines, cætera belluas. [s] Cicero neminem pro homine habendum cenſet, qui diem vnum in voluptate eſſe velit, Baſilius negat tales ſibi notos eſſe, corpus ſolum, hoc eſt beluá cognoſcere. Quomodo igitur illi magnates, & proceres, ſi infra homines, ſi comparati iumentis inſipientibus? Quomodo conſtare talibus ſanitas poteſt, qui de natura humana in ſuillam migrarunt? nec tamen illos pudet, fama vilis eſt ebrio, laudem improbitatis ambit. Pudere illos conſtat, ſi non improbi prodigiq; habeantur.

o *Orat. 16.*

p *Pæd. l. 2.*

q *Lactãt. l. 3. c. 8.*

r *l. 5. c. 11.*

s *l. 2. de finibus.*

CAP.

Digitized by Google

Cap. LVII.

Alia mala ebrietatis aulicæ, & procerum.

§ I.

AVlæ præcipue neceſſaria eſt prudentia, quam ſobrietate Daniel accepit, induſtria, vigilantia. Temulenti autem, quod de Aſello piſce dixit Ariſtoteles, cor in ſtomacho habent, cum bibunt, & cum loquuntur in lingua. Si illis in membris non locarunt, nullum habent. Vere [x] Oſeas *Fornicatio, & vinum & ebrietas auferunt cor.* Vere enim Deus eorum venter eſt, & cum Deo cor eſt, aut ſane non meliore loco quam Deus: Quin [y] Baſilius idola gentium vocat, oculos enim habent, & non vident. Errant in voluptatibus, periculoſo naufragio, merces amittunt, & mentem. Quare Seneca inſaniam voluntariam vocat: & ſane ebrius, niſi tempeſtiue ſatis prematur, vinciendus eſt. Chryſoſtomus dæmonem voluntarium vocauit. [z] Clemens Alexandrinus cor obrui vino, & nauem mari demonſtrat, & deſcribit temulentos. Auguſtinus puteum inferni dicit ebrietatem. Profunde enim mergit, ſalutis ſuæ immemores. Nec modo dum vino tanquam febri æſtuant, verum etiam dum paroxyſmus exſæuit mentis inopes manent, ſenectam inualidam, & prudentiæ expertem ferunt. Dei illud decretum eſt. [a] *Luxurioſa res, vinum, & tumultuoſa ebrietas: quicunq; his delectatur, non erit ſapiens.*

Ebrij imprudentes.

x c. 4. 11.

y *Hom de ebriet.*

z l. 2. pad. & l. 2. ſtrom.

a *Prou.* 20. 1.

Quam vero ſit in aula periculoſa talis inſipientia, non tacuit Salomon. [b] *Quando ſederis vt comedas cum principe, diligenter attende, quæ appoſita ſunt ante faciem tuam.*

b *Prou.* 23. 1.

Quare ſancta eſt admonitio ſapientiſſimi regis. [c] *Noli eſſe in conuiuiis potatorum, nec in comeſſationibus eorum,*

c 23. 20. proueb.

rum, qui carnes ad veſcendum conferunt. Nec præſentia duntaxat intuere: futura conſiderare iubet Spiritus ſanctus. [d] *Ne intuearis vinum quando flaueſcit, cum ſplenduerit in vitro color eius: ingreditur blande, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet.*

d *Prou.* 23.31.32.

§ 2.

Graue peccatum ebrietas.

Periculoſum eſt crimen ebrietas, non enim æſtimatur grauitate ſui, ſed conſuetudine, quæ in Germania & in Indiæ barbaria inualuit. Verum illam ipſam peccatricem conſuetudinem minis Deus percellit, & pœnis adobruit. Maxime nobiles & principes. [e] *Væ,* inquit, *Iſaias qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſq; ad veſperam, vt vino æſtuetis. Cithara, & lyra & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis veſtris: & opus Domini non reſpicitis, nec opus manuum eius conſideratis. Propterea captiuus eſt ductus populus meus, quia non habuit ſcientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius ſiti exaruit. Propterea dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſq; vllo termino: & deſcendent fortes eius, & populus eius, & ſublimes glorioſiq; eius, ad eum.*

e c.5.11.12.13.14.

Germania dat pœnas ebrietatis.

Tot Germaniæ nobiles diuiteſq; ad famem, ad incitas redacti ſunt, cauſam in prædones, & bella non ante conferat quiſquam, quam ſeſe examinarit, quam multa ipſe per ebrietatem perdiderit, an pœnam ipſe attraxerit? Ebrietatis enim pœna iuſtiſſima in ſacris literis deſcribitur, inopia, fames, ſitis. at raptores quoque comeſſationibus indulgent: Illi igitur te, illos alij ſpoliabunt. Nulli ſuus deerit carnifex, non in omnes eadem hora, eodemque loco lege acturus, nulli tamen parſurus.

Ebriorum contemptus.

Pittacus eum, qui per temulentiam delinquit, duplo puniendum cenſuit. Solon principem ebrium morte plecti voluit. Genus enim & officium dedecorant, contemptui obnoxij, adeo vt Antigono regi temulento quærenti, nunquid vellet? Zeno reſponderit: *Abi*

Digitized by Google

Abi & vome. nec enim cum puero, nec cum ebrio agi quicquam ſerio poteſt: nihil meminit, nihil ſapit, ſpectaculo eſt.

Grauiſſimum porro in aula crimen eſt, mutua inuitatio, & ad ebrietatem inductio, tam vſitata vt videatur corrigi non poſſe, tam perniencioſa, vt inde omne malum oriri videatur. Conſuetudo illa fuit Babylonis, vt teſtatur [f] Abacuc propheta. *Væ, qui potum dat amico ſuo, mittens fel ſuum, & inebrians vt aſpiciat nuditatem eius. repletus es ignominia pro gloria: bibe tu quoq; & conſopire: circumdabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam.* Calix dexteræ Domini vaſtatio, cædes omnium, & vt ſupra dixi mille procerum atque optimatum in conuiuio grandi Baltaſſaris. Nunquam autem ſine felle miſcetur inſaniæ poculum. f c.2.15.16.

§ 3.

Præcipuum temulentiæ probrum eſt, furor, ira, rixæ ſanguineæ, & inter ſcyphos pugna, quæ non ſolius Thraciæ eſt, ſed omnium, quos Bacchi inſania delectat. Nihil ferocius ira quam temetum accendit, non modo, quia duplici flamma pectus vritur, ſed quia ratio, quæ reſiſtere vna debuit, & potuit, infirma eſt, aut ſopita iacet, vt igitur pueri re minima ſubito excandeſcunt, ſic & ebrij, & ſi potentes ſint ſæuiunt. *Ebrietas furor.*

Mezentium tyrannorum vetuſtiſſimum, qui Rutulos contra Latinos adiuuit vinolentum fuiſſe Varro tradit, vt appareat vino ſæuitiam efferari, & ne aliunde exempla petantur, Danielis beſtia tertia pardus eſt regnum Græciæ, & Alexander Rex primus, vini inter mortales appetentiſſimus. [g] *Poſthac*, inquit, *aſpiciebam, & ecce alia quaſi pardus, & alas habebat quaſi auis, quatuor ſuper ſe, & quatuor capita erant in beſtia, & poteſtas data eſt ei.* *Vinolentia ſæua.* g c.7.6.

Capita quatuor, præcipua regna quatuor, quæ non vt Perſicum imperium à frugalitate inchoarunt, & paulatim in delicias corrupta ſunt, ſed ipſa ſua initia vino-

Digitized by Google

vinolenta habuerunt, Pardum ſcribit Oppianus vini auidiſſimum eſſe, Alexandro nemo intemperantior, duas choas haurire ſolitus erat, in conuiuiis cruentus, compotationibus non minus quam prœliis famoſus, cum ſtatuta ſunt præmia plurimum potantibus, non pauci periere, ipſe multos per furorem bacchatus, & fideliſſimos occidit. Violentia Pardi tantæ feritatis eſt, vt ſi prædam vno alterove aſſultu non aſſequatur, in magiſtros & venatores vertat rabiem, itaq; ad manum agnos aut hœdos habent, quos obiiciant furentibus. Quis non plane videt prædonis Aſiatici temulentiam, certamina potantium, cruentas menſas, amicorum ſanguine vomituque pariter natantes deſignari? Monebat eum Androcydes, cum vinum biberet, meminiſſet ſe terræ ſanguinem bibere; verum ille & ſanguinem terræ bibebat, & hominum ſanguinem fundebat, terræ ſanguine ebrius, eam humano ſanguine viciſſim inebriabat, vt cum Hephæſtionis manibus Cuſſeorum innoxiæ gentis internecione parentaret, quaſi crudelitate felicem facturus amicum. Quas alias parenti inferias aut Libycus Leo, aut Hircana tigris mitteret? Breui ipſe periit, ſed quo erat conueniens potu, regnum lacerandum compotoribus reliquit aulicis ſuis, qui vt in aula pardi vino, ita bellis cruentis quaſi ſanguinolentis venationibus certabant. atq; hoc olim & nunc quoque obſeruatum regna nulla ſobria interiſſe, in ſummis calamitatibus, procerum conuiuia intemperatiora, cœnas temulentiores. Inter regna Pardi poſt regum marcidus ſaginas vltimo in prouinciam redactum eſt Ægyptium, non quia defendi non poſſet, ſed quia Antonius ebrioſus & vomens mancipatus fœminæ, totus in luxum ſoluebatur, cum Cleopatra ſua epulabatur, & delicias ſuas vitam vocabant conuiuentium, deinde deſperatis rebus agebant vitam commorientium, auctis conuiuiorum apparatibus, luxuq;: ſic conſilia, ſic rei gerendæ tempora peribant. Perpende regna in quibus calamitates, non mi-

Alexander temulentus ſæuiit.

Pereunte regno ſummus luxus.

calamitates non minuunt principum, procerumq; luxum,& breui peritura,aut transferenda crede. Vaſtus enim in cœlum oritur clamor diſpare ſono, ſubditorum, fame, ſiti, labore morientium, & aularum de illorum ſanguine ebriarum, & per laſciuiam iubilantium. Illa rerum facies in Romano imperio erat imperante Gallieno, capto Valeriano, cum beſtia illa omnibus prouinciis per tyrannos & barbaros exhauſtis, patre ſeruitutem ſeruiente, tandem excoriato, vni ſaginæ intenta omnia negligeret, ſola luxuriantis aulæ licentia magnitudinem ſuam oſtentans: ideoque tanquam porcus in ſagina mactatus eſt. Sic etiam [h] Fliolmus rex Gothorum militum ſuorum compotor in dolium præcipitatus periit, qui tamen & ipſi ob parricidium perierunt. Merito ſane à Deo permiſſum, vt qui ſe mutuo ad ebrietatis inſaniam cogunt, etiam ad exitia impellant. Vna etiam ex cauſis eſt, cur tot Germaniæ comitia in caſſum abierint, ebrietas conſulentium: non infunditur illis gratiæ cœleſtis adiutorium, qui rationem ſopiunt, vt ne terrenis quidem conſiliis intendere valeant. Sibaritarum olim ingluuies probro erat, quibus prouerbio obiiciebatur: ex illas Sminditides annos viginti, nec orientem ſolem, nec occidentem videtat, alius cum Spartanorum Phiditia, ſalubrem, frugalemque victus rationem ſpectaſſet, mori ſe malle, quam ſic viuere proteſtatus eſt. Apicius adhuc diues vitam abrupit, ſine luxu arbitratus viuere ſe non poſſe. Hominis ſenſum, non modo regendi intelligentiam tollit ingluuies: & deſperatione pulſat abiectos. Conarus Scotorum rex ob ſumptus regno pulſus eſt, [i] Pericles, Callias, Nicias cum luxuriem pecunia deficeret, in conuiuio cicutam ſibi propinarunt, vt vitio ſuo immorerentur, ſtupore prorſus profano: nam præſtare putabant non eſſe, quam ſobrium eſſe. Hæc eſt vinolentiæ inſania, in quam Cleomenem incidiſſe Ælianus tradit, vt plane fureret. quod de Parthis quoq; fœda & bar-

h Ioan. magnus l.7.c.17.

Stultitia intemperantia.

i Ælian. l.4.

Digitized by Google

barbara gente dicitur, potabant ad inſaniam, & mirabantur eos legati Scytharum, quo plus biberent, plus ſitire. Verum non modo potentes Scriptura potores damnat, ſed eos quoque qui temperantiæ legem modice quidem, quotidie tamen excedunt. Quis ferat Ciceronis filium duos congios, Torquatum tres haurientem? Potoribus ipſis odio fuit, Diotimus Athenienſis, qui infundibulo appoſito potabat, ex quo χῦν hominem vocabant. Quis non deteſtetur Pardum Arctorum Culemum Scotorum principem prçmia victori in commeſſatione largientem: aut Henricum Goritiæ comitem filiis dormientibus ne non ſui ſimiles haberet, vina ingerentem? Quis non merito interfectos fatetur, Nicoclem Cyprium, & Strationem Sidonium luxu certantes Beluinum certamen bene finiit enſis. Tartaris quidem ignoſcimus, tanquam extreme barbaris, qui cum adeſt copia tantum vorant, potantque, vt triduum ſolidum conſopiti iaceant, nam & Alexandrum biduum dormiſſe auctor eſt [*k*] Athenæus. [*l*] Sybaritæ eo dedecoris venerunt, vt matulas in conuiuium intulerint, vt idem recenſet Athenæus, ſed primos id feciſſe, imitati ſunt alij, vitia facile inueniunt ſectatores.

k l.10.c.11.
l c.2.c.6.

Tales nemo, cui ratio vtcunq; conſtat, non abominatur, verum Christiano ita viuendum eſt, vt delicias etiam mundas, leues exceſſus, affluentiam euitet, aliquid potius ſubtrahat neceſſitati, quam indulgeat voluptati, ad cibum tánquam medicinam accedat. Cæterum omnibus dicitur, [*m*] *Sobrii eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.*

m 1. Pet. 5.8.

***

CAP.

Digitized by Google

Cap. LVIII.

Caſtitas aulica, nobilium, diuitum.

¶ I.

SObrietati coniungo caſtitatem, quæ voluptatis eſt libidinoſæ temperantia: Sunt enim iſtæ affines conſanguineæq; virtutes. Sobrietas mater eſt, cuſtosq; caſtitatis, intemperantia ciborum ſcaturigo libidinum, ebrietas ardor cupidinum, æſtus Aſmodæi. Vere iudicauit [a] Ambroſius, Ebrios ex hominibus effici equos adhinnientes. Et monet Apoſtolus. [b] *Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria.* *Sobrietas & caſtitas iuncta.* a *De Elia &c.* b *Ephes.* 5.18.

Daniel, etſi de ſtirpe Juda, & familia Dauid, cœlibem vitam egit, nulla de vxore, aut liberis eius memoria: Hebræi in illum iniurioſi ſunt, cum eunuchum vocant. [c] Auguſtinus, Epiphanius, Hieronymus, alij de cœlibatu eius teſtes ſunt. Sane defenſione caſtitatis puer inclaruit, cum caſtiſſimam matronam Suſannam iniuſte damnatam eripuit, & calumniatoribus talionem retulit. [e] *Sic fatui*, clamat, *filii Iſrael, non iudicantes, neque quod verum eſt cognoſcentes, condemnaſtis filiam Iſrael.* *Danielis caſtitas.* c *In Pſal.* 115. d *l.1. contra Iouinian.* e 13.48.

Et ſenes increpat. [f] *Inueterate dierum malorum nunc venerunt peccata tua, quæ operabaris prius.* f *V.*52.

Et [g] *Semen Chanaan, & non Iuda, ſpecies decepit te & concupiſcentia ſubuertit cor tuum.* g *V.*57.

Minatur aſtare angelum, qui medium ſcindat. Exēplum igitur caſtitatis Daniel, & vindex, & hoc in aula Babylonis, meretricis impudētiſſimę, in lupanari Chaldæorū, in quo totus ſcortat⁹ eſt mundus in quo pari cū diis loco erant meretrices, nam ſacerdotes eorum teſte Baruch. [h] *Dant ex ipſo proſtitutis, & meretrices ornant: & iterum cum receperint illud à meretricibus, ornant Deos ſuos.* *Babylon meretrix.* h *c.*6.10.

Tota ciuitas, adeoque ſuburbia erant proſtibula.

fœdam conſetudinem non tacuit Spiritus ſanctus. *Mulieres*, inquit, Baruch, *circumdatæ funibus in viis ſedent, ſuccedentes oſſa oliuarum.* cum autem aliqua ex ipſis attracta ab aliquo *tranſeunte dormierit cum illo, proximæ ſuæ exprobrat, quod ea non ſit digna habita, ſicut ipſa, neque funis eius diruptus ſit.*

Dan. 1.3. In hac fornace non arſit Daniel, adoleſcens decorus forma, in quo nulla eſſet macula, in quo pulchri-
C.5.29. tudo litem pudicitiæ non mouit. Triſtes quoq; exitus libidinum in Balthaſſare docuit, cum ex vaſis ſacris regis vxores biberent, & concubinæ. Hoc quoq; ma-
k c.9.12. lum pereuntis Solymæ fuit, de quo in oratione teſtatur, [k] *Et ſtatuit ſermones ſuos, quos locutus eſt ſuper nos, & ſuper principes noſtros, qui iudicauerunt nos, vt ſuperinduceret in nos magnum malum: quale nunquam fuit ſub omni cœlo, ſecundum quod factum eſt in Ieruſalem.*

Mali tanti cauſæ multæ, ſed præcipua fornicatio, illa enim & aliarum cauſarum cauſa. Principium lo-
l c.1.3. quendi Domino in Oſe. Et quid loquitur. [l] *Fornicans*
m c.4.10. & 18. *fornicabitur terra.* Et [m] *fornicati ſunt, & non ceſſauerunt.*
n c.7.4. Et [n] *omnes adulterantes tanquam clibanus ſuccenſus à coquente.* Hinc malum, quale non eſt viſum ſub ſole, vt ait
o c.8.14. Daniel, & [o] Oſeas, *Et mittam ignem in ciuitates eius* (Judæ) *& deuorabit ædes illius.* Quæ omnia pluribus Ezechiel Danielis æqualis expoſuit. Idcirco enim populus deſerto Domino ad idola vertebatur, quia caſtū Dominus cultum, impudicitiam dæmones exigebant.

Beluarum Danielis libidines. Reges Danielis pleriq; impuri, inceſtiq, morte cruenta periere. [p] Xerxes & domus illa orta ob libidines
p c.11.2. furore mutua laniena graſſata eſt. Vrſi Perſici, & Ægyptij Pardi, matrum & ſororum nuptias vſurpabant. De Ptolemæis, Philopatre, Eupatore, & demū Cleopatra plena eſt hiſtoria, regnum enim Ægypti poſt Macedoniæ, Aſiæ, & Syriæ interitum in adultera & meretrice defecit. Antichriſto Daniel inter ingentia flagitia, et-
p c.11.37. iam fœminarum amores obiecit. [p] *Et erit in concupiſcentiis fœminarum, nec quemquam Deorum curabit: quia*

ad-

aduerſum vniuerſa conſurget. Figura & anteambulo [q] Antichriſti Antiochus Epiphanes palam, ſpectante populo ſcortis miſcebatur: Eius pater Antiochus magnus à Romanis victus eſt, dum ſub ſericis tabernaculis delectus virginum habet. Itaq; Pardus in Syria atq; Ægypto primum libidinibus fractus, in prædam deinde ceſſit beluæ fortiori, Romano imperio. q *Hier. in Danielem.*

¶ 2.

[r] *Sicut ignis probat ferrum, ſicut vinum corda arguit in ebrietate potatum*, ſic aulæ deliciæ, ornatus, ocium licentia probat animum caſtum, qualis fuit Danielis, qualem Nicetam ſuum ſcripſit P. Jeremias Drexelius ingenioſa elegantia & pietate. Vixit ſupra centum annos caſte integreque Daniel in palatio meretricis magnæ, quæ ſua proſtitutione orbem polluit, in monte nebuloſo, monte peſtifero, & à contagio incontaminatam mentem ſeruauit, quod non minus mirum videri debet, quam ſocios eius principes Babylonis in fornace æſtuantiſſima nec ardorem ignis ſenſiſſe, nec odorem quidem flammæ piceæ, reſinoſæ, napthææ extuliſſe: Eſt enim ardor libidinis vt flammæ, qua licet mentis puræ integritas non aduratur, fuligines tamen imaginationum inuita patitur, & ictu quodam appetentiæ reluctata percellitur. At in Daniele victoria abſoluta, parum erat, non vinci, perfecte vicit. De libidinibus Babylonis multa Jeremias. Danielis tempore omnis pudor interierat, vxores & filias hoſpitibus proſtituere, (quod etiam Heliopoli in vſu fuit) beneuolentiæ & vrbanitatis eſſe cenſebatur. r *Eccli. 21.*

Medi & Perſæ laſciuiam frenarunt, principes adultosq; gladio occiderunt, paruulos ad petras alliſerunt. Continentiores tamen fuerunt rudes nequitiarum, laboribus attriti manus: vxores ad conuiuia licentiora non admittebant, vt [s] Herodotus [t] Juſtinus [u] Plutarchus. [x] Macrobius [y] & Briſſonius docent. At quantulum erat, deteriorem partem Reip. eſſe caſtam, ſi viri per omnia fanda, & infanda voluerentur? ſi *Babylonis pœna.* s *l. 5.* t *l. 41.* u *l. 7. Sym.* x *l. 7. c. 1. Saturn.* y *De Rep. Perſica.*

Digitized by Google

Perſæ initio caſti. omnibus locis inſidiæ, verba obſcæna, ſi tabellæ turpes & aſpectum ſauciarent, & amicos redderent impudicos? ſi pocula & menſæ inſtrumenta cælatas libidines oculis ingererent? Itaq; in corruptrice republica, animo adulteræ, non erant pudicæ corpore, niſi inuitæ. *21.3.c.3.* [z] vt Nazianzenus. Caſtitas enim bonum eſt volũtariũ atq; ex virtute: vt Clemens Alexandrin⁹. *Voluntaria caſtitas.* Qua cauſa nec Athletarum, nec ſacrificulorum in precio caſtitas erat, vitiis, & dęmonibus, non Deo ſacrata. Quéadmodum minoris meriti ſenectutis caſtitas, quæ etſi non eſt naturę luxuriantis impotentia, qualis in Tiberio, habet tamen facilem ſine graui labore victoriam, nec enim illis vincere glorioſum eſt, ſed vinci turpiſſimum. Ætas enim ſenilis eam paſſionem pene exſtirpat, qua cum certat iuuentus. Victoria amoris non eſt perfecta, niſi ex alio amore: amore Dei vincitur amor mulierum. Magno amore Conſtantiam Conſtantini magni filiam deperibat Gallicanus, in matrimonium regiam virginem petiit, genus, & res geſtæ dignum faciebant, duo obſtabant, quod & ipſe à religione alienus viueret, & Conſtantia virginitatem Chriſto, meliori ſponſo vouiſſet.

Gallicani caſtitas. Promiſſum tamen, voti fore compotem, ſi Scythas qui tum occupatis Thraciis imperio formidabiles imminebãt, viciſſet: Infauſta fuere belli initia, Philippoli in Thracia ab hoſte obſeſſus, Tribunis ac militib⁹ diffugientibus, fruſtra ipſe quoq; exitum quæſiuit, tantis *Caſtitatis vis.* in anguſtiis à Joanne & Paulo Conſtantiæ miniſtris admonitus, victoré fore, ſi voueret ſe Chriſtianum fore, vix preces ac vota nuncuparat cũ adeſt procera ſtatura, regioq; vultu iuuenis, humero crucem geſtãs, & vt accinctus enſe ſe ſequeretur adhortãs, parenti magna armatorũ multitudo ad imperia ſe promptã exhibet, atq; ita terribilis ad regẽ barbarorũ vſq; penetrauit, qui humi proſtratus, vt cæde abſtineret orauit, imperata ſe facturũ, Thracias relicturum, tributa penſitaturum promiſit. Atq; hæc obtenta Virginis precibus, quæ timidis

Digitized by Google

midis terga vertentibus forti & crudeli hoſti reſtiterunt. Gallicanus victor & baptizatus, audito ſponſam ſuam Chriſto obſtrictam, nec eam ſollicitauit, nec promiſſam cauſatus, ipſe quoq; cœlibatum Deo vouit, non iam barbaricæ victoriæ cupidine, ſed regni cœleſtis religioſo ambitu: ſimul delicias, & earum altrices diuitias abdicauit, quinque ſeruorum millia manu miſit, libertis, fundos, domosq; dedit, vitam ſanctiſſimã, caſtiſſimamq; Oſtiæ egit, peregrinis ac pauperibus ſummus Romani imperij dux miniſtrauit, dæmones expulit. Deus omnino caſtitatem viri venerabilem eſſe etiam gentibus voluit. Nam Juliano per tyrannidem imperante, exactores, qui villulas illius infeſtabant, à dæmone correpti ſunt, qui in acta eius inquirebant, lepra deformabantur, tandem in Ægyptum ſeceſſit, vbi ob fidem gladio percuſſus ad cœleſte Capitolium triumphum duxit. [a] Ado hiſtoriam recenſet. a 25. *Iunii.*

§ 3.

Seueris legibus Deus olim in lege veteri libidines coërcuit. Et quidẽ morte. Vetat eſſe meretrices & ſcortatores. [b] *Non erit meretrix de filiabus Iſrael, nec ſcortator de filiis Iſrael.* *Libido legibus coercita.* b *Deut.* 22.14. & *ſeq.*

Grauiore lege ſancita eſt Chriſtianorum caſtitas. [c] *Audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt antiquis non mœchaberis, ego autem dico vobis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* c *Matth.* 5.27.

Diuinus Apoſtolus etiam nominari vetuit, in verbis enim amatoriis mortiferũ ſtabulat venenũ. [d] Fornicatio autem, & omnis immunditia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos. d *Eph.* 5.3.

Romanę quoq; leges vigorẽ ſuũ in libidines ſtrinxerunt, Paulus Juriſcõſ. l. 5. opere perfecto capite plectendos, tentato, in Inſulam deportandos cẽſuit, ſed de his multa lex Julia de adulteriis, & in eam Juriſperiti. Ecclesia etiam graui cenſura flagitia impura perſtringit, præſertim clericorum, ſcortatores enim non modo tẽplis arcet, verum eorum ſacrificiis intereſſe prohibet,

Digitized by Google

Caſtitas Chriſtianorum.

qua de re editus eſt inſignis liber ab Alphonſo Toſtato, dignus quem omnes habeant præſules, & ex eius præſcripto ſacerdotes regant. Secuti ſunt pleriq; orientales leges Judæorum, Arabes, Ægypti, Tenedii, Romani quoq; & Græci, Piſidæ equis inſidentes ad conmeliam circumducebant, tanta vexatione, vt viuere non liberet.

Caſtitas gentium.

Hoc omnino huic vitio ſingulare eſt, vt ſubito leto puniatur, vt rara ſit pœnitentia vera libidinis, adeo vt Hieronymus teſtetur facilius hic inueniri innocentes, quam vere pœnitentes.

Rara pœnitentia fornicationis.

Hinc abrupta ſententia damnantur, hinc eluuia Noëtica, Sodomæ incēdia, Sichimitarum, Beniamitarum excidia: Iſraëlitarum ad Beelphegor mortes, Samſonis, Dauidis, Ammonis ſupplicia, vel in hac vita tantum, vel in vtraque grauiſſima.

Germanis non ſine admiratione caſtitatem tribuit Tacitus, ignota illic adulteria, ſeras iuuenū voluptates, ſeruarunt id diu Saxones, adulterā ſuſpendio necabāt, deinde in rogum cum corruptore coniiciebant. Cur vero raro reſipiſcant, cauſa eſt, quod effectus ille beſtialis, & proprie pudēdus, vt [e] Ariſtoteles docet maxime mentem deiicit, & quaſi in cloaca detinet, & memoria malefactorum irritetur, quia eſt quaſi clibanus ardens, animus impudicus. [f] Deinde quia noxia vitæ eſt Venus, vt, Hieronymus, & [g] Cyprianus demōſtrant. Cum igitur vitam ipſi abrumpant, & raro ſit ſpes reſipiſcendi, filum Deus ipſe præcidit, ne cumulatiores ſuppliciorum theſauros ſibi theſaurizent, in diem iræ & iuſti iudicij Dei.

e l.c.6.Eth

f l.2.contra Iouin.

g *De bono pudicitiæ.*

¶ 4.

Libido regna perdit,

Ad principes tamen, iudices, & eorum adminiſtros præcipue pertinet, vt cautio, inhibitio, ita negligentiæ pœna, Quod non corrigunt, probare cenſentur. Veriſſime hoc intellexit [h] Saluianus, *Cum enim muliebrē habitum viri ſumerent, & magis quam mulieres gradū frangerēt; cum indicia ſibi quadam monſtruoſæ impuritatis innecterent, & femineis tegminum illigamentis capita velarent, atq;* hoc

h l.7.De gubern. Dei.

Digitized by Google

hoc publice in ciuitate Romana, vrbe illic ſumma & celeberrima: quid aliud, quam Imperii Romani dedecus erat, vt in medio reip. ſinu execrādiſsimum nefas liceret admitti? poteſtas quippe magna & potentiſsima, quæ inhibere ſcelus maximum poteſt, quaſi probat debere fieri, ſi ſciens patitur perpetrari.

In Daniele oſtendi interitus regnorum ex libidine. Fata aliorum paria fuerunt, ſic Spartani, ſic Athenienſes periere. Miſerrime periit Zeno Imperator, inuerecundus, vt inſtar Antiochi publice libidines expleret: non illo melior Baſiliſcus impudicitiam fame, & nuditate moriens luit. Heraclius VII. inceſtu infamis obiit, omnes illi cum imperij conuulſione: Zonara teſte. Philippicus adulter famoſus, Copronymus, Nicephorus pares, ſed horribiles exitus habuerunt. Conſule Paulum Diaconum. Supergreſſus omnes eſt impudentia Michaël Balbus, ſcortationem crimen negabat eſſe. inter iſtas aularum delicias, immanemque luxuriem regnum omnium auaritiæ, & bellis mœrebat obnoxium. Donec Monomacho in luſtris noctes, dieſque agente, (aula eius ſplendidiſſimum lupanar erat) Turcæ Orientem occuparunt, & porro propius Europam venerunt, regibus Chriſtianorum ſcortantibus. Andronicus, vt eſt auctor Choniates, homo mollis, inceſtus, ferino incinctu, quaſi Bacchus ſyluas, & loca deſerta, cum meretricibus pererrabat, in ſaltibus ille ſcortabatur, hoſtili igne campi, vrbes cædibus vaſtabantur. Sub rege impuro nulla erat ſalus, aut requies ſubiectis. Iſacius deinde, Alexius Comnenus regni in anguſtias redacti, exhauſtique reliquias ſcortis largiebantur, ſimiles Andronicus Junior, (vt Gregoras memorat) Murziflus, Cantacuzenus, libidinum portenta, dedecora nominis Chriſtiani. Quorum turpes, miſerabiles cum prouinciarum interitu exitus deſcribere nihil attinet, quibus & tota Græciæ nobilitas exſtincta eſt. Vitiza omne genus libidinum & admiſit facto, & lege permiſit, & breui Gothi interierunt, vt [i] Jorn. Sceleratam legem veterum ſuſtulit Theo-

Libidine regna pereunt.

i *l.16.c.21.*

doſius. Cautum erat, vt fœminæ in ſcortationem lapſæ, ſcortari porro cogerentur, ita ſcelere ſcelera puniebantur, nec mores tamen emendabantur. Theodoſius finem peccatis, non initium quærebat. [k] Vide Socratem. Illi victoriam contulit cura caſtitatis, è contrario Cabades Rex Perſarum de ſolio in carcerem detractus eſt, quod lege lata vxores communes eſſe ſanxiſſet. Hiſpania nobiliſſima prouincia Roderici regis ſui libidines luit, annos octingentos à Mauris inſeſſa: nam Julianus dolore filiæ à rege conſtupratæ vindicta exitioſa iniuriam vltus eſt, Maurosque aduocauit, & ipſe in prælio obiit, & patriæ ſeruitutem reliquit.

k l. 5. c. 18.

§ 5.

Impudicitia ſtupor.

Impudicitiæ proprium malum eſt intelligentiæ caligo, quemadmodum aurum luto merſum nitorem amittit, ita amor animi cœnum eſt, eiusque lucem obtuit, amor rationis eſt obliuio, pectus ſeruum vitiis facit, hinc amor cœcus, credulus, brutus eſt, & ſibi ipſi multa mentitur. Hinc facile labitur, offenſæ neſcius: Inſignis ſtultitia M. Antonij & L. Flacci tribunorum plebis notata eſt, quod leges ſumptuarias abrogari poſtularent, ne ciues cogerentur eſſe frugi, licere ſibi volebant ire ſe perditum. Illa eſt omnium cœcitas, quos amores vinciunt, perire volunt, obſiſtentibus furenter iraſcuntur, riualitas eos in ferrum agit. Stultitiam Salomon, & cœcitatem deſcribit. [l] *Statim eam ſequitur quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciuiens, & ignorans, quod ad vincula ſtultus trahatur, donec transfigat ſagitta iecur eius: velut ſi auis feſtinet ad laqueum, & neſcit, quod de periculo animæ illius agitur.* Cœci ſunt, amant vile ſcortum, aliquando dæmonem, vt ille, qui poſt ſcelus in equi putente corpore, quique in alio cadauere ſe inuenit, de quo Delrio, Nicetas Drexelianus.

l Prou. 7. 22. 23.

Alterum eſt, quod horrorem cogitationum ſanctarum

rum iniicit, ad omnes admonitiones obſurdeſcit. Cauſam habet Nazianzenus. Nam mens errabunda circumfert typos operarum, & occupata magno affectu, non admittit ſanas meditationes. Paulus Apoſtolus vocat inceſſabile delictum, quod etiam cum non eſt occaſio operis, prauis tamen delectationibus ſine intermiſſione peccetur, quod hoc in flagitio ſingulare eſt. nam crimen etiam nolentes delectat, dat mora vires, & malo ſuo gaudet. Hinc ab oratione prorſus alieni ſunt libidinoſi, in templis aut oculos circumferunt, aut fabulis indulgent. *Non cedit admonitionibus.* *Alieni ab oratione.*

Tertium eſt amor ſui tantus, vt omnis caritatis obliuiſcantur, ſic inueterati Suſannam amant, & oderunt. Sic Ægyptia coniux, ſic Phædra. Clytemneſtra filias ad necem poſcit, Eurydice occidit, Fabia maritum. *Ingens amor ſui.*

Sæuus amor docuit natorum ſanguine matres
Commaculare manus.

Eodem inſaniæ fonte naſcitur inconſiderata rerum arcanarum patefactio, incontinens pudoris, prodigus eſt ſecreti. Et vxor, & ſcortum Samſoni ſecreta extorſit, illa ad damnum rei, hæc ad exitium vitæ. Demum mortis, & æternitatis timor inutilis, & deſperatione plenus, qualem in Antiocho regum luxurioſiſſimo deſcribit liber Maccabæorum. Fredericus Ciliæ comes acta in voluptatibus vita, cum nonagenarium deliciæ fugerent, & fractum corpus non niſi dolores caperet, ſepulchro ſuo fatum inſcribi iuſſit. *Hæc mihi via eſt ad inferos.* non auſus eſt ſperare veniam, quam nonaginta annos contempſit. Plura eius generis legi poſſunt apud [*m*] Philippum Doultreman. *Deſperatio libidinoſorum.*

m Pæd. Pars 1. c. 7.

CAP.

Cap. LIX.

Ratio ſeruandæ in aula, ac potentia opibusq́; caſtitatis.

§ I.

MAgnum præſidium ſobrietas, & perpetua conſideratio, quæ ex intemperantia naſcuntur malorum. Verum inter tam multa, quæ ſunt toto mundo remedia nullum præſentius eſt, præter Dei gratiam, quam ſecum expendere: nullo ex alio peccato plures condemnari: Eſt enim eius ſemper præſens occaſio, cogitationis materia, & prauæ voluntati ipſa in carne non deeſt anſa peccandi. Emendatu difficilimum eſſe docet experientia, monet & [a] Toletus. Fæcem omnium vitiorum Cantipratanus appellat: ipſe & Joannes Benedictinus aſſuetos illi vitio per annos triginta tres, non niſi ſingulari, & rara gratia reuocari poſſe. quod tamen non tam annorum numero, quam frequentia delinquentiæ, affectu, aliisque circumſtantiis æſtimandum arbitror, quo enim violentior eſt conſuetudo, & natura corruptior, eo maiore opus eſt gratia, vt liberetur, atque redintegretur. Chriſtina terribili viſione totum mundum illo crimine obnoxium ſpectauit, Deumq;, iram, & ſupplicia minantem, quibus auertendis multas ipſa preces fudit, & corporis cruciatus ſubiit: vt eſt in eius vita.

a *l.5.c.13.*

Chriſtina.

Deinde vero ad caſtitatem ſeruandam magnum momentum adfert, eam ſuadere, omniaque eo referre, vt eius in aliorum animis excitetur amor. Hoc fecit S. Henricus Imperator, fecerunt alij, & inter alios Julianus vir nobilis, qui Baſiliſſæ Sponſæ perſuaſit, vt in matrimonio ſeruata caſtitate Deo ſeruirent: probauit inſtitutum Deus in cubili geniali angeli cœleſtes odores ſparſerunt, nuptiale carmen virginitati cecinerunt, Baſi-

Henricus. *Baſiliſſa.* *Julianus.*

Digitized by Google

Baſiliſſa non fudit quidem ſanguinem, dux tamen & doctrix martyrum vocatur. Julianus princeps martyrum, receptor, & altor ad ſe confugientium Chriſtianorum, nobili certamine coronatus eſt, vt [b] Beda, Ado, Vſuardus Metaphraſtes Surius. b *9. Ianuar.*

Hoc in Theodoræ laudatur liberatione, quam in lupanar ductam Didymus commutatis veſtibus liberauit, cui pro aliena caſtitate vitam ponenti Martyrium Deus rependit, [c] Menologium, & in primis S. Ambroſius. *Theodora.* c *28. apr.*

Inprimis autem contra voluptates iſtas opus eſt propoſito firmo, voluntate obfirmata, vt mori potius per omnia triſtia malit, quam vel mente flagitium admittere. Hoc ex adiutorio gratiæ datur, precibus obtinetur, & robur accipit, vt efficiat, quod cogitauit. Si enim Deus Leones, Dracones, ignes miſit, qui virgines ſuas à laſciuia impiorum liberarent, ſi in ſcortatores dæmoni poteſtatem conceſſit, cur non adſit, quorum eſt ſeria non peccandi voluntas? Conſideranda, quæ de Daria, aliiſque tabulis Eccleſiaſticis conſignata, quotidie ad imitationem leguntur. In Potamiœna ille animus erat, quæ Domini ſui libidines per flammas fugiebat, hoc vnum precata, vt lento igne moreretur. [d] Juliana Romanæ nobilitatis, Euilaſij nuptias fugiens, per rogos, ſuccenſasque ollas & gladios virginitatis votum ſeruauit, Baſiliſſa quoque regio genere & nomine ad eadem præmia peruenit. Dympna fuga euaſit patrem meditantem inceſtos thalamos, & deinde vitam pro virginitate impendit. Vidua Antiochena cum duabus filiabus in flumen ſe præcipitauit, ne pudicitiæ triſtiore naufragio mergerentur. Aliæ multæ mortem præoptarunt, quam violari corpus paterentur, quas Ambroſius, & Auguſtinus defendunt. Felicula ſane in eculeo, immori tormentis ſuis maluit, quam Flacci principis toro contaminari. De Agnete, Agatha, & coniuge Diocletiani, nemo ignorat. Non auguſtæ, aut ſplendidæ nuptię illas allicere potuerunt, non

Propoſito ſeri opus non peccandi. *Daria.* *Potamiœna.* d *16. Ian. Metaph. Lippom.* *Iuliana.* *Dympna.* *Vidua Antiochena.*

Digitized by Google

non deterrere à propoſito tormenta. Qui in animo ſtatuit non peccare, facile crimen euitat, quod ſola voluntate committitur, illa fuit Joſephi, illa Suſannæ voluntas. Joſephus blanditiis longo tempore moleſtis adeo peccandi periculo caruit, vt adulteræ reſponderit. [e] *Quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Cur non poterat ſeruus rogante domina, & in flore iuuentutis? Non poterat, propoſito caſtitatis inuicto. Laſciui dicunt ſe non poſſe abſtinere, nimirum languida, & ſemiſaucia voluntate vellent, ſed nolunt caſte agere. Non poſſunt, quia nolunt, qualis Antiochus, & Henricus Quartus, & [f] nequiſſimus mortalium Licinius, qui negabat in hominibus eſſe poſſe caſtimoniam, quam impuritatem putreſcentibus, & verminantibus virilibus ſummo cruciatu emoriens ita luit, vt in omnem æternitatem non expiet.

e Geneſ. 39.9. *Ioſephus.* *Antiochus.* *Henricus IV.* *Licinius.* *f Euſeb. l.5.c.45.*

§ 2.

In Deo caſtus eſt, quisquis caſtus eſt.

Propoſitum animi firmum requiritur, ſed firmum in Deo, non in homine. Qui ſtat, in Deo ſtat, qui in ſe ſtat, iam cecidit. omnes illi, & illæ quicquid potuerunt, in Deo potuerunt, & non in ſe. Ideo multi cadunt, quia ſua induſtria, cautione, ingenio ſe ſtare arbitrantur. Donum Dei eſt caſtitas. Ea cauſa ſine intermiſſione orandum, & vigilandum eſt, ne intremus in tentationem. Sic fecit rex magnus, nondum perditus illecebris: [g] *Et ſciui quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum: adii Dominum, & deprecatus ſum illum, & dixi ex totis præcordiis meis.*

g Sap.8.21.

Orandũ pro caſtitate.

Non patitur orationem libido. Theodoricus cum lupanar, quo tranſibat, in propinquo eſſet, Pſalmos recitare à Spiritu S. non permittebatur. orationes incenſa ſunt, quæ ad Dei thronum ab angelis deferuntur, libidines mephitis inferorum, quæ aromatum ſuauitati miſceri non poſſunt.

[h] Ca-

Digitized by Google

[h] Catharina Senenſis hominem impurum allocuta tantam ſenſit ex illo barathro graueolentiam, vt non niſi obturatis naribus abſoluere colloquium valeret. Mortalibus enim caſtis intolerabilis ille fœtor eſt. Euthymius forte obuius cuidam, qui impuras animo cogitationes verſabat, tam tætrum ſenſit odorem, vt ſe à Dæmone obſideri exiſtimaret, [i] vt refert Cyrillus. Huc pertinet meditatio de vita ſanctorum, qui in illa palæſtra fortius pugnarunt, atque inuocatio, clientium imitationi ſtudioq; præcipue fauent patroni, maxime mater virgo, virgo virginum. Sic S. Brigida in Scotia non modo caſtitatem, ſed famam etiam caſtitatis retinuit illæſam, cum tactu lignum altaris reuireſcere fecit: & incontaminatum pudicitiæ florem in pectore germinantem aſſularum virore probauit. [k] Chryſanthum pater ob religionem carcere coërcuit, ſed cum aduerſis animum adoleſcentis inuictum cerneret, domi inter puellas laſciuientes educari iuſſit, vt illecebris molliret, quem frangere vi non poterat: verum oratione, & Dei auxilio, omnia ſuperauit, donec ad martyrum gloriam aſſumptus eſt.

h Raimūdus in vita.

i In vita Euth.

Brigida. Oratio.

Chryſanthus.

k 25. Oct.

Orantibus enim viciſſim DEVS reſpondet, & præmia caſtitatis exhibet. Amatori enim viro nobili cum ſponſæ virginitatem perſuaſiſſet, binæ coronæ, merces pudicitiæ oſtenſæ, quas vterq; paulo poſt aſſecutus eſt. Nec ſine oratione, nec abſq; diuino reſponſo. Pelagia ſe ex alto præcipitauit, quam laudat Chryſoſtomus, quin & aliæ ſpontaneam mortem elegerunt. Quid autem Pelagia fugiebat? cur ſe in bouem æreum iniecit? vt fugeret nuptias Diocletiani imperatoris, & quod orauit, obtinuit, flammis abſumpta.

Amator.

Pelagia.

§ 3.

Jeiunia, vigiliæ, cilicia, niues ſpinæ, cæteraque auſteritas huc pertinet, omnium vſu ac conſuetudine. omnium hoc piorum exempla, & dicta comprobant, & ideo difficilior in aula caſtitas, quia in affluentia ciborum,

Corporis afflictatio.

borum, & mollitie veſtium plura retia tenduntur. S. *Bernardinus.* Bernardinus petulantem fœminam de flagitio appellantem, nudam flagello excepit, tanto verberum cruciatu, vt multo ſe fletu reciperet, vnde pedem impudicum attulerat. Sed fruſtra iſta adhibentur, niſi occaſiones vitentur, ſenſus cuſtodiantur, oculi duces amorum contineantur, ne animam deſpolient. Sunt oculi ſæpe pleni adulterij, ſunt paranymphi, & lenones, libidinum prorigæ, paciſcendum cum illis fœdus, [l] ne cogites de virgine, quod facile conficietur, ſi formas illices animo non renuncient. Multoque magis vitandi tactus & oſcula flagitiorum præludia. Raro etiam de fœminis bonis, & bene loquendum. Non magis regium, quam Chriſtianum præceptum magnus Sforcia filio reliquit: Nunquam impudice aſpicere fœminam. Quod ille mandabat, iam ante Balduinus Solymorum Rex ſeruarat. Nunquam ille fœminam intuitus eſt, oculos pudicæ virginis inſtar humi figebat: nec aliter attollebat, quam humanitas neceſſaria poſtulabat. Ea conſuetudo Hugonis etiam fuit, adeo, vt procax mulier, vultu, & proteruia meretricia coram ipſo verba faciens animaduerſa non fuerit. Paulus in Eccleſia tectas orare mulieres iubet. Et Baſilius Chriſtianorum filias non deſponſas in publicum prodire negat. Sane Jacobus Epiſcopus Niſibenus, cum tranſiens fontem, vbi proteruæ puellæ nec caput obnubebant, nec veſtes altius ſuccinctas dimittebant, inuerecundiam deteſtatus, exareſcere fontem, ipſas caneſcere iuſſit, vtramque tamen pœnam precibus exoratus ſuſtulit. Fuit veteris Eccleſiæ ille pudor, ſacerdotibus viri caput nudabant, fœminæ obtegebant: ſi opere occupatæ veſtem ſuccinxiſſent, in conſpectu ſacerdotis dimittebant, vt tales domi, quales in Eccleſia apparerent. Admirabilior priſcorum Ælamitarum verecundia, apud quos nudum conſpici capitale fuiſſe tradit [m] Alexander ab Alexandro. Hinc Spartani, Maſſilienſes, Romani, Florentini, mimos & hiſtriones

Margin notes: l Iob 8. — *Sforcia.* — *Aſpectus cauendi.* — *Balduinus.* — *Paulus.* — *Baſilius.* — *Iacobus Niſibenus.* — *Occaſio fugienda.* — m l. 1. c. 25.

nes

neseiecerunt, vt recenſet, [*n*] Plutarchus, [*o*] Cœlius, [*p*] Boëthius, [*q*] Sabell. Plane nuptiæ, tripudia, comœdiæ, niſi omnia ſint caſtiſſima, fugienda ſunt. Multa de his Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Arnobius, Lactantius, & per iſta hodie quoq; inualeſcit Aſmodæus. Quæ ſi omnia vitari non poſſunt, hoc Chryſoſt. teneatur. *Chriſtianus ſaluis oculis fœminam videt, aduerſus libidinem cœcus eſt.* Adiungo his occupationem ſeriam præſertim ſtudiorum, quæ auctoritate vitæ efficacior eſt. [*r*] Quare Daniel quoque viſionibus illuſtratus, & æger faciebat opera regis. Maxime vero frequens Euchariſtiæ, & confeſſionis vſurpatio animum roborat, ſi tamen digne ſumantur ſacramenta, alioqui ſignum eſt ſacrilegij, corporis Chriſti participatio, & in aſſueto crimine perſeuerantia.

n In ... con ol.1 pl. ql.6.c.

r c.8. v. vlt.

¶ 4.

Omnium deniq; præceptum eſt, *Principiis obſta.* nimirum ad alias cogitationes mentem auertendo. Quæ præcipue duæ ſunt, de Chriſto crucifixæ, & pœnis inferorum: vt non euanida meditatione illa recenſens tibi ſed efficace voluntate: vt cum primum animum pulſauerit ſpecies intemperantiæ, derepente ſub cruce te conſtituas, & ante pendentis Saluatoris pedes cogitata deponas. Nam ſi Deus hac ipſa hora de vulneribus ſuis penderet, & te peccaturum ipſe derelictus adeo rogaret, ne filium Dei conculcares, ne ſanguinem teſtamenti pollutum duceres, in quo ſanctificatus eſt? ne ſpiritui gratiæ contumeliam faceres, qua fronte in eius, omniumq; angelorum aſpectu facinus committeres? nec refert, quod te nondum viuo pro te iſta paſſus eſt, maior debetur gratia, quod nondum natum redemit: certe illo tempore te, omniaque acta vel ſibi iterum crucifixuri in mente habuit. Quomodo igitur peccare in eius conſpectu potes?

Initiis obſtandum.

Alterum eſt, vt referas ad cruciatus inferorum animum, & breuiſſimæ illecebræ opponas omne genus

Inferorum cogitatio.

Dd tor-

Digitized by Google

tormentoum, quod in natura poteſt eſſe atrociſſimum, ab eo non ſeparat nos niſi exigua corporis mora, paulum carnis, in qua mille naſcuntur cauſæ moriendi. Et forte iam mors: forte tanta, quanta nunc adeſt gratia non dabitur. Sane iam morituro non lubet libidinari

s *Vit. pp. l. 3. c. 107.* [s] Magno animo iuuenis quē ſcortum ad ſcelus prouocauit, digitos ordine aduſſit, vt probaret, an ignem æternum ferre poſſet, ille generoſo facto libidinem non modo ſuperauit, ſed exuſſit, meretrix eadem nocte exſtincta eſt: quam victor ille precibus ad vitam ſanctius tranſigendam reuocauit. Hæc ſi ſerio animo recondamus, facile ex mente blanditiæ cedent, ſeriæq; cogitationes ſubibunt.

Cap. LX.

Honeſtas & verecundia verborum in aula, turpiloquium fugiendum.

¶ 1.

Vetitū turpiloquium. *a Eph. c. 5. 3. 4.* *b c. 3. 8.*

PRæceptum Apoſtoli tenemus. [a] *Fornicatio autē & omnis immunditia aut auaritia, nec nominetur in vobis ſicut decet ſanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet, ſed magis gratiarum actio.* quin & grauiſſimis criminibus annumerat ſermonem turpem, quando Colloſſenſes ad caſtitatem hortatur. [b] *nunc autem deponite & vos omnia: iram, indignationē, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro.* Si enim verbum otioſum, ſi cogitatio otioſa ad Dei tribunal, conſcribentibus angelis, & Dæmonibus accuſantibus die dicta ad cognitoris ſententiam examinabitur, quid de obſcænis verbis ſtatuendum ſit facile ille iudicabit, qui geminum ſcurrilitatis obſcænæ detrimētum agnouerit, dicentis & audientis. Nam qui iſta loquitur, ex abundantia cordis profert de theſauro ſuo fœda, putida, obſcæna, contagioſa, ſepulchrum patens eſt guttur

tur eius, vnde cadaueris corrupti mephitis exhalat, nõ enim cor mundum eſt, non pura cogitatio, vnde tanta ſpurcities ſcaturit; quod dicitur iam cogitatum fuit, antequam diceretur, vt autẽ & alteri noceat; profertur ad alienas aures, vt & ille cogitet, ꝙ letale eſt: & contagio pereat vicino, qui ſanus viuebat. Daniel puer excitatus à Spiritu S. turpiſſimi criminis conſtitutus quæſitor, & adulterij vindex verecundia plane virginali verborum vtitur. [c] *Nunc ergo ſi vidiſti eam, dic ſub qua arbore videris eos colloquentes ſibi.* Atq; eadem ratione alterum aggreditur, [d] *nunc ergo dic mihi, ſub qua arbore comprehẽderis eos loquentes ſibi.* Obſcæne ſenes dixerãt plane Oſce; ab his enim dictã obſcænitatẽ docet Priſcianus. Verba fœda in neceſſitate non tacenda, vel horrenda monet Auguſtinus. Quę tamẽ honeſte dici & intelligi poſſunt non ſunt turpibus exprimẽda. Antiochi erat, Antichriſti futura eſt illa turpitudo verborum. quia fuit & rerũ, Daniel inuerecundiam illius inter ingentia crimina nõ tacuit. [e] *Et poſt regnum eorum, cum creuerint iniquitates, cõſurget rex impudens facie, & intelligens propoſitiones.* Virus impurum, & vis ſeptica omnia putrefaciens in viſceribus reſidet, vnde tam peſtilens aura exſpirat, qualis ex aſpidum, baſiliſcorum, & bufonum ſanie venenat incautos, & late loca proxima inficit.

c c.13.5.14.

d V.5.8.

Venenum eſt verbum turpe.

e c.8.23.

§ 2.

Diluuium illud eſt, quo mundus obruitur, quo flagitia diſcuntur, quo timidi animantur, vt patrent audacter, quæ publico plauſu dicuntur. *Væ mundo à ſcandalis*; at hic petra ſcandali, hic colloquia praua corrumpentia bonos mores, comœdiæ laſciuæ, tragœdiæ vetera ſcelera renouantes; Hic iuuenum, hic virorum proſtituta lingua, & nũquam in verborũ obſcænitate integer animus, neq; enim in polluta mens cenſeri debet, quæ alienas aures, animoq; contaminet. Virus non effunderet; niſi de pleno vaſe. Verba pudica teſtes innocentiæ, turpia ꝓdiga famæ. Quod in vultu eſt purpura cœlorũ pulcherrimus hoc eſt in verbis honeſtas,

Scandalum.

Digitized by Google

Tabulæ pictorum vrbes nobis, prata, ſyluas, faciem
hominis effigiant, lingua mentem depingit, ſermo ſpe-
culum eſt animi, vox mentis eſt filia, nunquam pudicæ
impudica. Bonæ ſpei locus eſt, quamdiu pudor eſt, cum
ſermo turpis ora polluit, fugit pudor: non enim ille lo-
qui ſinit impudica. Verecundia autem tutiorem facit
caſtitatem, impudentia venalem exponit. Quid hic
ſuadeam? Impudicis quidem, vt deſinant eſſe lenones
dæmonum, aliis perire nolentibus, vt vitent conſortia
turpia proloquentium, etiam magnatum, etiam Prin-
f l.1.of.20 cipum, etiam parentum, ſuadet illud [*f*] Ambroſius.
Etiam ſacerdotū, quos canones turpibus verbis vten-
tes, aut ioculatores, officio dimouent. Sæculares
autem turpiloquos iniuriarum damnant leges ciuiles.
Fugienda igitur conſortia illa: nam Daniel & collegæ
illius in Babylonico lupanari praua colloquia, & ſpur-
Ludouicus Gonzaga. cidica vitauerunt. Imitatus eſt Danielem in aula Chri-
ſtiana, Ludouicus Gonzaga ſanctæ adoleſcentiæ ex-
emplar. Palatū ineſcatur condimentis, anima turpibus
g l.4. Ethi.c.7. iocis, quos etiam [*g*] Philoſophus Dei ignarus, vrbe
eiiciendos cenſet. Quiſq; in palatio ea ſit fama virtu-
tis, vt nemo eum dignū iudicet, quo præſente turpe di-
ctū proferat, cuius aures funeſtet. Nā qui aliis obſcæni-
tates ingerit, eos impudicos eſſe pronunciat, non enim
fœda proferret niſi placendi ſtudio, & cœnum ſuum
nemo aperit, niſi porcis, luto amicis. Calanus Indus
dogmata ſua non niſi à mundis audiri voluit, illis ſolis
& placitura, & fructuoſa, improbis ingrata: Quos ſpur-
cities ſermonis delectat, immundi ſunt, quos offendit
Bernardinus. caſti. Bernardinus obſcænos ſermones adeo abomina-
batur, vt & pudore ſuffunderetur, & illo præſente ne-
mo niſi caſtis auribus digna loqueretur. Si forte inde-
cora loquentibus improuiſus adueniret, continuo ſi-
lentium, & tacitus ſuſurrus: *Tacete, Bernardinus adeſt.*
Tanta erat veneratio pudicitiæ, vt ad eius aſpectum et-
Hiero. iam impudentiam ſui puderet. Hiero Syracuſanus, o-
mnium hiſtoriis & litteris laudatus, Epicharmo poëtæ,
& ami-

& amico grauem mulctam dixit, quod audiente vxore aliquid turpe dixiſſet. Sertorius ne in conuiuio quidē quæ infidelibus licentiora fuerant, quicquam dictu inhoneſtum ferre potuit, Archylas cum neceſſitas exigeret, vt abſurdi aliquid proferret, parieti inſcripſit, ne linguā contaminaret. Joannes Picus Mirandulanus comes, ingenio, memoria, ſcriptisq; celeberrimus, libros amorum, quos carmine Hetruſco conſcripſit, ignibus aboleuit. Maior ingenio fuit caſtitas, monumenta ſua perire, quam per illa animas corrumpi maluit, cœnum eſſe iudicauit, quod euntes in vrbem collutularet, ſcopulos, qui naues portum petentes frangerent. Vere iudicauit, etſi ipſe de turpiloquio pœnitentiam ageret, non tamen ad felicitatem ſibi aditum fore, niſi offenſis è medio ſublatis. Fugiendi igitur ſpurcidici, ne à nobis Chriſtum fugemus, adeſt ille, ſi abeſſe ab iſtis ſtudebimus? Edmundus adhuc puer cum ſodalium inhoneſta colloquia vitabundus per campos inambularet ſolus, Chriſtum ſocium habuit, qui ſeſe illi blandum atq; affabilem exhibuit, & ne dubitaret in fronte titulum ſcriptum oſtendit, JESVS Nazarenus rex Judæorum. Quantum crimen ſit in prauis colloquiis Dominus oſtendit, qui fugam eorum ſua præſētia honorauit. Quod ſi vitari non poſſint illa ſodalitia quid agendum ſit [h] Clemens Alexandrinus oſtendit. Turpiloquio enim os obſtruendum eſt, aſpectu, ſi ætas aut dignitas ferat, ſeueriore, ſermone honeſto, auerſione vultus, aſperiore monitione, quanquam & iuuenum interdum admonitu inueterati dierum malorum ſenes dantur in ruborem. Qui vero arriſu, aut vultu ſibi placere innuunt, perinde faciunt, atque illi, qui camerinam, putredinemque fœtentis animæ commouēt ventilantq;, vt tætro odore cœtum vniuerſum corripiat. Nam hirci illi corde vpupæo, roſtro ſuillo, cū cognatos ſues excipere ſe animaduertunt, multa colloquia miſcent, animantur audientium affectu. Scurræ, mimi, comœdi ſpurci, Atellanarum actores, inteſta-

Picus Mirandulanus.

Edmundus.

h *Pæd.* 2. c. 6.

Non audienda turpia.

Spurcidici quales. ſtabilium poëmatum ſcriptores, turpium ſermonum in aula ſatores, aliud non ſunt, quam cimices de carie & putredine inueteratarum libidinum enati.

§ 3.

Peccatum mortale turpiloquium. Colloquia impura non ſunt, vt multi arbitrantur, delicta leuia, & veniabilia, ſed letifera, mors animæ. Nam cogitatio iam anteceſſit, & placuit, qui enim illam deteſtatur, ad aliorum notitiam non defert. Cum affectu igitur profertur, alteri cogitatio obſcœna tanquam ſerpens in ſinu, tanquam dæmon in mentem iniicitur, quæ ne illi allubeſcat ne ad conſenſum vſq; perducat, periculum eſt. Ideoq; mortale crimen: Etſi enim virus antidoto, qui accipit, ſanus euicit, venenarius eſt tamen ſcelere ſuo functus: & quamuis ſcelus perdidit, pœnam tamen non effugiet. Quod in verbis damnatur, in geſtibus quoq; & riſu, de quo ſupra dixi, flagitioſum eſt. Dignum ſua ſanctitate, dignũ vigore Epiſcopali factum. [i] Antonini fuit, qui mulieres, quarum veſtitus illecebroſus, aut geſtus laſciuior, tẽplo arcebat, ſerio grauiora minatus, niſi mores corrigerent. Sane Ariſtot. Plutarchus, adeo Euripides Spartanorũ mores carpunt, negant vllã ibi fœminã caſtã eſſe poſſe. Verum de pœnis Venereæ linguæ dicere cœperam. [k] Walericus Abbas hyberno cœlo de via ad parochum diuertit, dum cum Sacerdote & Prætore ad focum conſidet, & ſcurrilibus iocis, fœdisq; certantes fruſtra admonet, pertæſus nequitiarum vir ſanctus excuſſo puluere pedum domo egreditur, & vigilans in vltionem turpitudinis diuina iuſtitia, parochum perpetua cœcitate, Prætorem horribili virilium lue percuſſit, qua intra breue tempus tetro odore magno dolore contabuit, nec quamuis abbatem ſæpe veniam, Deumq; precati à malis liberati ſunt: perſeuerante ad mortem in aliorum exemptum pœna. Triſtior etiam exitus ioculatoris, ac paraſiti fuit, qui facetiis victum quærebat, de quo memorat [l] Gregorius ? eum audiſſe Bonifacium Epiſcopum Ferentinum, & præuiſo iam fato lætantis, mortuum dixiſſe: mox in exeun-

i *Sur. t. 6.* *Antoninus.*

k *Sur. t. 2.* *Walericus Abbas.*

l *Dial. c. 9.*

exeuntem ædibus de ſublimi ſaxum cecidit, atque ob- *Ioculator.*
triuit, vt altera die inter cruciabiles gemitus animam efflaret. Ille ſalibus impudicis nõ petulantia laſciuiendi, ſed miſerabili neceſſitate corrogandæ ſtipis, turpi ſermone abutebatur, quia tamen hoc ipſum moribus corrumpendis ſeruiebat, ſontem pœna ſecuta eſt; quæ docuit & ipſos mimos, & eorum auditores graui culpæ patronos grauiſſimæ obnoxios eſſe. Tenenda igitur Chriſtianorum verborum verecundia, atq; honeſtas, Deo cariſſima, pudicitiæ inſigne, caſtitatis ornamentum, & propugnaculum, quæ & ipſa magnam habet à Deo remunerationem. Baſilides Satelles ad ſup- *Baſilides lictor.*
plicium ducebat Potamiænam domini ſui libidines recuſantem; turba laſciua, turpibus, petulantibusque dictis, quæ virgini & martyri grauiora ipſis tormentis accidebant, per viam inceſſebat; eos Baſilides reprehendit, & ſubmouit, indignum ratus pudicas aures meretriciis verbis onerari, & præmium recepit, rem geſtam ita recenſet [m] Martyrologium Romanum, *m 30. Iun.*
Alexandrinum atque etiam [n] Euſebius, & [o] Nice- *n l.6.c.4.*
phorus. *Alexandriæ paſſio S. Baſilidis ſub Seuero Imperatore: o l.5.c.7.*
qui cum S. Potamiænam Virginem, quam ad ſupplicium ducebat, ab impudicorum hominum petulantia tutatus eſſet, religioſi officii mercedem ab ea recepit: nam ipſa poſt triduum illi apparens, & eius capiti coronam imponens, non ſolum eum conuertit ad Chriſtum, ſed etiam breui agone certantem, ſuis precibus martyrem glorioſum effecit.

Cap. LXI.

Danielis modeſtia, eiusq; de ſuperbia magnatum & ambitione ſententia.

§ I.

POſſunt eſſe magnates aulicique valde humiles ac *Aulæ ſuperbia.*
modeſti, poſſunt & pauperes ſumere elati cornua, nõ tamen eſt par vtrorumq; in crimine eodẽ conditio. In alto ſtantes, non altum alta mente ſapere ipſis vir-

tutibus admirabilius eſt. Vitium aulæ inſitum natura corroboratum vſu eſt ſuperbia. Ex aulicis moribus nomen illi indidere maiores, cum Hoff-Art / quaſi indolemq; geniumque aulæ vocarunt. Eſt enim excellentiæ, quæ contra rationem eſt, inordinatus affectus, vt S. Thomas [a] exponit, hic ſi vſpiam, in aula eſt ardentiſſimus, & rara modeſtia, quæ nihil ſibi præter rationem tribui, nihil ſibi extra Dei prouidentiam ac voluntatem poſtulat, laudari metuit, ſperni amat. Hæc Danielis virtutes muniuit atque ornauit. Inter initia virtus illa ſeſe exeruit. Seruitutis conditionem agnouit regius puer, nec nomen probroſum fugit, alius eſſe noluit, quam eum diuina ordinatio fecit. Abſtinentiam ſuam humili obedientia Deo caram effecit. [b] *Tenta inquit, nos obſecro ſeruos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad veſcendum, & aqua ad bibendum.*

a 2.2.q. 161.

Daniel humilis.

b c.1.12.

Ad nomen ſeruitutis etiam captiui ignobiles ingemiſcunt. Daniel in ſorte infima conditoris ſui prouidentiam agnoſcit, & veneratur. [c] Arrogantes in contemptu ſui vim ſuperbiæ ſentiunt, magno enim mœrore deiiciuntur, Daniel vltro ſeruum ſe nominat, & contemptum contemnit. Collegę Danielis ex captiuis facti principes Babylonis cum honore non mutarunt animum. Quam contra tyrannum fortes, tam erga Deum humiles. [d] *Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum, & laudabile & glorioſum nomen tuum in ſecula, quia iuſtus es in omnibus, quæ feciſtis nobis, & vniuerſa opera tua vera, & viæ tuæ rectæ, & omnia tua iudicia vera.* Quam ſeſe agnoſcant in periculo? [e] *Et nunc non poſſumus aperire os: confuſio & opprobrium facti ſumus ſeruis tuis & his qui colunt te.*

c Naz. orat. 2.

Socij Danielis humiles.

d c.3.24. 25.26.27.

e V.33.

Omnia ſibi deeſſe plorant, principem, ducem, Prophetam ſacrificia, oblationes, holocauſta, primitias, vt poſſint inuenire miſericordiam, ſed omnium loco ſubſtituunt humilitatē. [f] *Sed in animo cōtrito, & ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur.* Deinde vno conſenſu ad laudandū Deum conſurgunt, vt illi omnia, ſibi nihil tribuant. Daniel

f V.39.

Digitized by Google

niel etiam demiſſior oratio, [g] proſternere ſe preces dicit pro monte ſancto Dei ſui. Prorſus orationi neceſſaria eſt profunda ſubmiſſio, vt cœlos penetret, oratio mendicãtis eſt, ſuperbus mendicus irritat animos, liberalitatem nõ prolicit. [h] Sed & in cilicio & cinere iam centenarius Daniel, & orat. [i] *Tibi Domine iuſtitia: nobis autem confuſio faciei, ſicut eſt hodie viro Iuda & habitatoribus Ieruſalem & omni Iſrael,* his qui prope ſunt, & his qui procul, *in vniuerſis terris ad quas eieciſti eos, propter iniquitatẽ eorum, in quibus peccauerunt in te.* [k] Eadẽ demiſſione cum angelis cõuerſatur. memor angelos immẽſa ſua gloria nũquam extolli. Nec maioribus calamitatibus vnquam vermiculos illos quos homines dicimus, conterunt dæmones, quam cum eos inflant, eorumq; mentes ab oratione abducant. Pauperi enim, qui laborare non poteſt, præ faſtu mendicare renuit, aut arrogante poſtulatione largitatem diuitum claudit, nihil ſupereſt, niſi mors ex fame. Multi orant, ſolos humiles Deus reſpicit. [l] *Ad quem autem reſpiciam niſi ad pauperculum.* Eum audit, qui dicere poteſt, [m] *Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei.* [n] *Reſpexit enim in orationem humilium, & non ſpreuit preces eorum. Humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit.* Populum enim humilem facit ſaluum, cuius altam patriam, humilem fecit viam. Superbo reſiſtit, etiam oranti. Sine humilitate virtutes ſunt ſparſus in ventum puluis. Quæ idcirco aulicis animo intimo recondenda ſunt, de loci enim præſtantia etiam aliquando in templo, inter ſacra contendunt, & ſuperbia irata à Deo veniam non petunt, ſed vindictam contra proximum meditantur, nonnunquam malunt non adire Eccleſiam, quam cedere, quaſi de altiore loco facilius audiendi. Ecce Daniel affligit animam ſuam. [o] *Et poſui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare & deprecari in ieiuniis, ſacco & cinere.*

g c.9.18.
Oratio humilis.
h c.9.3.
i c.9.7.8.
k c.10.16. & 17.
l *Iſa.66.2.*
m *Pſal. 130.1.*
o c.9.3.

§ 2.

Porro hiſtoria à Daniele perſcripta eo tota perti-

net, vt oſtendat, numen ſuperbis reſiſtere, inimicum eſſe elatis, ruinam ſemper comitem eſſe animorum

p c.2. ſeſe exaltantium. [p] Vidit Daniel auream ſtatuam cum argento ſuo, ære, ferro, luto, in puluerem redactam, vidit & eam, quæ ex ſolido auro fuerat, à piis contemptam. Sed præcipuum ſuperbiæ exemplum Nabuchodonoſor, qui DEO nil poteſtatis in regno ſuo eſſe credebat. arrogantiam ſuam edicto rex con-

Nabuchodonoſor ſuperbus.

q c.4.14. feſſus eſt. [q] *In ſententia vigilum decretum eſt & ſermo ſanctorum & petitio: donec cognoſcant viuentes, quoniam Dominus excelſus in regno hominum, & cuicunq; voluerit, dabit illud, & humillimum hominem conſtituet ſuper eum.*

Cauſa tot mutationum, vt ſciant, Deum regnare,

r 21.22. non ambitionem. [r] *Hæc eſt interpretatio ſententiæ Altiſſimi, quæ peruenit ſuper Dominum meum regem: Eiicient te ab hominibus, & cum beſtiis feriſq; erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes, & rore cœli infunderis: ſeptem quoq; tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias, quod dominetur excelſus ſuper regnum hominum, & cuicunque voluerit, det illud.* Eue-

s 25.26. niſſe narrat ipſe Nabuchodonoſor. [s] *Omnia hæc ve-*

27.29.30. *nerunt ſuper Nabuchodonoſor regem: poſt finem menſium duodecim, in aula Babylonis deambulabat. Reſponditq; rex, & ait: non hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei. Et ab hominibus eiicient te, & cum beſtiis & feris erit habitatio tua: fœnum quaſi bos comedes, & ſeptem tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias, quod dominetur excelſus in regno hominum & cuicunque voluerit, det illud. Eadem hora ſermo cōpletus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ex omnibus abiectus eſt, & fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum eſt: donec capilli eius in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & vngues eius quaſi auium.* Data eſt regi ſuperbo locus pœnitentiæ,

t v.31. & ſeq. nam crimen agnouit, ad regnum rediit. [t] *Igitur poſt finem dierum, ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cœlum leuaui, & ſenſus meus redditus eſt mihi: Et altiſſimo benedixi & viuentem in ſempiternum laudaui, & glorificaui; quia poteſtas eius poteſtas ſempiterna, & regnum eius in generationem*

& ge-

Digitized by Google

& generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati ſunt: iuxta voluntatem enim ſuam facit tam in virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ: & non eſt, qui reſiſtat manui eius; & dicat ei, quare feciſti: In ipſo tempore ſenſus meus reuerſus eſt ad me, & ad honorem regni mei decoremque perueni: & figura mea reuerſa eſt ad me: & optimates mei, & magiſtratus mei requaſierunt me, & in regno meo reſtitutus ſum: & magnificentia amplior addita eſt mihi. Nunc igitur ego Nabuchodonoſor laudo, & magnifico, & glorifico regem cœli: quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in ſuperbia poteſt humiliare.

Aurea plane ſententia concludit: *Gradientes in ſuperbia poteſt humiliare*, non modo poteſt, verum reipſa ſemper humiliat, vel retinendo ne aſcendant, vel cum aſcenderint, deiiciendo. Et quidem viuentes ſæpe iſta vident, at nulla eſt in hoc mundo humiliatio, comparata cum vtilitate damnatorum. Nam vt exaltationis humilitas, ita humiliationis via eſt ſuperbia. Nihil fulget in cœlo ſplendidius perfecta humilitate, nihil apud inferos turpius ſuperbia, quæ in contumelioſiſſimo cruciatu durat, & pœnas adauget. Tanto Deo quisque vilior eſt, quanto ſibi precioſior, cœlum occupari videmus ab humilibus, ſuperbiam ruere quotidie, nec tamen animos Deo ſubiicimus.

Superbia vilium, & damnandorum.

§ 3.

Patri datum eſt ſpacium pœnitentiæ, filio Baltaſſari negatum; non enim patris exemplo monitisq; ſubiici Deo voluit. Cincta erat Babylon à crudeliſſimis hoſtibus, tam periculoſe vt eadem nocte caperetur, ille Dei contemptu, & arrogantia conuiuia & comeſſationes agitat, inter omnia illi Daniel ſuperbiam præcipue exprobrat. [u] *O rex Deus altiſſimus, regnum & magnificentiam, gloriam, & honorem dedit Nabuchodonoſor patri tuo. Et propter magnificentiam, quam dederat ei, vniuerſi*

Baltaſſaris ſuperbia.

u c. 5. 18. 19. 20. 21.

populi

populi, tribus & lingua, tremebant & metuebant eum: quos volebat interficiebat: & quos volebat percutiebat: & quos volebat exaltabat: & quos volebat humiliabat. Quando autem eleuatum eſt cor eius, & ſpiritus illius obfirmatus eſt ad ſuperbiam, depoſitus eſt de ſolio regni ſui, & gloria eius ablata eſt: à filiis hominum eiectus eſt, ſed & cor eius cum beſtiis poſitum eſt, & cum onagris erat habitatio eius: fœnum quoque vt bos comedebat, & rore cœli corpus eius infectum eſt, donec cognoſceret, quod poteſtatē haberet Altiſſimus in regno hominum: & quemcunque voluerit, ſuſcitabit ſuper illud. Aliorum ſcelerum, conuiuij, idololatriæ, ſacrilegij vna ſuperbia cauſa
x *V.24.* fuit: [x] *Idcirco ab eo miſſus eſt articulus manus, qua ſcripſit hoc, quod exaratum eſt.*

Idem exitus procerum, qui Dario Danielem detulerunt, inuidia in rabiem acti ſunt, illā ſuperbia accen-
y *c.6.* dit: nolebāt ferre ſuperiorē: [y] *Porro rex cogitabat conſtituere eum ſuper omne regnū: vnde principes & ſatrapæ quærebant occaſionem, vt inuenirent Danieli ex latere regis: nullamq́ue cauſam & ſuſpicionem reperire potuerunt, eo quod fidelis eſſet, & omnis culpa & ſuſpicio non inueniretur in eo.*

z *V.24.* Finis ſuperbiæ contritio. [z] nam *iubente rege adducti ſunt viri illi, qui accuſauerant Danielem: & in lacum leonum miſſi ſunt, ipſi & filii, & vxores eorum, & non peruenerunt vſq́ue ad pauimentum loci, donec arriperent eos leones, & omnia oſſa eorum comminuerunt.*

Superbi ſeruari nō poſſunt. Superbus aries Darius ab omnibus relictus, à famulis vulneratus, inter vitam & mortem humi iacuit proſtratus: [a] *Cumq́ue miſiſſet in terram conculcauit, & nemo*
a *c.8.7.* *quibat liberare arietem de manu eius*, nam mater, vxor, liberi captiui erant, Beſſus & cognati regem vinxerant: multis bellis actum erat vt Aries ſeruaretur, Oroſius curam illam deſcribit. *In tanta malorum multitudine difficilima dictis fides, tribus prœliis totidemq́ue annis, quinquies decies centena millia peditum equitumq́ue conſumpta ſunt.* Non iuuerunt tanta auxilia Deo ſuperbiſſimæ genti terminos ponente: & ambitioſa vota mortibus & ſeruitutibus caſtigante. Omnium quidem regum Perſicorum

magnus

Digitized by Google

magnus faſtus, ſummus Xerxi, nec minor Dario Codomanno, qui Monarchiæ ruinam ſecum traxit, poſtquam ſtetiſſet à Monarchia Cyri ducentos vndecim annos. Sed iſta Daniel negligit. De Alexandro pluribus agit: nam ingens eius fuit ſuperbia, miſera vita, exitusque, victis & victoribus miſerandus. [b] *Surget*, inquit, *rex fortis, & dominabitur poteſtate multa, & faciet, quod placuerit ei. Et cum ſteterit, conteretur regnum eius, & diuidetur in quatuor ventos cœli. Sed non in poſteros eius, neque ſecundum potentiam illius, qua dominatus eſt, lacerabitur enim regnum eius etiam in externos, exceptis his.* b c.11.3.4.

Fortis omnino rex, in quem omnia congeſta ſunt, arma Græciæ, Perſidos atque Aſiæ opes. Fortis, temerarius, audax, quæ vitia ſuperbia incitabantur; & credebatur inuictus. Juſtinus tantum ait militibus ſuis fiduciam feciſſe, vt illo præſente nullius hoſtis arma, nec inermes timerent, nunquam cum hoſte congreſſum, quem non vicerit, nullam vrbem obſediſſe, quam non expugnarit, nullam gentem adierit, quam non calcarit: ita Juſtinus Danielis illam ſententiam exponit, *conculcauit eum*. Nam reuera nulla conditione vnquam pacem fecit, niſi cum iacentibus, & calcatis. Dominatus eſt enim poteſtate multa, tota Græcia, Ægypto, Aſia, ad Indum, & Gangem vſque: nullo iure, ſola imperandi libidine, Dominum mundi appellari ſe voluit, plures mundos eſſe doluit, diuinitatis opinionem per cædes amicorum affectauit: oracula dæmonum corrupit. nemo plus illo habuit, nemo plura concupiuit, vt vni mundus vnus ſatis non eſſet: in illa ardentiſſima cupidine dominandi ſitim mundus exſtinguere non potuit, adiectis prouinciis, quaſi ſalſa maris aqua accendebatur. Cum Gangem tranſire exercitus recuſaret, ira, doloreq; ardens, quaſi victus rediit, biduo ſe abdit, annulos, calcaria, arma veris maiora ſpargit, à Macedonibus ad Perſas migrat. *Fecit quod placuit*, Nimirum omnibus vitiis turpiſſimus. A Deo ſe excitatum cognorat: nam ſpeciem eius Jaddo Judæo-

Superbia Alexandri.

Digitized by Google

c *Ioſeph. l.11.* dæorum pontifice adorauit, dixitque [c] arbitrari ſe quia Deo mittente, exercitum collegerit, Darij victorem fore, Perſarum potentiam diſſoluturum, & omnia, quæ in mente eſſent, proſpere itura. Hæc ſuperbia inflatum contriuit, *cum ſteterit*, inquit, Propheta, *conteretur*. Annos duodecim laboratum eſt, cum iam pene ad metam ventum eſt, cum laborum & vulnerum capiendus fructus, mors indicitur, redit Babylonem, quaſi Bacchus triumphans, potat venenum, præſentibus omnium gentium moritur legatis [c] Juſtinus exſtinctum in ipſo ætatis, & victoriarum flore Alexandrum narrat. Plutarchus de fortuna Alexandri libellum ſcripſit, quo probat eum miſerrimum fuiſſe, cura labore, periculis, vulneribus, flagitiis, ſuorum odio: Cruenta fuit illius ambitio, in Aſiam diſceſſurus fratres, & optimates qui obſtare in Macedonia poterant, occidit, Aridæum ſecum duxit, laceratum eſt regnum mortui, nec ad poſteros, ſed amicos ab illo euectos peruenit, qui eius vxorem, filios, matrem, fratrem, totam familiam trucidarunt. Olympias mater monſtri ipſa ſuperbiſſima à Caſſandro obeſſa, hoſtis patriæ iudicata, & occiſa. Aridæus particulam regni accepit ad hoc ſolum ne viueret. Roxane, & Barſine vxores, cum poſtumo vtraque filio Alexandri nulla culpa necantur, ſed ne lacerantibus regnum obſtarent. Diodorus, Juſtinus, Polybius, Plutarchus. Sic ambitio inſani iuuenis poſterorum ſanguine, & contumeliis eſt contrita.

Infelicitas Alexandri.

c *l.13.*

¶ 4.

Superbia cōmilitonum Alexandri.

Alexandri commilitones quos viuentis crudelitas non abſumſerat, mutua ambitio, & cupido regnandi perdidit. Omnia iura humanitatis violat regnandi dira cupido.

Gabriel breuiter, *Lacerabitur regnum etiam in externos exceptis his*. nimium quatuor regibus, Aridæo, Antigono, Seleuco, Ptolemæo, nam quo illi poſt bella multa

non

Digitized by Google

non obtinuerunt, in barbaros eſt translatum. Iuſtinus & Diodorus auctores ſunt, mille Bactrianorum vrbes audita morte Alexandri defeciſſe, earum exemplo totius orientis populos, Ponticas, Scythicasque gentes, occiſis præfectis iugum excuſſiſſe. Sic magna pars Alexandricæ aulæ periit. Cæterorum mutuæ cædes fuerunt, omnes intra annos ſedecim excepto Seleuco, & Ptolemæo ceciderunt. Caſſander, *p In Boeot.* vt [*d*] Pauſanias docet & [*e*] Diodorus, totam domum Alexandri excidit, Caſſandrum Demetrius occidit, & Alexandri domui parentauit. *e l.18.19.* Perdiccas Meleagrum, hunc Ptolemæus, & Cleomenē, Polyperchontē Alcetam. Deinde Philotas Phitonem, Antigonus Philotam, & Eumenem. Antigonus quoq; mox victus periit, vltimi ſociorum Lyſimachus, & Seleucus depugnarunt, vt [*f*] Oroſius. *f l.3.c.vlt.* Itaque breui ſpacio triginta quatuor duces cum tota nobilitate, & familia necati ſunt; præter innumerabilem multitudinem à barbaris trucidatam, ipſi argyraſpides miſeri, proditores, egeni peregrinis in montibus perierunt. Tantum ſuperbiæ malum tanto in aulis ſanguine deſæuit.

§ 5.

Nec horum progenies felicior. Seleucus Nicanor late regnauit, poſteri eius, qui ad Tigranem vſque, ſedecim regnarunt, ſuperbia ſe mutuo perdiderunt, Antiochus Cyziceni filius à Lucullo conſtitutus per ludibrium rex, à Pompeio de ſolio detractus eſt. Inter *Superbia* Seleucidas omniū arrogantiſſimus fuit Antiochus E- *Epiphanis.* piphanes. Veſaniam illius deſcribit [*g*] Maccabæorum liber ſecundus. *Super hoc autem ſuperbia repletus, ignem* *g c.9.7.8.* *ſpirans animo in Iudæos, & præcipiens accelerari negotium,* *9.10.11.* *contigit illum impetu euntem de curru cadere, & graui corporis* *12.13.* *colliſione membra vexari is qui ſibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, ſupra humanum modum ſuperbia repletus, & montium altitudines in ſtatera appendere, nunc humiliatus, ad terram in geſtatorio portabatur, manifeſtam Dei virtutem in ſe-*

in ſemetipſo conteſtans: ita vt de corpore impii vermes ſcaturirent, ac viuentis in doloribus carnes eius effluerēt, odore etiam illius & fœtore exercitus grauaretur, & qui paulo ante ſidera cœli contigere ſe arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare. Hinc igitur cœpit ex graui ſuperbia deductus ad agnitionem ſui venire, diuina admonitus plaga, per momenta ſingula doloribus ſuis augmenta capientibus. & cum nec ipſe iam fœtorem ſuum ferre poſſet, ita ait: iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire. Orabat autem hic ſceleſtus ad Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.

h *c.*8.25. Daniel paucis: [*h*] *Et contra principē principum conſurget: & ſine manu conteretur.* Ille anteambulo, & typus Antichriſti ſuperbiam illius figurauit. Nam etſi Antichriſtus filius perditionis nullum non ſcelus admiſſurus ſit, caput tamen criminum eius ſuperbia cenſetur, dæmonis lapſus originem habuit, ex illo vitio: *Ponam ſolium meum ad aquilonem, & ſimilis ero altißimo.* Initium quoq; noſtræ infelicitatis dederunt protoplaſti, dum ſimiles fieri diis concupiſcunt. Hæc eſt enim rebellio contra Deum: quam inter homines maximam Antichriſtus concitabit, Deum honore ſpoliare adortus, & ſi poſſet cœlo exturbare, atque interimere. Quid vero de illo Daniel? [*i*] Fuiſſe ait illi *os loquens ingentia.* Et quæ illa ſint exponit: [*k*] *Et ſermones contra excelſum loquetur, & ſanctos altißimi conteret: & putabit quod poßit mutare tempora, & leges, & tradentur in manum eius vſque ad tempus, & tempora & dimidium temporis.* Denique totam eius ſuperbiam cæterorum ſcelerum imperatricem deſcribit. [*l*] *Et faciet iuxta voluntatem ſuam rex, & eleuabitur, & magnificabitur aduerſus omnem Deum: & aduerſus Deum Deorum loquetur magnifica, & dirigetur: donec compleatur iracundia: perpetrata quippe eſt definitio. Et Deum patrum ſuorum non reputabit: & erit in concupiſcentiis fœminarum, nec quenquam Deorum curabit: quia aduerſum vniuerſa conſurget. Deus autem Maozim in loco ſuo venerabitur: & Deum, quem ignorauerunt patres eius, colet aure & argento, &*

Antichriſtus omnibus ſuperbior.

i *c.*7.8.

k *c.*7.25.

l *c.*11.36. 37.38.39.

to, & lapide pretioſo rebusq; pretioſis. Et faciet vt muniat Maozim cum Deo alieno, quem cognouit, multiplicabit gloriam, & dabit eis poteſtatem in multis, & terram diuidet gratuito.

Mundus cadere cœpit ſuperbia, ſuperbia interibit. Regna cum ad ſummum faſtum peruenerunt in ſe ruunt. Summis negatum ſtare diu, non quia ſummos Deus contemnit, cum ſummus ipſe ſit, ſed quia ſuperbis ruina debetur, non poteſt eſſe ſtabilis: omnes enim ex humili in altum conſurrexerunt, etiam regna, & reges, Chaldæi multis ſeculis Aſſyriis ſeruierunt, Medi Scythis, Perſæ Medis, Macedones fœdiſſimi gentium habiti ſunt, Romani de aſylo prodiere, ſola Dei magnitudo, & quæ ex ipſo eſt humilitas æterna eſt. Vera inquam, non vmbratilis.

Cap. LXII.

Magnis vera humilitas ſuadetur, & de vitanda ſuperbia.

§ I.

Magnatum plurimi genere, opibus, corporis, animique ornamentis illuſtres laborioſo ſeruitio aulam ſectantur, vt honores gloriamque conſequantur nec propoſitum diſſimulent, altæ & generoſæ mentis eſſe arbitrantur Thyrſo laudis pulſari, Romanum eſſe iactant amore laudis ardua facere, aſpera pati. *Error magnatum gloriam quærentiũ.*

Vincit amor patriæ, laudumq; immenſa cupido.

Philoſophorum iſta, non omnium ſunt tamen, prudentiores tam gloriæ, quam voluptatis adminiſtram virtutem eſſe negant. Chriſtiana virtus irritos labores pronunciat, quorum finis eſt gloria. [a] *Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam*, non modo aulici, ſed religioſi bonorum ſuorum in pauperes diſpenſatores, etiam *a Matth. c. 6. 2.*

 mai-

martyres, ſi ita vanitatis amore tument, vt vitam velint pro laude paciſci. Magna vitia Romani gloriæ cupiditate vicerunt, verum non virtute, ſed alio vitio: morbo morbum pellunt, laude molleſcunt pectora, vituperio franguntur, pari vtrinque periculo, qui laude & vituperatione mouetur, ſi recte faciet famæ cupidine, idem ſcelus patrabit, vbi mala laudantur, virtutem fugiet, vbi illa vituperabitur. Virtus enim, quæ laudibus ancillari didicit, etiam eodem præmio vitiis ſeruiet, & ad bene facta erubeſcet, qui vultu ſuperbo incedit. Plane quo maior quisq; eſt, eſt eo ſubmiſſior & fratribus ſuis benignior eſſe debet. Qui princeps eſt ſui oppidi, ſi ad vrbem ampliorem veniat, iam cedit potioribus, ſi ad aulam ducis iam inter ignobiles conſiſtit, ſi ad comitatum Imperatoris nullo loco habetur, ſeruus ſeruorum vocabitur. Omnis enim dignitas non re ipſa, ſed comparatione æſtimatur. At qui tot hominibus ſubeſſe non putat contumelioſum, quid faciet, cum ad Deum accedit? lutum ad conditorem, vermis ad omnipotentem? Abraham in colloquio Dei cinerē ſe & lutum vocat: Et Iſaias infelicem ſe vocat, quia pollutus ſit labiis, Daniel in lacum leonum, cum prandium illi Deus miſit, quam ſubmiſſe: [b] *recordatus es mei Deus, & non dereliquiſti diligentes te.*

Cupido laudis noxia.

b c.12.3.7

Chriſtianus ſecum expendat, quantus ſit comparatus viris ſanctis Apoſtolis, angelis, Deo atq; inferiorem ſe omnib. eſſe non dolebit, nec laborabit, vt ſe cognato cineri anteponat. Gloria enim noſtra non eſt in mundi theatro, ſed bonæ cōſcientiæ teſtimonio, laus eſt in cubilibus. Si quid boni Deus contulit, humilis cognoſcit auctorem: Alphonſus Deo gratias agebat, quod ſe hominem, regem, ſed maxime quod Chriſtianum feciſſet. Bona noſtra Dei dona ſunt, quæ nos ſæpe magni, alij minoris æſtimant. Sed quo maiora ſunt, eo rationes grauiores redduntur, omnia enim vtiliter expendenda ſunt. Imitantur ambitioſi Soſtratem Dexiphanem Gnidium, qui marmoribus, quæ Prolemæus

Omnia bona à Deo.

Alphonſus.

Soſtrates.

lemæus poſuit, nomen illius leui tectorio inſcribebat, ſuum vero ipſi ſaxo inſculpebat, vt paulatim decidente cœmento artificis, non auctoris nomen appareret. Ridicula & miſero pernicioſa vanitas, ſed tamen vſitata, ſi quid præclare geritur totum eſt, à Deo, ille vitam, vires, gratiam, auxilium concurſumque præſtat, nos inſtrumenta ſumus, & noſtrum nomen tamen ambitioſe geſtis inſcribimus, laudari nos æquum cenſemus, Dei vix tenuis mentio. Serra & ſecuris, & malleus contra fabrum gloriamur, lutum contra figulum, quod arrogantiſſime [c] Pharao fecit, cum diceret: *fluuius iſte meus eſt, & ego feci memetipſum.* Nemo credo hoc nunc dicit: At ita commendari volunt, quaſi ipſi ſint, quibus omnia debeantur. *c Ezech. 32.2.*

§ 2.

[d] Daniel alio ſpiritu, ſibi & populo, & regibus cōfuſionem, Deo gloriã tribuit. Hanc ob cauſam in republica domi militiæq; multa aduerſa experiuntur reges & duces, quia non Deo, ſed honori militant: & laudũ inanibus auris. Reſpexit modeſtiam ſerui ſui Deus in tanta ſublimitate, eumque ante beatitudinem familiariſſime cũ beatiſſimis ſpiritibus viuere voluit, tanquam amico venturi mundi fata detexit. Cum à Baltaſſare improbo rege, qui à maiorum ſuorum etiam vitiis pluſimum degeneraret, negligeretur, arcana ſua Deus, regnorum mutationes, adeoq; Baltaſſaris interitum, & finem Monarchiæ ſæuientis oſtendit. Idq; mox primo anno Baltaſſaris. Imperij ſecretis Danielem rex amouerat, & abditos regis ſenſus, ignotum conſiliis caſum Babylonis, mortem optimatum Deus aperuit. Juſtus ſed ab hominib. deſpectus princeps, angelorũ familiaritate honoratur. In magna hominis dignatione eſt, cuius pietatem terrena poteſtas preſſit. Infelix periuri, regis induſtria, cælare conſilia ſuſpecto conatur negotiis captiuum infidum arbitratur, cenſorem moribus ſuis grauem in Elymaidem remouet. Deus *d c.11.* *Contemptus à mũdo à Deo honoratur.*

illi, quam non ſit curanda illa aulæ maieſtas, nec dolendum ſi contemnantur ab illis, qui mox cadauera, terras, aurasq; infecturi iacebunt. Superba pondere ſuo ruunt, humilia firmantur. bene conſitæ arbores agitatæ ventis fortius figunt radices, verminoſæ eruuntur.

¶ 3.

Honore delectari non eſt ſapientis.

Nomen honor blandum eſt, ſed mala ſeruitus, æger exitus. Sapiens honore non gaudet, ſed honorantium commodis ſtudet, Deum imitatus, cui noſter honor nihil conferre poteſt, honorantibus tantum profuturus. Quid ægro prodeſt, ſi medicus laudet, non ſanet? Apud Chriſtianos prima militia eſt honeſtatis: gloria in contemptu eſt, nec optanda, niſi vbi vtilis eſt ad boni operis miniſterium, alioquin cauſa eſt exitij. Quis enim non ridet Tartarorum ſtoliditatem, qui in omnium rerum ignoratione ſordibusque, ſe ſolos homines arbitrantur, alios tanquam canes alloquio non dignantur. Stultitia eſt illa mentis inductio. Barbaris facile ignoſcimus, nam omne barbaricum ſuperbum eſt. Quid de Aſclepiade medico iactatatore iudicabimus, qui ſe annis ſeptuaginta ægrotaſſe negabat, & homine altiora agitabat, donec è ſcalis prolapſus animam inanem effudit, vt Plinius recenſet. Chryſippus quidem neminem ſe doctiorem philoſophum puerili iactantia aſſeuerabat. Durat in mortem arcana ſæuities. Bonifacius in vincula coniectus à Sarra Columna contumeliæ dolore in furorem actus vitam finiit. Vere Cato M. Octauio affirmabat in ipſa morte permanere dominandi cupidinem. quin & famæ ſitis. Hieronymus Olgiatus ex interfectorib. Sfortiæ ducis Mediolanenſis, cum animam ageret, omnium ſecurus, de gloria ſecum agitabat. *Collige*, inquit, *te Hieronyme, ſtabit vetus memoria facti: mors acerba, vita perpetua.* Viliſſimus animus, cui præmium magnum videbantur ſermones ſtultorum: â ſapiente laus non appetitur,

Digitized by Google

titur, ſed fugientem ſequitur, non delectat dum offertur. In vita laudari hominem Deus vetat, laudabilem eſſe iubet. Cordate Peſcennius Niger oratori in funebri oratione adulanti, *Lauda defunctũ, vt imitemur.* viuentes laudare irriſio eſt. Themiſtocles, cui nulla vox illa dulcior, quam qua ſua virtus laudaretur, ſapiens non erat. Illa dulciſſima eſt, qua Deus laudatur, virtus commendatur.

§ 4.

Quantuscunque te honorantium globus circumdat, quidquid in te titulorum principes ingerunt, ſi tumidum efficit vanitas, numini es inuiſus. [e] *arrogantiam, inquit, & ſuperbiam deteſtor.* Minatur [f] per Iſaiam ſe arrogantiam humiliaturum: *nam omnem arrogantiam humiliat.* Rationem dat Salomon [g] *Abominatio Domini eſt omnis arrogantia.* [h] magnates ſane comprehunduntur in ſuperbia ſua. [i] Hinc obſeruauit Salomon: *contritionem ſolere præcedere ſuperbiam.* [k] *Odibilis coram Deo eſt & hominibus ſuperbia,* [l] *ſic periit Babylon inclyta in ſuperbia Chaldæorum.* [m] *detracta eſt* ad inferos. [n] *Audiuimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde.* Judas etiam translatus & ſuperbia illius in putredinem ſoluta eſt. [o] ſicut lumbare prophetæ computruit, *ſic* inquit, *putreſcere faciam ſuperbiam Iuda, & ſuperbiam Ieruſalem multam.* Daniel quando Joacimum, & nobiles ablatos recenſet, oſtendit de ſuperbia Deum iudicaſſe: & eius æqualis, notusq; [p] Ezechiel *Et adducam peſſimos de gentibus, & poſſidebunt domos eorum: & quieſcere faciam ſuperbiam potentium, & poſſidebunt ſanctuaria eorum.* quin illud ipſum quod in tẽplo gloriabantur, Deus abominatus eſt. [q] *polluam ego, inquit ſanctuariũ meum, ſuperbiam Imperii veſtri.* cur autem [r] *deteſtor ego ſuperbiam Iacob.* Et deinde [s] *Iurauit Dominus in ſuperbiam Iacob.* Hinc illæ clades, apud Nahum: *reddidiſſe Deus ſuperbiam Iacob.* Sophonias exilia Moabitarum & Ammonitarum deſcribit, & cõparat Sodomæ & Gomorrhæ, & cõclu-

Superbos Deus odit.
e *Pro.*8.13.
f c.13.11.
g *Pro.*16.5.
h *Pſal.*58. 13.
i *Pro.*16.18
k *Eccle.* 10.7.
l *Iſa.*13 19.
m *Iſa.* c.14.11.
n *Iſa.c.* 16.6.
o *Iere.c.* 13.9.
p c.7.24.
q c.24.21.
r *Amos* c.6.8.
s *Idem* c.8.7.

Digitized by Google

t c.2.10. dit minas [t] *Hoc eis eueniet pro ſuperbia ſua.* Hoſtib. quo-
u *Ioel.* que populi Domini Deus minatur. [u] *Aſcendet fœtor e-*
c.2.10. *ius, & aſcendet putredo eius, quia ſuperbe egit.* Hoc eſt iudici-
um Dei, quo reſiſtit ſuperbis. Fugienda igitur arrogan-
x *De doct. Chriſt. l.3. c.23.* tia, quæ hoſtem habet Deum. verum eſt, quod [x] Au-
guſtinus docet, nullam eſſe in ſcriptura diuina paginã
quæ non docet Deum ſuperbis reſiſtere, humilibus
dare gratiam. Superbus capere non meretur quod cõ-
temnit. Indocilis eſt, qui doctus vult videri. Quare cum
arrogans ſit indocilis, maxime fugienda eſt in ſapien-
tiæ ſtudiis ſuperbia.

¶ 5.

Homines oderunt. Ingens malum eſt Deum habere inimicum, non ta-
men hoc veretur ſuperbus: hominum laude delecta-
tur, amicos quærit, conſcientiam ſecretam deſerit, ru-
mori credit: non tamen hoc ipſum, quod affectat ſtu-
dioſe, conſequitur. inter ſuperbos ſunt ſemper iurgia
conſortem adit. Grauius onus non ſuſtinet tellus, nec
Seruilius. Iſauricus ferunt baiuli, quam hominem ſuperbum. Seruilius
Iſauricus cum iudices monuiſſet, reum, cuius cauſa tũ
diſceptabatur, ſibi ambulanti de equo nõ deſcendiſſe,
effecit, vt damnaretur, tanto odio erat etiam apud ſu-
perbiſſimos ſuperbia, vt ciuem ſuperbum, non legum
æquitate, ſed deteſtatione arrogantiæ obruerent. Certe
ex Angelis ſuperbia dæmones fecit. Ne ſuis quidem
Sultanus. Cothus. tolerabiles ſunt. Sultanus primus à ſeruo, quod fami-
liam contemneret, trucidatus eſt. Cothus victor Tar-
tarorum ob faſtum in itinere eſt interfectus, fructum
Elpus. Benocaderus. victoriæ arrogantia in exitium vertit. Eadem cauſa El-
pis à ſatellite, Benocaderus à domeſticis veneno neca-
tur. Nec eos honor commendat, ſed magis reddit inui-
ſos. Virtutis præmia ambitio poſſidet, adeo vt impij
etiam ea de cauſa Dei prouidentiam illa permitten-
tem culpauerint, & mũdum negligere exiſtimauerint.
Themur Cham. Leonclauius in hiſtoria Moſelmanica. Themur Cham
Baiazeti exprobrat. Ab India vsq; ad Siueſtã me Deus
conſti-

Digitized by Google

conſtituit. Inde ad Vngaros te conſtituit. Si in pretio illi mundus eſſet, bono & ſancto non mihi claudo, tibi Manco dediſſet. Ad eũ modũ Turcæ Mamelucas, homines teterrimos rebus præficiunt, quos pro arbitrio deiicere, & occidere pronum ſit, cum non ſit, in magnates eadem, aut ſane non æque ſecura poteſtas ſæuiendi. *Baiazetes.*

§ 6.

In Imperiis inclinantibus maior ſuperbia, Joacimus, Jechonias, Sedecias precario regnantes, pauperrimo regno ſuperbiam auxerunt. Balthaſſar, qua nocte periit ſuperbiſſime cœnauit, tanquam beſtiarius in publico. Dario victo Beſſus & coniurati inſidias regno ſtruxerunt, regem occiderũt, etiam Alexandrum ſpreuerunt. Pereunte Occidentali imperio plurimi tyranni. Bomilcar obſeſſæ Carthaginis tyrannidem meditatus eſt, & occiſus. Nunc quoq; mutandorũ regnorũ non vana auguria, & inuiſa numini prognoſtica ſapientes obſeruãt certiora omnino illis, quæ ex commentitia aſtrorum efficientia aſpectuq; fingunt Ephemeridum propolæ, gentibus profanis deteriores. Nimirum ſuperbia quotidie veſtitu, famulitio, titulisq; increſcens. Cum ſuperbiſſime Diocletianus ageret, & Jouium ſe diceret, Palladisq; filium, ſpiritus minuit viſcerum omnium inflãmatio, lingua vermibus eroſa, liquefacta, & putredine fluens carnis ſanies. Similis Antiochi interitus, vt ex Maccabæis oſtendi. *Superbia pereuntiũ.* *Diocletianus.*

§ 7.

Genuina modeſtia eſt in æquabili mentis conſtitutione, quæ cohibet, ne te efferat dignitas, & humilitatis beatitudine excidas, ne mouearis contumelia vlla, ne dedecore; ſi conſideres omne probrũ, quod inferri poteſt veritate minus eſſe. Crimen impingitur falſo, honor debitus non defertur. Ingredere conſcientiæ tuæ ſecretarium, inquire ablato velo proprij amoris: an non merueris præcipitari in opprobrium ſempi- *Omnia mereri ſe quiſq; cogitet.*

ternum. Tribue cauſam tibi, te accuſa. Optime abbas
y Doct. 7. paſtor [y] apud Dorotheum. *Qui ſeſe accuſauerit quicquid incommodi, damni, probri, ignominiæ vel alterius cuiuscunq; afflictionis incurrerit, omnia hilare ſuſcipit, omnibus digniſſimum ſe putat, neque vllo modo turbari poteſt. Quid hoc homine quietius?* Non modo quietem adfert illa contumeliæ patientia, ſed delictorum veniam quoque obtinet, vt
z Doct. 21 ſapienter docet idem [z] Dorotheus. *Qui debitor alicuius fuerit, donec reddiderit debitum, quouis locorum abeat, debitor eſt, nec habet poteſtatem ſedendi cum quiete. Quod ſi afficiatur ignominiis ab hominibus, erubeſcit, tuncque debitum ſoluit ac ſi liber ſit & cum fiducia & audacia poteſt in populo eſſe, & vbicumque voluerit, ſedere. Sic homo cum patienter tulerit iniurias, ignominias damna, ob peccata commiſſa, humilitatem diſcit & laborem, & ita recedunt ab eo peccata, iuxta quod ſcriptum eſt. Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte vniuerſa delicta mea.* Hoc ad proceres, ad reges pertinet, quos lex Diuina iubet eſſe clementes, ad ignoſcentiam faciles. Etſi enim princeps eſt in terra, ortus tamen eſt de terra. De puluere aſcendit ad ſolium iturus in puluerem. Si nullum in calumnia ſuum crimen agnoſcit, merito ſe pati cogitet, quia impatienter illatas contumelias excipit, & animi tumore patientiam excluſit.

§ 8.

Alij non contemnendi.

Deteſtabilior ſuperbiæ pars eſt, qua alios deſpiciunt in alto poſiti, qua eo deueniunt, vt aduerſus Deum erigantur, vt oſtendi in Monarchiis Danielis. Inſigne exemplum adfert, quod vidiſſe ſe teſtatur. [a]
a Doct. 2. Dorotheus *Duo autem genera ſunt humilitatis, vt item genera duo ſuperbiæ. Primum ſuperbiæ genus eſt, cum quis fratrem ſuum contemnit eumq; quaſi nullius æſtimat, ſeipſum vero cunctis excellentiorem habeat. Hic ſtatim, niſi ſe reuocet & reſpiciat, ſenſim labitur in ſecundam ſuperbiam, ita vt in Deum etiam incipiat inſoleſcere, & bona opera ſibi ipſi aſcribere, non Deo. Memini, fratres mei, vidiſſe me aliquãdo huiuſcemodi homi-*

hominem, qui in hanc miſerrimam ſeditionem incidiſſet. Et initio quidem ſi quis è fratribus locutus quippiam eſſet in alterius commendationem & laudem, ſtatim illum ſpernebat, & quaſi conſpuebat, dicens: Quis eſt ille. Non eſt alius præter Zoſimam, & qui cum eo ſunt. Poſt cœpit & illos contemnere, ac dicere: neminem alicuius eſſe præter Macharium: & paulo poſt: Quis, ait, Macharius? nullus eſt præter Baſilium & Gregorium. Atque etiam non multo poſt; hos quoq; cœpit pariter ſpernere, & nullum vllius æſtimare, niſi Petrum & Paulum. Cui ego prædixi, quod euenit, fore, vt hos quoq; tempore contemneret. Quod ſane factum eſt, nam eos ſpreuit, & nihil eſſe habendum præter Trinitatem aſſerere cœpit. Statimq; in Deum quoq; factus eſt inſolentior, exarſit, intumuit. Nobis igitur luctandum eſt cum prima, fratres, ne paulatim in ſecundam labamur ſuperbiam. Conſectaria illa ſunt Dei amicos, Dei dona, & in illis gratiam Spiritus ſancti, & demum ipſum Deum contemnere. Elati reges & Cæſares, cum omnes contemnerent, diuinitatem affectarunt. Holofernes iuſſus eſt omnes Deos de terra tollere, vt ſolus Nabuchodonoſor Deus haberetur. Hoc & ſtatua aurea alterius Nabuchodonoſoris requirebat: & Antichriſtus machinabitur.

§ 9.

Jucundiſſimam adfert tranquillitatem nolle primas, obſtaculum vitæ eſt cura honoris, vt optime diſputat [b] Juſtinus. Reuera hanc ob cauſam orbis quotidie turbatur. Omnes homines in terra à iuſtitia longiſſime abeſſe diſputabat apud Darium Heraclitus, auaritiæ & vanæ gloriæ ſtudio teneri, ſe fugere inuidioſum ſplendorem, paucis contentum, ſolium Perſarum non attingere. Laborioſa res, & inquieta arrogantia maiora viribus aggreditur. Taurus auis vocem bouis æmulatur, & boando rumpitur. Magna moliuntur, parua poſſunt. Democrates iam ſenior arcem aſcendens, cum crebro anhelitu pulſaretur, magnum ſpirare ſe dicebat, ſed parum valere. Aſthmata ſunt, & ſpiritus anhelorum, quos angor & infirmitas protru-

Humilitas quieta.

b *De vita Chriſtiana.*

Superbia maiora viribus aggreditur.

Democrates.

Digitized by Google

net, vt oſtendat, numen ſuperbis reſiſtere, inimicum eſſe elatis, ruinam ſemper comitem eſſe animorum ſeſe exaltantium. [p] Vidit Daniel auream ſtatuam cum argento ſuo, ære, ferro, luto, in puluerem redactam, vidit & eam, quæ ex ſolido auro fuerat, à piis contemptam. Sed præcipuum ſuperbiæ exemplum Nabuchodonoſor, qui DEO nil poteſtatis in regno ſuo eſſe credebat. arrogantiam ſuam edicto rex confeſſus eſt. [q] *In ſententia vigilum decretum eſt & ſermo ſanctorum & petitio: donec cognoſcant viuentes, quoniam Dominus excelſus in regno hominum, & cuicunque voluerit, dabit illud, & humillimum hominem conſtituet ſuper eum.*

p c.2.

Nabuchodonoſor ſuperbus.

q c.4.14.

Cauſa tot mutationum, vt ſciant, Deum regnare, non ambitionem. [r] *Hæc eſt interpretatio ſententiæ Altiſſimi, quæ peruenit ſuper Dominum meum regem: Eiicient te ab hominibus, & cum beſtiis feriſque erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes, & rore cœli infunderis: ſeptem quoque tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias, quod dominetur excelſus ſuper regnum hominum, & cuicunque voluerit, det illud.* Eueniſſe narrat ipſe Nabuchodonoſor. [s] *Omnia hæc venerunt ſuper Nabuchodonoſor regem: poſt finem menſium duodecim, in aula Babylonis deambulabat. Reſponditque rex, & ait: non hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei. Et ab hominibus eiicient te, & cum beſtiis & feris erit habitatio tua: fœnum quaſi bos comedes, & ſeptem tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias, quod dominetur excelſus in regno hominum & cuicunque voluerit, det illud. Eadem hora ſermo cõpletus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ex omnibus abiectus eſt, & fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum eſt: donec capilli eius in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & vngues eius quaſi auium.* Data eſt regi ſuperbo locus pœnitentiæ, nam crimen agnouit, ad regnum rediit. [t] *Igitur poſt finem dierum, ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cœlum leuaui, & ſenſus meus redditus eſt mihi: Et altiſſimo benedixi & viuentem in ſempiternum laudaui, & glorificaui; quia poteſtas eius poteſtas ſempiterna, & regnum eius in generationem*

r 21.22.

s 25.26. 27.29.30.

t v.31. & ſeq.

Digitized by Google

& generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati ſunt: iuxta voluntatem enim ſuam facit tam in virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ: & non eſt, qui reſiſtat manui eius; & dicat ei, quare feciſti: In ipſo tempore ſenſus meus reuerſus eſt ad me, & ad honorem regni mei decoremque perueni: & figura mea reuerſa eſt ad me: & optimates mei, & magiſtratus mei requaſierunt me, & in regno meo reſtitutus ſum: & magnificentia amplior addita eſt mihi. Nunc igitur ego Nabuchodonoſor laudo, & magnifico, & glorifico regem cœli: quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in ſuperbia poteſt humiliare.

Aurea plane ſententia concludit: *Gradientes in ſuperbia poteſt humiliare*, non modo poteſt, verum reipſa ſemper humiliat, vel retinendo ne aſcendant, vel cum aſcenderint, deiiciendo. Et quidem viuentes ſæpe iſta vident, at nulla eſt in hoc mundo humiliatio, comparata cum vtilitate damnatorum. Nam vt exaltationis humilitas, ita humiliationis via eſt ſuperbia. Nihil fulget in cœlo ſplendidius perfecta humilitate, nihil apud inferos turpius ſuperbia, quæ in contumelioſiſſimo cruciatu durat, & pœnas adauget. Tanto Deo quiſque vilior eſt, quanto ſibi precioſior, cœlum occupari videmus ab humilibus, ſuperbiam ruere quotidie, nec tamen animos Deo ſubiicimus. *Superbia vilium, & damnandorum.*

§ 3.

Patri datum eſt ſpacium pœnitentiæ, filio Baltaſſari negatum: non enim patris exemplo monitisq; ſubiici Deo voluit. Cincta erat Babylon à crudeliſſimis hoſtibus, tam periculoſe vt eadem nocte caperetur, ille Dei contemptu, & arrogantia conuiuia & comeſſationes agitat, inter omnia illi Daniel ſuperbiam præcipue exprobrat. [u] *O rex Deus altiſſimus, regnum & magnificentiam, gloriam, & honorem dedit Nabuchodonoſor patri tuo. Et propter magnificentiam, quam dederat ei, vniuerſi populi* *Baltaſſaris ſuperbia.* u c. 5.18. 19.20.21.

Digitized by Google

populi, tribus & lingua, tremebant & metuebant eum: quos volebat interficiebat: & quos volebat percutiebat: & quos volebat exaltabat: & quos volebat humiliabat. Quando autem eleuatum eſt cor eius, & ſpiritus illius obfirmatus eſt ad ſuperbiam, depoſitus eſt de ſolio regni ſui, & gloria eius ablata eſt: à filiis hominum eiectus eſt, ſed & cor eius cum beſtiis poſitum eſt, & cum onagris erat habitatio eius: fœnum quoque vt bos comedebat, & rore cœli corpus eius infectum eſt, donec cognoſceret, quod poteſtatē haberet Altiſſimus in regno hominum: & quemcunque voluerit, ſuſcitabit ſuper illud. Aliorum ſcelerum, conuiuij, idololatriæ, ſacrilegij vna ſuperbia cauſa

x V.24. fuit: [x] *Idcirco ab eo miſſus eſt articulus manus, qua ſcripſit hoc, quod exaratum eſt.*

Idem exitus procerum, qui Dario Danielem detulerunt, inuidia in rabiem acti ſunt, illā ſuperbia accen-

y c.6. dit: nolebāt ferre ſuperiorē: [y] *Porro rex cogitabat conſtituere eum ſuper omne regnū: vnde principes & ſatrapæ quærebant occaſionem, vt inuenirent Danieli ex latere regis: nullamq; cauſam & ſuſpicionem reperire potuerunt, eo quod fidelis eſſet, & omnis culpa & ſuſpicio non inueniretur in eo.*

z V.24. Finis ſuperbiæ contritio. [z] nam *iubente rege adducti ſunt viri illi, qui accuſauerant Danielem: & in lacum leonum miſſi ſunt, ipſi & filii, & vxores eorum, & non peruenerunt vſq; ad pauimentum loci, donec arriperent eos leones, & omnia oſſa eorum comminuerunt.*

Superbi ſeruari nō poſſunt.

a c.8.7. Superbus aries Darius ab omnibus relictus, à famulis vulneratus, inter vitam & mortem humi iacuit proſtratus: [a] *Cumq; miſiſſet in terram conculcauit, & nemo quibat liberare arietem de manu eius*, nam mater, vxor, liberi captiui erant, Beſſus & cognati regem vinxerant: multis bellis actum erat vt Aries ſeruaretur, Oroſius curam illam deſcribit. *In tanta malorum multitudine difficilima dictis fides, tribus prœliis totidemq; annis, quinquies decies centena millia peditum equitumq; conſumpta ſunt.* Non iuuerunt tanta auxilia Deo ſuperbiſſimæ genti terminos ponente: & ambitioſa vota mortibus & ſeruitutibus caſtigante. Omnium quidem regum Perſicorum magnus

Digitized by Google

magnus faſtus, ſummus Xerxi, nec minor Dario Codomanno, qui Monarchiæ ruinam ſecum traxit, poſtquam ſtetiſſet à Monarchia Cyri ducentos vndecim annos. Sed iſta Daniel negligit. De Alexandro pluribus agit: nam ingens eius fuit ſuperbia, miſera vita, exitusque, victis & victoribus miſerandus. [b] *Surget*, inquit, *rex fortis, & dominabitur poteſtate multa, & faciet, quod placuerit ei. Et cum ſteterit, conteretur regnum eius, & diuidetur in quatuor ventos cœli. Sed non in poſteros eius, neque ſecundum potentiam illius, qua dominatus eſt, lacerabitur enim regnum eius etiam in externos, exceptis his.* b c.11.3.4.

Fortis omnino rex, in quem omnia congeſta ſunt, arma Græciæ, Perſidos atque Aſiæ opes. Fortis, temerarius, audax, quæ vitia ſuperbia incitabantur; & credebatur inuictus. Juſtinus tantum ait militibus ſuis fiduciam feciſſe, vt illo præſente nullius hoſtis arma, nec inermes timerent, nunquam cum hoſte congreſſum, quem non vicerit, nullam vrbem obſediſſe, quam non expugnarit, nullam gentem adierit, quam non calcarit: ita Juſtinus Danielis illam ſententiam exponit, *conculcauit eum.* Nam reuera nulla conditione vnquam pacem fecit, niſi cum iacentibus, & calcatis. Dominatus eſt enim poteſtate multa, tota Græcia, Ægypto, Aſia, ad Indum, & Gangem vſque: nullo iure, ſola imperandi libidine, Dominum mundi appellari ſe voluit, plures mundos eſſe doluit, diuinitatis opinionem per cædes amicorum affectauit: oracula dæmonum corrupit, nemo plus illo habuit, nemo plura concupiuit, vt vni mundus vnus ſatis non eſſet: in illa ardentiſſima cupidine dominandi ſitim mundus exſtinguere non potuit, adiectis prouinciis, quaſi ſalſa maris aqua accendebatur. Cum Gangem tranſire exercitus recuſaret, ira, doloreq; ardens, quaſi victus rediit, biduo ſe abdit, annulos, calcaria, arma veteris maiora ſpargit, à Macedonibus ad Perſas migrat. *Fecit quod placuit*, Nimirum omnibus vitiis turpiſſimus. A Deo ſe excitatum cognorat: nam ſpeciem eius Jaddo Ju- *Superbia Alexandri.*

dæo-

c Ioſeph. l.11. dæorum pontifice adorauit, dixitque [c] arbitrari ſe quia Deo mittente, exercitum collegerit, Darij victorem fore, Perſarum potētiam diſſoluturum, & omnia, quæ in mente eſſent, proſpere itura. Hæc ſuperbia inflatum contriuit, *cum ſteterit*, inquit, Propheta, *conteretur*. Annos duodecim laboratum eſt, cum iam pene ad metam ventum eſt, cum laborum & vulnerum capiendus fructus, mors indicitur, redit Babylonem, quaſi Bacchus triumphans, potat venenum, præſentibus omnium gentium moritur legatis [c] Juſtinus exſtinctum in ipſo ætatis, & victoriarum flore Alexandrum narrat. Plutarchus de fortuna Alexandri libellum ſcripſit, quo probat eum miſerrimum fuiſſe, cura labore, periculis, vulneribus, flagitiis, ſuorum odio: Cruenta fuit illius ambitio, in Aſiam diſceſſurus fratres, & optimates qui obſtare in Macedonia poterant, occidit, Aridæum ſecum duxit, laceratum eſt regnum mortui, nec ad poſteros, ſed amicos ab illo euectos peruenit, qui eius vxorem, filios, matrem, fratrem, totam familiam trucidarunt. Olympias mater monſtri ipſa ſuperbiſſima à Caſſandro obſeſſa, hoſtis patriæ iudicata, & occiſa. Aridæus particulam regni accepit ad hoc ſolum ne viueret. Roxane, & Barſine vxores, cum poſtumo vtraque filio Alexandri nulla culpa necantur, ſed ne lacerantibus regnum obſtarent. Diodorus, Juſtinus, Polybius, Plutarchus. Sic ambitio inſani iuuenis poſterorum ſanguine, & contumeliis eſt contrita.

Infelicitas Alexandri.

c l.13.

§ 4.

Superbia cōmilitonum Alexandri. Alexandri commilitones quos viuentis crudelitas non abſumſerat, mutua ambitio, & cupido regnandi perdidit. Omnia iura humanitatis violat regnandi dira cupido.

Gabriel breuiter, *Lacerabitur regnum etiam in externos exceptis his.* nimium quatuor regibus, Aridæo, Antigono, Seleuco, Ptolemæo, nam quo illi poſt bella multa

non

non obtinuerunt, in barbaros eſt tranſlatum. Juſtinus & Diodorus auctores ſunt, mille Bactrianorum vrbes audita morte Alexandri defeciſſe, earum exemplo totius orientis populos, Ponticas, Scythicasque gentes, occiſis præfectis iugum excuſſiſſe. Sic magna pars Alexandricæ aulæ periit. Cæterorum mutuæ cædes fuerunt, omnes intra annos ſedecim excepto Seleuco, & Ptolemæo ceciderunt. Caſſander, vt [d] Pauſanias docet & [e] Diodorus, totam domum Alexandri excidit, Caſſandrum Demetrius occidit, & Alexandri domui parentauit. Perdiccas Meleagrum, hunc Ptolemæus, & Cleomenē, Polyperchontē Alcetam. Deinde Philotas Phitonem, Antigonus Philotam, & Eumenem. Antigonus quoq; mox victus periit, vltimi ſociorum Lyſimachus, & Seleucus depugnarunt, vt [f] Oroſius. Itaque breui ſpacio triginta quatuor duces cum tota nobilitate, & familia necati ſunt, præter innumerabilem multitudinem à barbaris trucidatam, ipſi argyraſpides miſeri, proditores, egeni peregrinis in montibus perierunt. Tantum ſuperbiæ malum tanto in aulis ſanguine deſæuit.

p *In Bœot.*
e *l.18.19.*
f *l.3.c.vlt.*

§ 5.

Nec horum progenies felicior. Seleucus Nicanor late regnauit, poſteri eius, qui ad Tigranem vſque, ſedecim regnarunt, ſuperbia ſe mutuo perdiderunt, Antiochus Cyziceni filius à Lucullo conſtitutus per ludibrium rex, à Pompeio de ſolio detractus eſt. Inter Seleucidas omniū arrogantiſſimus fuit Antiochus Epiphanes. Veſaniam illius deſcribit [g] Maccabæorum liber ſecundus. *Super hoc autem ſuperbia repletus, ignem ſpirans animo in Iudæos, & præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, & graui corporis colliſione membra vexari is qui ſibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, ſupra humanum modum ſuperbia repletus, & montium altitudines in ſtatera appendere, nunc humiliatus, ad terram in geſtatorio portabatur, manifeſtam Dei virtutem in ſe-*

Superbia Epiphanis.

g *c.9.7.8. 9.19.11. 12.13.*

Digitized by Google

in ſemetipſo conteſtans: ita vt de corpore impii vermes ſcaturirent, ac viuentis in doloribus carnes eius efflueret, odore etiam illius & fœtore exercitus grauaretur, & qui paulo ante ſidera cœli contigere ſe arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare. Hinc igitur cœpit ex graui ſuperbia deductus ad agnitionem ſui venire, diuina admonitus plaga, per momenta ſingula doloribus ſuis augmenta capientibus. & cum nec ipſe iam fœtorem ſuum ferre poſſet, ita ait: iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire. Orabat autem hic ſceleſtus ad Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.

h *c.*8.25. Daniel paucis: [*h*] *Et contra principẽ principum conſurget: & ſine manu conteretur.* Ille anteambulo, & typus Antichriſti ſuperbiam illius figurauit. Nam etſi Antichriſtus filius perditionis nullum non ſcelus admiſſurus ſit, caput tamen criminum eius ſuperbia cenſetur, dæmonis lapſus originem habuit, ex illo vitio: *Ponam ſolium meum ad aquilonem, & ſimilis ero altiſſimo.* Initium quoq; noſtræ infelicitatis dederunt protoplaſti, dum ſimiles fieri diis concupiſcunt. Hæc eſt enim rebellio contra Deum: quam inter homines maximam Antichriſtus concitabit, Deum honore ſpoliare adortus, & ſi poſſet cœlo exturbare, atque interimere. Quid vero de illo Daniel? [*i*] Fuiſſe ait illi *os loquens ingentia.* Et quæ illa ſint exponit: [*k*] *Et ſermones contra excelſum loquetur, & ſanctos altiſſimi conteret: & putabit quod poßit mutare tempora, & leges, & tradentur in manum eius vſque ad tempus, & tempora & dimidium temporis.* Denique totam eius ſuperbiam cæterorum ſcelerum imperatricem deſcribit. [*l*] *Et faciet iuxta voluntatem ſuam rex, & eleuabitur, & magnificabitur aduerſus omnem Deum: & aduerſus Deum Deorum loquetur magnifica, & dirigetur: donec compleatur iracundia: perpetrata quippe eſt definitio. Et Deum patrum ſuorum non reputabit: & erit in concupiſcentiis fœminarum, nec quenquam Deorum curabit: quia aduerſum vniuerſa conſurget. Deus autem Maozim in loco ſuo venerabitur: & Deum, quem ignorauerunt patres eius, colet auro & argento, &*

Antichriſtus omnibus ſuperbior.

i *c.*7.8.
k *c.*7.25.
l *c.*11.36. 37.38.39.

to, & lapide pretioſo rebuſq; pretioſis. Et faciet vt muniat Maozim cum Deo alieno, quem cognouit, multiplicabit gloriam, & dabit eis poteſtatem in multis, & terram diuidet gratuito.

Mundus cadere cœpit ſuperbia, ſuperbia interibit. Regna cum ad ſummum faſtum peruenerunt in ſe ruunt. Summis negatum ſtare diu, non quia ſummos Deus contemnit, cum ſummus ipſe ſit, ſed quia ſuperbis ruina debetur, non poteſt eſſe ſtabilis: omnes enim ex humili in altum conſurrexerunt, etiam regna, & reges, Chaldæi multis ſeculis Aſſyriis ſeruierunt, Medi Scythis, Perſæ Medis, Macedones fœdiſſimi gentium habiti ſunt, Romani de aſylo prodiere, ſola Dei magnitudo, & quæ ex ipſo eſt humilitas æterna eſt. Vera inquam, non vmbratilis.

Cap. LXII.

Magnis vera humilitas ſuadetur, & de vitanda ſuperbia.

§ I.

Magnatum plurimi genere, opibus, corporis, animique ornamentis illuſtres laborioſo ſeruitio aulam ſectantur, vt honores gloriamque conſequantur nec propoſitum diſſimulent, altæ & generoſæ mentis eſſe arbitrantur Thyrſo laudis pulſari, Romanum eſſe iactant amore laudis ardua facere, aſpera pati. *Error magnatum gloriam quærentiũ.*

Vincit amor patriæ, laudumq; immenſa cupido.

Philoſophorum iſta, non omnium ſunt tamen, prudentiores tam gloriæ, quam voluptatis adminiſtram virtutem eſſe negant. Chriſtiana virtus irritos labores pronunciat, quorum finis eſt gloria. [a] *Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam*, non modo aulici, ſed religioſi bonorum ſuorum in pauperes diſpenſatores, etiam *a Matth. c. 6. 2.*

martyres, ſi ita vanitatis amore tument, vt vitam velint pro laude paciſci. Magna vitia Romani gloriæ cupiditate vicerunt, verum non virtute, ſed alio vitio: morbo morbum pellunt, laude molleſcunt pectora, vituperio franguntur, pari vtrinque periculo, qui laude & vituperatione mouetur, ſi recte faciet famæ cupidine, idem ſcelus patrabit, vbi mala laudantur, virtutem fugiet, vbi illa vituperabitur. Virtus enim, quæ laudibus ancillari didicit, etiam eodem præmio vitiis ſeruiet, & ad bene facta erubeſcet, qui vultu ſuperbo incedit. Plane quo maior quisq; eſt, eſt eo ſubmiſſior & fratribus ſuis benignior eſſe debet. Qui princeps eſt ſui oppidi, ſi ad vrbem ampliorem veniat, iam cedit potioribus, ſi ad aulam ducis iam inter ignobiles conſiſtit, ſi ad comitatum Imperatoris nullo loco habetur, ſeruus ſeruorum vocabitur. Omnis enim dignitas non re ipſa, ſed comparatione æſtimatur. At qui tot hominibus ſubeſſe non putat contumelioſum, quid faciet, cum ad Deum accedit? lutum ad conditorem, vermis ad omnipotentem? Abraham in colloquio Dei cinerē ſe & lutum vocat: Et Iſaias infelicem ſe vocat, quia pollutus ſit labiis, Daniel in lacum leonum, cum prandium illi Deus miſit, quam ſubmiſſe: [b] *recordatus es mei Deus, & non dereliquiſti diligentes te.*

Cupido laudis noxia.

b c.12.3.7

Chriſtianus ſecum expendat, quantus ſit comparatus viris ſanctis Apoſtolis, angelis, Deo atq; inferiorem ſe omnib. eſſe non dolebit, nec laborabit, vt ſe cognato cineri anteponat. Gloria enim noſtra non eſt in mundi theatro, ſed bonæ cōſcientiæ teſtimonio, laus eſt in cubilibus. Si quid boni Deus contulit, humilis cognoſcit auctorem: Alphonſus Deo gratias agebat, quod ſe hominem, regem, ſed maxime quod Chriſtianum feciſſet. Bona noſtra Dei dona ſunt, quæ nos ſæpe magni, alij minoris æſtimant. Sed quo maiora ſunt, eo rationes grauiores redduntur, omnia enim vtiliter expendenda ſunt. Imitantur ambitioſi Soſtratem Dexiphanem Gnidium, qui marmoribus, quæ Prolemæus

Omnia bona à Deo.

Alphonſus.

Soſtrates.

lemæus poſuit, nomen illius leui tectorio inſcribebat, ſuum vero ipſi ſaxo inſculpebat, vt paulatim decidente cœmento artificis, non auctoris nomen appareret. Ridicula & miſero pernicioſa vanitas, ſed tamen vſitata, ſi quid præclare geritur totum eſt, à Deo, ille vitam, vires, gratiam, auxilium concurſumque præſtat, nos inſtrumenta ſumus, & noſtrum nomen tamen ambitioſe geſtis inſcribimus, laudari nos æquum cenſemus, Dei vix tenuis mentio. Serra & ſecuris, & malleus contra fabrum gloriamur, lutum contra figulum, quod arrogantiſſime [c] Pharao fecit, cum diceret: *fluuius iſte meus eſt, & ego feci memetipſum.* Nemo credo hoc nunc dicit: At ita commendari volunt, quaſi ipſi ſint, quibus omnia debeantur. *c Ezech. 32.2.*

§ 2.

[d] Daniel alio ſpiritu, ſibi & populo, & regibus cōfuſionem, Deo gloriā tribuit. Hanc ob cauſam in republica domi militiæq; multa aduerſa experiuntur reges & duces, quia non Deo, ſed honori militant: & laudū inanibus auris. Reſpexit modeſtiam ſerui ſui Deus in tanta ſublimitate, eumque ante beatitudinem familiariſſime cū beatiſſimis ſpiritibus viuere voluit, tanquam amico venturi mundi fata detexit. Cum à Baltaſſare improbo rege, qui à maiorum ſuorum etiam vitiis plurimum degeneraret, negligeretur, arcana ſua Deus, regnorum mutationes, adeoq; Baltaſſaris interitum, & finem Monarchiæ ſæuientis oſtendit. Idq; mox primo anno Baltaſſaris. Imperij ſecretis Danielem rex amouerat, & abditos regis ſenſus, ignotum conſiliis caſum Babylonis, mortem optimatum Deus aperuit. Juſtus ſed ab hominib. deſpectus princeps, angelorū familiaritate honoratur. In magna hominis dignatione eſt, cuius pietatem terrena poteſtas preſſit. Infelix perituri, regis induſtria, cælare conſilia ſuſpecto conatur negotiis captiuum infidum arbitratur, cenſorem moribus ſuis grauem in Elymaidem remouet. Deus

d c.11.

Contemptus à mūdo à Deo honoratur.

Digitized by Google

illi, quam non ſit curanda illa aulæ maieſtas, nec dolendum ſi contemnantur ab illis, qui mox cadauera, terras, aurasq; infecturi iacebunt. Superba pondere ſuo ruunt, humilia firmantur. bene conſitæ arbores agitatæ ventis fortius figunt radices, verminoſæ eruuntur.

¶ 3.

Honore delectari non eſt ſapientis. Nomen honor blandum eſt, ſed mala ſeruitus, æger exitus. Sapiens honore non gaudet, ſed honorantium commodis ſtudet, Deum imitatus, cui noſter honor nihil conferre poteſt, honorantibus tantum profuturus. Quid ægro prodeſt, ſi medicus laudet, non ſanet? Apud Chriſtianos prima militia eſt honeſtatis: gloria in contemptu eſt, nec optanda, niſi vbi vtilis eſt ad boni operis miniſterium, alioquin cauſa eſt exitij. Quis enim non ridet Tartarorum ſtoliditatem, qui in omnium rerum ignoratione ſordibusque, ſe ſolos homines arbitrantur, alios tanquam canes alloquio non dignantur. Stultitia eſt illa mentis inductio. Barbaris facile ignoſcimus, nam omne barbaricum ſuperbum eſt. Quid de Aſclepiade medico iactatatore iudicabimus, qui ſe annis ſeptuaginta ægrotaſſe negabat, & homine altiora agitabat, donec è ſcalis prolapſus animam inanem effudit, vt Plinius recenſet. Chryſippus quidem neminem ſe doctiorem philoſophum puerili iactantia aſſeuerabat. Durat in mortem arcana ſæuities. Bonifacius in vincula coniectus à Sarra Columna contumeliæ dolore in furorem actus vitam finiit. Vere Cato M. Octauio affirmabat in ipſa morte permanere dominandi cupidinem. quin & famæ ſitis. Hieronymus Olgiatus ex interfectorib. Sfortiæ ducis Mediolanenſis, cum animam ageret, omnium ſecurus, de gloria ſecum agitabat. *Collige*, inquit, *te Hieronyme, ſtabit vetus memoria facti: mors acerba, vita perpetua.* Viliſſimus animus, cui præmium magnum videbantur ſermones ſtultorum: â ſapiente laus non appetitur,

titur,ſed fugientem ſequitur, non delectat dum offertur. In vita laudari hominem Deus vetat, laudabilem eſſe iubet. Cordate Peſcennius Niger oratori in funebri oratione adulanti, *Lauda defunctū, vt imitemur.* viuentes laudare irriſio eſt. Themiſtocles, cui nulla vox illa dulcior, quam qua ſua virtus laudaretur, ſapiens non erat. Illa dulciſſima eſt, qua Deus laudatur, virtus commendatur.

§ 4.

Quantuſcunque te honorantium globus circumdat, quidquid in te titulorum principes ingerunt, ſi tumidum efficit vanitas, numini es inuiſus. [e] *arrogantiam, inquit, & ſuperbiam deteſtor.* Minatur [f] per Iſaiam ſe arrogantiam humiliaturum: *nam omnem arrogantiam humiliat.* Rationem dat Salomon [g] *Abominatio Domini eſt omnis arrogantia.* [h] magnates ſane comprehunduntur in ſuperbia ſua. [i] Hinc obſeruauit Salomon: *contritionem ſolere pracedere ſuperbiam.* [k] *Odibilis coram Deo eſt & hominibus ſuperbia,* [l] *ſic periit Babylon inclyta in ſuperbia Chaldaorum.* [m] *detracta eſt.* ad inferos. [n] *Audiuimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde.* Judas etiam translatus & ſuperbia illius in putredinem ſoluta eſt. [o] ſicut lumbare prophetæ computruit, *ſic* inquit, *putreſcere faciam ſuperbiam Iuda, & ſuperbiam Ieruſalem multam.* Daniel quando Joacimum, & nobiles ablatos recenſet, oſtendit de ſuperbia Deum iudicaſſe: & eius æqualis, notusq; [p] Ezechiel *Et adducam peſſimos de gentibus, & poſsidebunt domos eorum: & quieſcere faciam ſuperbiam potentium, & poſsidebunt ſanctuaria eorum.* quin illud ipſum quod in tēplo gloriabantur, Deus abominatus eſt. [q] *polluam ego, inquit ſanctuariū meum, ſuperbiam Imperii veſtri.* cur autem [r] *deteſtor ego ſuperbiam Iacob.* Et deinde [s] *Iurauit Dominus in ſuperbiam Iacob.* Hinc illæ clades, apud Nahum: *reddidiſſe Deus ſuperbiam Iacob.* Sophonias exilia Moabitarum & Ammonitarum deſcribit, & cōparat Sodomæ & Gomorrhæ, & cōclu-

Superbos Deus odit.
e *Pro.* 8.13.
f c.13.11.
g *Pro.* 16.5.
h *Pſal.* 58.13.
i *Pro.* 16.18
k *Eccle.* 10.7.
l *Iſa.* 13 19.
m *Iſa.* c.14.11.
n *Iſa.* c. 16.6.
o *Iere.* c. 13.9.
p c.7.24.
q c.24.21.
r *Amos* c.6.8.
s *Idem* c.8.7.

t c.2.10. dit minas [t] *Hoc eis eueniet pro ſuperbia ſua.* Hoſtib. quoque populi Domini Deus minatur. [u] *Aſcendet fœtor eius, & aſcendet putredo eius, quia ſuperbe egit.* Hoc eſt iudicium Dei, quo reſiſtit ſuperbis. Fugienda igitur arrogantia, quæ hoſtem habet Deum. verum eſt, quod [x] Auguſtinus docet, nullam eſſe in ſcriptura diuina paginã quæ non docet Deum ſuperbis reſiſtere, humilibus dare gratiam. Superbus capere non meretur quod cõtemnit. Indocilis eſt, qui doctus vult videri. Quare cum arrogans ſit indocilis, maxime fugienda eſt in ſapientiæ ſtudiis ſuperbia.

u *Ioel. c.2.10.*

x *De doct. Chriſt. l.3. c.23.*

¶ 5.

Homines oderunt. Ingens malum eſt Deum habere inimicum, non tamen hoc veretur ſuperbus: hominum laude delectatur, amicos quærit, conſcientiam ſecretam deſerit, rumori credit: non tamen hoc ipſum, quod affectat ſtudioſe, conſequitur. inter ſuperbos ſunt ſemper iurgia conſortem adit. Grauius onus non ſuſtinet tellus, nec ferunt baiuli, quam hominem ſuperbum. *Seruilius. Iſauricus* Seruilius Iſauricus cum iudices monuiſſet, reum, cuius cauſa tũ diſceptabatur, ſibi ambulanti de equo nõ deſcendiſſe, effecit, vt damnaretur, tanto odio erat etiam apud ſuperbiſſimos ſuperbia, vt ciuem ſuperbum, non legum æquitate, ſed deteſtatione arrogantiæ obruerent. Certe ex Angelis ſuperbia dæmones fecit. Ne ſuis quidem tolerabiles ſunt. *Sultanus.* Sultanus primus à ſeruo, quod familiam contemneret, trucidatus eſt. *Cothus.* Cothus victor Tartarorum ob faſtum in itinere eſt interfectus, fructum victoriæ arrogantia in exitium vertit. *Elpus. Benocaderus.* Eadem cauſa Elpis à ſatellite, Benocaderus à domeſticis veneno necatur. Nec eos honor commendat, ſed magis reddit inuiſos. Virtutis præmia ambitio poſſidet, adeo vt impij etiam ea de cauſa Dei prouidentiam illa permittentem culpauerint, & mũdum negligere exiſtimauerint. Leonclauius in hiſtoria Moſelmanica. *Themur Cham.* Themur Cham Baiazeti exprobrat. Ab India vsq; ad Siueſtã me Deus conſti-

conſtituit. Inde ad Vngaros te conſtituit. Si in pretio illi mundus eſſet, bono & ſancto non mihi claudo, tibi Manco dediſſet. Ad eũ modũ Turcæ Mamelucas, homines teterrimos rebus præficiunt, quos pro arbitrio deiicere, & occidere pronum ſit, cum non ſit, in magnates eadem, aut ſane non æque ſecura poteſtas ſæuiendi. *Baiazetes.*

§ 6.

In Imperiis inclinantibus maior ſuperbia, Joacimus, Jechonias, Sedecias precario regnantes, pauperrimo regno ſuperbiam auxerunt. Balthaſſar, qua nocte periit ſuperbiſſime cœnauit, tanquam beſtiarius in publico. Dario victo Beſſus & coniurati inſidias regno ſtruxerunt, regem occiderũt, etiam Alexandrum ſpreuerunt. Pereunte Occidentali imperio plurimi tyranni. Bomilcar obſeſſæ Carthaginis tyrannidem meditatus eſt, & occiſus. Nunc quoq; mutandorũ regnorũ non vana auguria, & inuiſa numini prognoſtica ſapientes obſeruãt certiora omnino illis, quæ ex commentiſia aſtrorum efficientia aſpectuq; fingunt Ephemeridum propolæ, gentibus profanis deteriores. Nimirum ſuperbia quotidie veſtitu, famulitio, titulisq; increſcens. Cum ſuperbiſſime Diocletianus ageret, & Jouium ſe diceret, Palladisq; filium, ſpiritus minuit viſcerum omnium inflãmatio, lingua vermibus eroſa, liquefacta, & putredine fluens carnis ſanies. Similis Antiochi interitus, vt ex Maccabæis oſtendi. *Superbia pereuntiũ.* *Diocletianus.*

§ 7.

Genuina modeſtia eſt in æquabili mentis conſtitutione, quæ cohibet, ne te efferat dignitas, & humilitatis beatitudine excidas, ne mouearis contumelia vlla, ne dedecore; ſi conſideres omne probrũ, quod inferri poteſt veritate minus eſſe. Crimen impingitur falſo, honor debitus non defertur. Ingredere conſcientiæ tuæ ſecretarium, inquire ablato velo proprij amoris: an non merueris præcipitari in opprobrium ſempi- *Omnia mereri ſe quiſq; cogitet.*

ternum. Tribue cauſam tibi, te accuſa. Optime abbas
y Doct.7. paſtor [y] apud Dorotheum. *Qui ſeſe accuſauerit quicquid incommodi, damni, probri, ignominiæ vel alterius cuiuscunq; afflictionis incurrerit, omnia hilare ſuſcipit, omnibus digniſſimum ſe putat, neque vllo modo turbari poteſt. Quid hoc homine quietius?* Non modo quietem adfert illa contumeliæ patientia, ſed delictorum veniam quoque obtinet, vt
z Doct.21 ſapienter docet idem [z] Dorotheus. *Qui debitor alicuius fuerit, donec reddiderit debitum, quouis locorum abeat, debitor eſt, nec habet poteſtatem ſedendi cum quiete. Quod ſi afficiatur ignominiis ab hominibus, erubeſcit, tuncque debitum ſoluit ac ſi liber ſit. & cum fiducia & audacia poteſt in populo eſſe, & vbicumque voluerit, ſedere. Sic homo cum patienter tulerit iniurias, ignominias damna, ob peccata commiſſa, humilitatem diſcit & laborem, & ita recedunt ab eo peccata, iuxta quod ſcriptum eſt. Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte vniuerſa delicta mea.* Hoc ad proceres, ad reges pertinet, quos lex Diuina iubet eſſe clementes, ad ignoſcentiam faciles. Etſi enim princeps eſt in terra, ortus tamen eſt de terra. De puluere aſcendit ad ſolium iturus in puluerem. Si nullum in calumnia ſuum crimen agnoſcit, merito ſe pati cogitet, quia impatienter illatas contumelias excipit, & animi tumore patientiam excluſit.

§ 8.

Alij non contemnendi.

Deteſtabilior ſuperbiæ pars eſt, qua alios deſpiciunt in alto poſiti, qua eo deueniunt, vt aduerſus Deum erigantur, vt oſtendi in Monarchiis Danielis. Inſigne exemplum adfert, quod vidiſſe ſe teſtatur. [a]
a Doct.1. Dorotheus *Duo autem genera ſunt humilitatis, vt item genera duo ſuperbiæ. Primum ſuperbiæ genus eſt, cum quis fratrem ſuum contemnit eumq; quaſi nullius æſtimat, ſeipſum vero cunctis excellentiorem habeat. Hic ſtatim, niſi ſe reuocet & reſpiciat, ſenſim labitur in ſecundam ſuperbiam, ita vt in Deum etiam incipiat inſoleſcere, & bona opera ſibi ipſi aſcribere, non Deo. Memini, fratres mei, vidiſſe me aliquādo huiuſcemodi homi-*

hominem, qui in hanc miſerrimam ſeditionem incidiſſet. Et initio quidem ſi quis è fratribus locutus quippiam eſſet in alterius commendationem & laudem, ſtatim illum ſpernebat, & quaſi conſpuebat, dicens: Quis eſt ille. Non eſt alius præter Zoſimam, & qui cum eo ſunt. Poſt cœpit & illos contemnere, ac dicere: neminem alicuius eſſe præter Macharium: & paulo poſt: Quis, ait, Macharius? nullus eſt præter Baſilium & Gregorium. Atque etiam non multo poſt; hos quoq; cœpit pariter ſpernere, & nullum vllius æſtimare, niſi Petrum & Paulum. Cui ego prædixi, quod euenit, fore, vt hos quoq; tempore contemneret. Quod ſane factum eſt, nam eos ſpreuit, & nihil eſſe habendum præter Trinitatem aſſerere cœpit. Statimq; in Deum quoq; factus eſt inſolentior, exarſit, intumuit. Nobis igitur luctandum eſt cum prima, fratres, ne paulatim in ſecundam labamur ſuperbiam. Conſectaria illa ſunt Dei amicos, Dei dona, & in illis gratiam Spiritus ſancti, & demum ipſum Deum contemnere. Elati reges & Cæſares, cum omnes contemnerent, diuinitatem affectarunt. Holofernes iuſſus eſt omnes Deos de terra tollere, vt ſolus Nabuchodonoſor Deus haberetur. Hoc & ſtatua aurea alterius Nabuchodonoſoris requirebat: & Antichriſtus machinabitur.

§ 9.

Jucundiſſimam adfert tranquillitatem nolle primas, obſtaculum vitæ eſt cura honoris, vt optime diſputat [b] Juſtinus. Reuera hanc ob cauſam orbis quotidie turbatur. Omnes homines in terra à iuſtitia longiſſime abeſſe diſputabat apud Darium Heraclitus, auaritiæ & vanæ gloriæ ſtudio teneri, ſe fugere inuidioſum ſplendorem, paucis contentum, ſolium Perſarum non attingere. Laborioſa res, & inquieta arrogantia maiora viribus aggreditur. Taurus auis vocem bouis æmulatur, & boando rumpitur. Magna moliuntur, parua poſſunt. Democrates iam ſenior arcem aſcendens, cum crebro anhelitu pulſaretur, magnum ſpirare ſe dicebat, ſed parum valere. Aſthmata ſunt, & ſpiritus anhelorum, quos angor & infirmitas protrudit,

Humilitas quieta.
b *De vita Christiana.*
Superbia maiora viribus aggreditur.
Democrates.

Digitized by Google

dit, non profundunt vires. Magnus animus ſemper humilis eſt. Hac vna re ſimilis eſt caritati omnia ſufferenti ſuperbia: nam immania ſeruitia, contumelias, etiam tormenta perfert, vt gloriam conſequatur. Calanus Indus rogum cunctis ſpectantibus aſcendit, vt ſpectatiſſime moreretur. Empedocles in Æthnam inſiliit, vt ad Deos iſſe crederetur, ſed vanitatem eiecti per æſtum ferrei calcei prodiderunt, & Calanum dolentem turba ſpectatrix irriſit. Magna moliebatur Alexander, cum omnia mors interciperet. Claſſem mille longarum nauium triremibus maiorũ, qua Carthaginẽſes, & Hiſpanos domaret. Sex templa quindecim talentum millibus. Migrationes gentium ex Europa in Aſiam. Hæc conſilia [d] Diodorus apud Macedones lecta, ſed neglecta ſcribit. Diuina enim prouidentia furorem victoris exercitus in ſua viſcera conuerſum, ab aliorum infeſtatione cohibuit. Hæc in magnis molimina. Eadem eſt in paruis æmulatio tumentis animi. Labores ſuſcipit, quos ſuſtinere non poteſt. Hyarbita Maurus imitari Timagenem pertinax, inter pocula declamando crepuit: tanti erat ſtolide arroganti non cedere.

Empedocles. *Calanus.* *d l. 15.* *Alexander.* *Hyarbita.*

§ 10.

Humilitas Africana.

Nobile fugiendi honoris exemplum nobis in ſchiſmate Africa exhibuit, in concilium de concordia Epiſcopi Catholici & Schiſmatici conuenerant, ſpes concordiæ ſalutaris oſtendebatur, ad reditum proni erant aduerſarij. Hoc vnum obtẽdebatur, in ſingulis fere vrbibus duos Epiſcopos eſſe, vni proinde cedendũ. Tum omnes Catholici, duobus duntaxat exceptis ceſſuros ſe dignitatibus ſuis polliciti ſunt, quin & duos illos, vt pluris redintegrationẽ facerent Eccleſiæ, quam honorem, perpulerunt, patuit ex modeſtia, contẽptuq; prælaturæ apud eos veram fuiſſe Eccleſiã, qui pro Chriſti Maieſtate, non ſuis commodis certarunt. Admirabile prorſus, & noſtris moribus inſuetũ, dignitas amatur, & præ ſplẽdore viles ſunt animæ pereuntiũ ouium. Quis audiat Auguſtinum ex eadẽ regione intonãtem. Quoties

ties hominibus præeſſe deſidero, toties Deo meo, præire, contendo. Hoc illi reuera facere non verentur, qui Dei iniuſſu, etiam per ſanguinem ad celſa tēdunt. Qua de cauſa Alexander Mammeæ magiſtratus inuitis mādabat, virum bonum negabat, ſe ingerere periculoſis laboribus. Nam profecto plurimi magnatum ſunt religionis cōtemptores, quæ requirit ipſam modeſtiam, ſui deſpicientiam, non permittet quenquam, ne mancipium quidem contemni. Radbodus Friſiorum regulus iam baptiſmo admouendus, cum interrogaſſet, vbinam maiores ſui principes populorum degerent, reſponſumq; eſſet, cum infideles fuerint, damnatos, pedem retraxit, profeſſus ſe cum magnatibus malle apud inferos degere, quā cum grege pauperū cœlos obtinere. Immane malū ſuperbia de regno deiecit, & cruciarium dæmonis effecit. Carantani olim religionē Chriſtianā ea de cauſa ſpernebant, inuenit malo remedium Ingo dux dexteritate quadā ratus inueteratos errores tollendos: hiſtoriam recenſet [e] Brunnerus. *Dum hæc apud Hunnos geruntur Chriſtiana res* in Carantanis, ducis induſtria, egregia ſumpſit incrementa. Ingo tunc genti præerat clariſſim⁹ belli artibus, idemq; religioſiſſimus princeps: animaduerterat hic, primores gentis fere à Chriſto abhorrere. Opibus ſuis incubantes & immerſi deliciis aſpernabātur Deū, qui natus in fœno, & in cruce mortuus diceretur, & quia legē illius male cōuenire cum moribus ſuis videbant, eam vt tetricam, & beatæ inimicam vitæ iniquis ſermonibus traducebant. ridebantur etiā qui, de plebe, noſtra ſacra amplexi fuerant, quod inanes ſpes nimiſq; remotas ſecuti, crucem teſſeram felicitatis ſuæ, & precium cœli crederēt paupertatem. Ingo cum moleſtiſſime ferret ſanctiſſimæ legi vilitatē obiici, eamq; maculam natalium haberi, rationem ex ingenio reperit pernicioſæ calumniæ abſtergēdæ. Feſto die epulum adornat ſumptu cultuq; magnifico, eiq; non modo nobilitatem, ſed ex infima plebe pannoſiſſimū quemque, Chriſtiana tamen profeſſione nobi-

Religio humiles requirit.

e *l.6.p.21.*

Ingo dux Carentanorum.

nobilem adhibet; & hos quidem ſua dignatus menſa, accipit elegantiſſimè; vini florem in auro miniſtrat, & epularum deliciis mira ipſe comitate nouam gratiam aſpergit: porro purpuratis longe infra hos menſa parca & ſobria poſita, fictilibus grauida, & cibario pane; cœna reliqua quotidiana, & ſola fame condienda; cum interim iis inſolentis indignitate ſpectaculi pene ſtomachus euerteretur. Macerabantur inuidia, & ſicci ieiuniq; humiles illos conuiuas indignantibus oculis deuorabant, quærebantq; inter ſe, quæ illa noua Saturnalia eſſent, in quibus tantum liceret ſeruis? vinum dominicum iis, vnaque deridendos dominos propinari: ſibi velut terræ filiis terreſtrem cœnam coctam, vappa diluendam. Ingo, vbi tempeſtiuum viſum eſt, facti ſui rationem reddidit, negauitque in leges vrbanitatis à ſe peccatum; quemq; pro ſua dignitate accubuiſſe; conuiuas non ſanguine, ſed moribus æſtimatos; nam hos quidem, ſub ſordido palliolo, nitidiſſimos animos circumferre; illorum munditias omnes in veſte, & cute eſſe; verum animas grauiter olere, vtpote illotas, neq; cœleſti fonte tinctas, veniam igitur ſibi darent, ſi, quorum odore offenderetur, eos à ſua menſa paulo longius ſubmouiſſet. Ea oratio cum hoc facto coniuncta adeo ſuperbos illos animos domuit, vt paſſim deinde nobilitas Chriſto nomen daret: Diuinæ legis interpretes ab Arnone Salisburgenſi Epiſcopo, quemadmodum à Virgilio antehac, ſubmiſſi, in tanta omnium conſpiratione voluntatum, Ingone non modo piis ſtudiis fouente, ſed allaborante inſuper, ingens operæ precium fecerunt. A fundamento virtutum facile ſublimitas aulica abducit incautos, & ruinas ſtruere docet. fortes eſſe & ſtationis ſuæ tenaces oportet, cui eſt curæ, ne loco dimoueatur. Maiores in illis vires poſtulat militia, qui ſigna regia, labaraq; ferunt, qui ventis agitantur. Nam reuera aula parentes in filios, hos in genitores armat, vt nimis multæ docent hiſtoriæ. Inter priuatos minus ſæuit ſæuum &

Fortes cõtra ſuperbiam aulici.

pro-

proprium dæmonis malum. Superbia porro iracundiæ ſomentum eſt. omnis enim ira ex opinione contemptus naſcitur. Quia vero potentes aſſueti ſunt inter blanditias adulatorum, & indulgenter educati ad minimum ſignum contemptus inardeſcunt. Si ad iniuſta imperia non feſtinet miſera ſeruientium aſſentatio, flammas, & ferrum poſcunt.

§ II.

Superbiæ proprium eſt, omnia, etiam virtutum opera perdere. aurea Hieronymi ſententia: Quid prodeſt abſtinentia, ſi animus tumeſcit ſuperbia? S. Iſidorus dœmonibus eos comparat, qui cibis abſtinent, & male loquuntur, quod ſemper eſt ſuperbiæ. ex qua inuidia & odium. Quapropter & Bernardus eos abſtinere carnibus pecorum, veſci humanis queritur. Ambitioſus tempore laboris mercedem comedit, niſi aſſidue laudetur, famet. Eadem in vnguēto, & vnco mors eſt, in deliciis & ambitione: & mors non absque dolore. Qui linguam potatricem exterminet, idem diſperdit magniloquam: quæ omni die vendit diem vnum, quæ omnia etiam miſericordiæ opera vertit in crimen. Qui cæteroqui innocentes ſunt, ambitio ſola facit criminoſos, ærugo mentis, venenum cogitationis, ſubtile malum, quod feruidos facit, ſi placeat, remiſſos ſi diſpliceant. Non prodeſſe, ſed præeſſe quærit. Inimicitias inter amiciſſimas ſerit. Econtrario humilitas cuncta conſeruat, vt aromata cibis, ita ſapores & fragrantiam virtutibus adiicit. Deo gratiſſima eſt, quia de rebus vere iudicat, ſeſe agnoſcit, & æternæ altitudinis ponit fundamentum. Magis Deo placet humilitas in malefactis, quam ſuperbia in claris facinoribus. Humiliat in damnatione Dominus, quos erectos videt in dominatione. Illos & ſibi & mundo oſtendet, ſimiles armis auratis, ſepulchris dealbatis, quorum interiora ſunt apparentibus diſſimilima. Principum infidelium vix vlla humilitas. Nam iuſtitiæ, temperantiæ, clementiæ cultorem forte inueneris, cum ad mode-

Humilitas Deo grata.

Principes humiles.

Digitized by Google

modeſtiam ventum, omnes ſeruandæ dignitatis prætextu ſuperbiunt. Etiam ſerui, vt Pallas, qui nõ niſi per libellos cum ſeruis agebat, ne conſociaret ſermonem. Chriſtiani Imperatores, & reges humilimos numerant & reginas. Nolo congerere exempla, vna Radegundis ſufficit, regina Franciæ, quæ pauperum neceſſitatibus labore ſuo ſeruiebat, ægrorum putredines abluebat, nihil aulicorum ſuorum irriſus morata. De Cœleſtino, & præſertim Cuniberto, Wandregeſilo, nobilibus & ſanctis aulicis notæ ſunt hiſtoriæ, quorum hic currum mœſti pauperis è luto extraxit, ille ſuis famulis calceos detrahere ſolebat. Tam munifice à Deo honorati, quã infeliciter à Collegis irriſi. nemo humilẽ rideat, nemo laudet arrogantem, hoc eſt, nemo viles habeat gemmas, miretur fumum, aſcenſu pereuntem. Sola humilitas prudens eſt, ſuperbia facit amentes.

Radegundis.

¶ 12.

Ad nos oratio mea tendit magnanimi proceres, vobis enim timeo, ne vitio ſublimi, vitio ſubtili, quod à multis pro virtute habetur, beatitudine excidatis. De aula regũ metuere prudentis eſt ex aula Dei per ſuperbiam primi magnates in rogũ deciderũt, etiam humanæ ſuperbiæ deſtinati vindices. Nulla ruina grauior eſt, quam ſuperborum, maxime cum ipſa elatio tendat in Dei iniuriam, vt nos docet aulicorũ princeps [f] Ambroſius & diſcipulus Ambroſij Auguſtinus, Humilitatem eſſe Chriſtianorum virtutem, primam, ſecundam, tertiam, vt eſt apud Rhetores pronunciatio. Eam Deus honorat, in corda humilium deſcendens, habitansq́;. Illa ſemper meretur veniam, ſemper accedit ad Deum, arcet dæmones, in ſummis tormentis tumorem retinentes. Nemo regnum cœlorum niſi paruulus ingreditur, nemo, inquam, etiam regum maximorum. [g] *Qui ſine humilitate virtutes congregat, puluerem in ventum ſpargit, vt ſentit Gregorius.* Magni eſſe vultis? nullus eſt labor: parui eſtote. Magnum eſt eſſe paruum, quod niſi à Chriſto, qui magnus eſt diſceremus, nemo crederet.

f l. 10. de offic.

g In Pſal. 7 pœnit.

Digitized by Google

ret. Omnes credimus, vtinam opere diſcamus ab eo, qui mitis eſt, & humilis corde, qui propoſito gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit vſq; ad mortem, mortem autem crucis. Cogita, inquit, [*h*] Dorotheus. *Cogita autem attente crucifixum, quot contumelias, quot probra ſuſtinuerit Dominus noſter Chriſtus, & poſt hæc omnia demum crucem cõſcenderit. Et ita ſcito neminem in requiem ſanctam & perfectam poſſe peruenire, niſi primum Chriſto compatiatur, & ferat omnes paſſiones eius, iuxta Apoſtolũ dicẽtem: Si cõpatiemur, & cõglorificabimur. Noli itaq; errare, noli ſeduci, quia nulla alia ſalutis via eſt, præter hanc. Dominus enim, qui in omnibus nobis opem fert, docet nos firma fundamenta domus noſtræ iacere ſuper petram, quæ Chriſtus eſt.* h *Doct.11.*

Heraclius niſi poſito ornatu corporis in montem Caluariæ crucem ferre non potuit. Spinis coronari eodem in loco voluit ne diſſimilis Chriſto eſſet, ne cultior Domino ſuo. Nemo veſtrûm exiſtimet, ſe faſtum cœlo poſſe inferre. Sericum, & aurum & cætera mortis inſignia, regia creatoris ignorat, cordis ſublimitatem abominatur. Non magis tumens animus, quam putre cadauer in palatium illud admittitur.

Cap. LXIII.

De fama & honore, eoq; vindicando.

§ I.

NOn facile deſerit cauſam ſuam ſtudium gloriæ, ſpecioſos prætextus inuenit. Optimum quemque eſſe gloriæ appetentiſſimum, pueritiam ipſam laudum ſtimulis ad honeſta cogi. *Gloria, honor, fama.*

Deniq; non paruas animo dat gloria vires,
Et facunda facit pectora laudis amor.
Magnum iter aſcendo, ſed dat mihi gloria vires,
Non iuuat ex facili lecta corona iugo.

Breue

Breue curriculum, ſed gloriæ curſus ſempiternus, trahimur omnes ſtudio laudis. nec fama contemnenda eſt, quæ proximo, quæ poſteritati debetur. Honor quoque in precio eſt, cuius delectatio proxime ad diuina accedit. Honor auctore [a] Ariſtotele bonorum externorum maximum eſt. Ille maxime quæritur à felicibus, opulentis, aulicis: nam cui lucta eſt cum egeſtate, licet ambiat, non quærit.

a *l.4. Ethic.*

Donec eram ſoſpes, tituli tangebar amore,
Quærendiq; mihi nominis ardor erat.

Vbi non eſt honor virtuti, inſtabilis eſt ciuitas. Famam nobis Scriptura commendat. [b] *Fama bona impinguat oſſa.* [c] *Melius eſt nomen bonum, quam diuitiæ multæ.* Habenda itaque cura de bono nomine: hæc enim proximo debetur. Quare vt obſeruat [d] Cyprianus diaboli ſtudium eſt, vt nomen fidelium infamet glorioſum. Quin Auguſtinus quoq; non audiendos cenſet, qui dicunt: conſcientiam ſufficere. Cauendum etiam ne fama poſſit fingi probabiliter.

b *Prou.* 15.
c *Prou.* 22.
d *l.4. Ep.1.*

§ 2.

Sunt iſta plane vera: nec honoris, nec gloriæ, multo minus famæ ſtudium eſt à ſuperbia: ſed, ſi non ſit ex recta ratione. Honorem petit magnanimus, & ambitioſus, diuitias auarus & liberalis contrario affectu, atque effectu. Non tamen ex vitiis oriuntur facta virtutum, ſed aliquando obſtacula aliorum vitiorum. Quare falſa ſubtilitas Cardani fuit. Ex ambitione oriri aliquando actiones magnificentiæ, atque magnanimitatis, ex temeritate opera fortitudinis. Confutat Cardanum [e] Scaliger. *Poſſent*, inquit, *vitia definiri per virtutes, & viciſſim hæ per illa. Exempli gratia, Liberalitas eſt prodigalitas moderata. Et magnificentia eſt ambitio cum recta ratione.* Quomodo igitur iſta accipienda ſint, breuiter explicandum eſt, nuſquam enim vitium virtuti ſimilius eſt, quam in gloriæ & honoris materia.

Honorem petere nō malum.

e *Exerc.* 312.

Diſcrimina ambitioſi & magnanimi iſta fere ſunt.

1. Am-

1. Ambitioſus omni ſtudio per cuncta obſtantia ad gloriam & honorem tendit, repulſa exanimatur, Alexandrum Achilles, Alexander Julium excitat. Magnanimus in vtramque ſortem paratus, quo æterna ſapientia libellam inclinarit, eo vergit. Dauid à caulis ad aulam vocatur, inde ad pauculas oues redit. Oculi eius, & cor eius in manu Domini. *Diſcrimen Ambitioſi & Magnanimi.*

2. Magnanimus honorem admittit, ſed contumelia magis gaudet, cuius ipſe cauſa non eſt. Sic Moſes ductor Ægypti, deinde eductor Iſraëlitarum, Perfectus aulicus. *Fide,* inquit, [f] *Paulus Moyſes grandis factus negauit ſe filium eſſe filiæ Pharaonis. Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti, aſpiciebat enim in remunerationem.* Sic ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quod digni eſſent pro nomine Dei contumeliam pati. f *Hebr. 11. 24. 25. 26.*

3. Humili honor quæritur ex vero, ſuperbo ex vano. Vera cauſa honoris & gloriæ vera, & vnica virtus eſt: & illa præſertim virtus, quæ eſt gloriæ cõtemptrix. Verus honor, vera gloria non eſt, quæ non venit à vero iudicio, & amore, ſed adulatio. vt [g] Bernardus admonet. Vere honorabat Abigail Dauidẽ opportuna monitrix. Falſo ornabat illum Saul, cum generum faceret. Dicebat enim, *Dabo eam illi vt ſit illi in ſcandalum, & ſit ſuper eum manus Philiſtinorum.* Falſus honor in tyrannos collatus, quem timor expreſſit. Nunquam vera gloria eſt, quam per male facta improbi aucupantur. Fumus ille eſt ſine flamma. Falſus & ille quem exigit morum aſperitas. Nero eo arrogantiæ peruenerat, vt neminem ſalutando, reſalutandoq; honoraret: idolum potius, quam homo. *Ex vero honor.* g *In Cant.* *Dauid.*

4. Superbus laude delectatur, tanquam præmio virtutis, humilis illa tanquam inſtrumento vtitur. Honos alimẽtum eſt virtutis non veræ, qui finem operum gloriam propoſitum habet à ianua aberrat, eſt enim honor teſtificatio virtutis, non præmium. Virtutem *Finis non eſt.*

Digitized by Google

ſequi debet, nō honorē virtus. Alioqui virtus eſſe deſinit, cui finis ille proponitur, vt ſuperiore capite docui. Honor ille animos altos, non magnos facit: nec enim pumilio, ſi ſuper Oſſam, aut Olympum ſtet, magnus cenſebitur.

5. Ambitioſus ex omnibus, etiam malis nomen quærit, magnanimus tantum ex conſenſu bonorum.

Non magni faciēdus honos.

6. Magnanimus non magni facit famam, gloriam honorem. Nouit nihil in terra magnum eſſe, cum ſit ipſa punctum. Nouit agrum laudando non fieri meliorem, homines etiam inſolentiores. Arrogantium eſt in honore finem vltimum conſtituere, & omnibus eum anteponere: eum contra veritatem exigere & habere ſtimulum pœnarum. Quapropter animi puſilli ſunt, prauiq;, dum rem paruam magni æſtimant. Quid eſt enim fama? Vetus, fumus, vmbra, fabulæ hominū, fama veris falſa miſcens, & ſua per mendacia. rumorū nutrix maligna, mortuis nō prodeſt, viuis creſcens nocet. Sollicitus es, quid poſteri dicturi ſint, cum nihil dicāt, qui ante vixerunt. Hæc igitur omnia contemne ad cœlum iturus, & regnum, & famam tenebis. Si ad inferos detraharis, cruciaberis vbi es, laudaberis, vbi non es: ſed & à laudatoribus errorem corrigentibus contumelias ſempiternas feres.

Quomodo optare honorem fas ſit.

7. Humilium igitur caritati conſentaneū eſt: Honorem gloriamq; ex virtute, de vero iudicio deſiderare, ac petere, nō vt præmium laborum, ſed ad Dei vnius ſempiternam gloriam, animarumq; ſalutē: non vt in laude noſtra ſiſtamus, ſed ea ad Deum laudandum vtamur. Eademq; de cauſa, & fama curāda eſt, quæ aliis proſit, non nos commendet. Eo ſenſu [b] Caſſiodorus dixit, *Regnātis facultas ſit ditior, cū acquirit theſauros famæ.* Hanc ob cauſam licet & famam tueri, & honorem læſum defendere, cum ſine Dei contumelia, & Eccleſiæ dedecore, infamia non poteſt permanere.

b *l. 1. Ep. 3.*

CAP.

Digitized by Google

Cap. LXIV.

Humanæ vitæ miſerias in proceribus ſpectabiles eſſe, & vnumquemque admonere modeſtiæ.

§ 1.

Vita hominum miſerrima eſt eademq; breuiſſima, in pueris breuitate, ſi ante vitia moriantur, felix: in adultis ſola virtute, ſi perſeuerent, beata. Quam ſpecioſa ſtultis, tam fragilis omnibus. In flore ſuo corrumpitur. In aulis ſpectatiſſima eſt, ſed aliis breuitatem ſuam impendit, raro ſibi vacat. Sola diuina prouidentia ſtabilis eſt. Mundus in quo agitur, mare eſt: [a] talem enim Daniel vidit, in eo grandes beſtiæ, & paruæ, fluctus mediocres, & decumani, piſces & piſciculi. Grandia cœte ſibi mutuo ſunt præda, minuti gobij omnibus: nullius vita diuturna. Si vero ſumma vitæ breuis eſt, ſtulti eſt ſpes inchoare longas, inſanientis ob ſpem incertam efferri, procella audaces, & arrogantes ſternit, & ad humiles cogit preces. omnem diem ſupremum illuxiſſe, omnem eſſe horam vltimam quiſquis conſiderat, facile faſtum ponit.

Vita miſera breuis.

a c. 7. 2,

Socrates rideri à diis homines dicebat, ſi ſe victuros dicerent, & nos ridemus in comœdia perſonatos Reges, ſi tanquam vera dignitate ſuperbiant. Omnia caduca eſſe docent nos ipſa imperia: Aſſyrium diuturnum, ſed parricidiis funeſtum, Sennacheribus gentium victor trucidatis in exercitu fortiſſimis à filiis occiditur. Filius illius Aſaraddon à Merodaco Babylonio victus miſere periit. Ad Danielem veniamus. Reges Juda exilio, captiuitate, carceribus puniuntur. Nabuchodonoſor magnus poſt grandes labores in beſtiam mutatur. Baltaſſar de con-

Digitized by Google

uiuio ſuperbo cum mille proceribus male ſobriis ad necem & inferos rapitur. Aulæ lætitia fremendi, Deoque & Eccleſiæ inſultanti, nunciatur improuiſo capta Babylon. Subitum metum indicat Jeremias: [b] *Currens obuiam currenti veniet; & nuncius obuiam nuncianti vt annunciet regi Babylonis, quia capta eſt ciuitas eius à ſummo vsque ad ſummum.* Felici ſecuritati & exultanti ſuperbiæ interuenire gaudet vindicta, & timere iubet hoc ipſo quod non timet. Babylon ruit, & deletur, quid ſtabile debilioribus? Ambitus eius ſtadiorum quadringentorum, [c] (Plinius ſexaginta millia paſſuum habet) muri turresque altiſſimæ, mœnium latitudo ſex curruum ſimul euntium capax, Scriptura vocat murum latiſſimum. Armatorum, præter ciues, centum millia, in annos viginti commeatus, hæc omnia nox vna perdidit, rex in ſtatera poſitus inuentus eſt minus habens, ipſe, optimates, bellatores occiſi, alliſi ad petram paruuli, regnum diuiſum Medis & Perſis. Calamitati pereuntium par erat vincentium triumphus, nulla toto orbe ciuitas maior, opulentior, arrogantior: anno tamen euoluto moritur Darius, & ſolatia præbet victis, nulla re, quam Danielis diſciplina beatior, & fidei confeſſione. Cyro Darij genero vita longior, laborioſa & ab incunabulis fœta periculis, infans beluis expoſitus à Deo ſeruatus eſt, liberator captiuæ Eccleſiæ, vindex impiorum regum & populorum, vrbium euerſor, humanæ inconſtantiæ exemplum miſerabile, in recentis victoriæ lætitia à Thomyri regina oppreſſus eſt, caput in vtrem plenum cruoris, cum exprobratione inhumanæ crudelitatis immiſſum. Infauſta Cyri propago, filiorum ſcelere, Cambyſes fratrem occidit, ſororem ſuam, & coniugem fraternæ morti illacrymantem, & grauidam exandeſcens interfecit, deinde poſt breue imperium, multa crimina, dum equum aſcenderet lapſo è vagina gladio ſecundum femur ictus, ex vulnere moritur. atq; ita Cyri progenies maſcula periit. Imperium ad Eunuchos, deinde

b c.5.1. 30.31.

Babylonis interitus.

c l.6.c.26.

Cyri progenies.

inde ad Darium peruenit, cuius filius Xerxes *ditatus eſt opibus maximus*, vt ait Daniel, *& concitauit omnes contra regnum Græciæ*: nam decies centena millia Graiis trucidanda obtulit, arrogantia plusquam humana, vt qui verbera ponto inflixerit, compedes iniecerit, literas ad montes ſcripſerit, quibus imperarit, vt operis ſuis ſe morigeros exhiberent. Theſauros Babylonios, Cyri, Darij habebat. Quid vero effectum? in ſumma potentia trepidus cæſo exercitu ſcapha fugam capeſſit: magnus tamen in fuga, & manebat in Græcia Mardonius cum centum millibus militum, qui & ipſi conciſi ſunt, & dux lapide ictus occubuit. Xerxes adulterio & inceſtu pollutus, fratrem, cuius vxorem & filiam violarat, occidit, ab Artabano patruo ſtatim ipſe eſt occiſus: cum delectu habito tot virorum millia videret, illacrymatus dicitur, quod poſt centum annos nemo ex illis ſuperfuturus eſſet: nimis in longum ductæ lacrymæ, non meretur fletum in annum centeſimum protracta mortalitas, vltra biennium decima pars ſola ſuperfuit, & ipſa mox eſt interfecta, & Xerxes qui centum annos, vt breues defleuerat, triennio poſt lacrymas interiit, cum tanti exercitus funera partim audiſſet, partim oculis ſpectaſſet, & quamuis omni hora videret, quam nihili ſint res humanæ, non tamen ſpiritus poſuit, niſi cum vita exutus eſt, & ad tanti ſanguinis effuſi reddendam rationem citatus, ex medio cruentarum libidinum æſtu in barathrum præcipitatus.

Darius. Xerxes.

§ 2.

Nunquam vita ſtabili gradu conſiſtit, mobilior in magnis. Quamuis ingens ſphæra ſit, & firma, leuiſſimo tamen impulſu mouetur, cum nulla ſui parte, ſed termino ſolum, punctoq; planitiem attingat, quod cum firmamento careat, minimo momento motus cietur. Non alia eſt vitæ firmitas, quicquid eſt, quicquid

Vita inſtabilis.

Digitized by Google

poſſidet, ſperatq; de momento pendet. Quod abiit, eſſe deſiit, quod futurum eſt nondum eſſe cæpit. Quod actum eſt reſtitui non poteſt, quod impendat tam timendum, quam ſperandum eſt. Si ſperata ſe offerant, abitura ſunt, aut relinquenda. Vnde igitur cauſam ſumere ſuperbia poteſt, de momento, de tenui filo pendula, vt ſibi de ſuo periculo plaudens? omnis ecce mundi gloria finitur, exitu plerunque tragico, quod in regibus Perſicis ſatis Daniel oſtendit, & legimus in illis, quos ipſe præterit hiſtoricis. Artaxerxis Longimani fuit maior modeſtia, eum ſecutus eſt Darius Nothus affinis non filius, ita Xerxis quoque ſtirps in filio defecit, Darij autem filij Artaxerxes Mnemon Rex, & Cyrus acie conſligunt. Cyrus ambitione regnum affectabat, fratrem in acie vulnerauit, ipſe occubuit, Artaxerxis domui perniciem attulit libido, & ambitio. Darium filium regem conſtituerat indulgens pater, mos erat vt filius, quæ illa die inaugurali peteret, pater negare non poſſet, petit ille Aſpaſiam ante Cyri, nunc Artaxerxis parentis pellicem, dedit rex, deinde amore victus eripuit, eam tem tam impotenter Darius tulit, vt Tiribazo adiutore in patris cubiculum irrumperet, parricidio inceſtos amores vlturus, Rex præmonitus ſicarios trucidauit, filium ex ſententia iudicum morte damnauit: nec dedecore tamen abſtinuit Atoſſa filia in vxorem ducta, Filius alter Ochus deinde inceſtam regiam ſanguine miſcuit, morte fratrum regnaturus. Arſamem occidit, alterum metu adegit, vt ſibi mortem adferret. Ochum, & deinde filium eius Arſamen veneno Bagoas interfecit, Darium Codomannum Armeniæ præſidem in regnum vocauit, cui quod in conuiuio pararat, venenum, ipſe bibere coactus interiit: merita ſane pœna qui non ſpe regni, ſed honoratioris obſequij, & gratiæ duos reges occidit, tertio inſidiatus eſt. Darius ille aries Danielis eſt, quem Hircus caprum conculcauit. Miſera vita, miſerrimus honor, diademata,

Regum ſtatus infelix.

Reges Perſidis.

mata, ſceptra, ſolium, ſatellitium, quid illis miſeris, niſi inſtrumenta nequitiæ, pompa funeris fuerunt? Mundus rota eſt, quæ amatores ſuos in ſublime elatos conterit, vt molendinum quos euehit, mox aquis mergit. Deſertum eſt orbis, beluis, quam hominibus aptior, quippe his exilium, illis patria, omnes pariter exagitat, reges regumque amicos infeſtius. [*d*] Fulget in regno aurum, argentum, æs, ferrum, ſed luto iunguntur, vt omne corpus fragile ſit, quicquid patitur mutabile eſt. Miſera inſania: Viuere non eſt in noſtra poteſtate, & vitæ breuibus ornamentis, tanquam phaleris extollimur. Felicitas noſtra ſemper nutat, nihil habet certi niſi mortem, quæ ſi mala eſt, omnia perierunt. Aduenæ ſumus migrare compellimur, certum tempus eſſe noluit lutei tabernaculi elocator, nec præmonere, ſed vigilantes ſignum exſpectare iuſſit, tribus digitis, vt nauigantes à morte abſumus, & de vitæ fugientis crepundiis gloriamur.

d Dan. 2.25.

§ 3.

Nec feliciora cornua Hirci, & Pardorum progenies apud [*e*] Danielem. In illo regno cruentum ambitionis, & ærumnarum pelagus, vt de omnibus dici poſſit: homo calamitas. De ſociis Alexandri ſupra dixi eos ambitio in mutuas cædes egit, quorum poſteri regnarunt, nihilo ſors melior. Hi fuere Antigonus Seleucus, Ptolemæus. Antigonus poſt vitã in caſtris actam, natus annos octoginta multis vulneribus in prælio conciſus eſt. Seleucus annorum ſeptuaginta ſeptem contra Ptolæmeum pugnans cecidit, cum ſeptem ante menſes Lyſimachum annum quartum, & ſeptuageſimum agentem acie viciſſet, & occidiſſet. Antigono ſucceſſit filius cognominis, ſub quo paululum Macedonia reſpirauit, breui imperio Demetrij afflicta eſt, Brennus gentem ad Gangem vſq; victricem ſpoliauit, mox bello quod cum Romanis geſſit Philippus exhauſta

e c. 8. & 11. Poſteri regum Hircinorum infelices.

eſt, & Aſiaticæ reliquias prædæ amiſit, iugo indignæ pacis preſſa, quod excutere dum Perſeus conatur in triumphum ductus eſt, regnum in formam prouinciæ redactum, tum facta eſt Romanis ſeruientium viliſſima pars, paulo ante gentium dominatrix. Et ne quid dedecori deeſſet, Perſei filius, vt vitam toleraret, ſcriba factus eſt. Fortunam Philippus accuſare non potuit, ſuperbus, aſper, crudelis. Multo minus etiam Perſeus, qui fratre Demetrio per calumniam delato, & iuſſu patris occiſo, parricidium captiuitate luit. Hæc eſt viciſſitudo ciuitatis terrenæ, quam faſtus ædificat, qui in regno hircorum regio ſanguine ſolium imbuit, ne Philippo quidem patri Alexandri pepercit, qui poſt triumphi lætitiam, filiæque nuptias in ipſo theatro à Pauſania trucidatus eſt. De Seleucidis ſupra ex Daniele dixi, qui eorum geſta vſq; ad Epiphanem recitat. In huius quoq; familiæ poſteris omnia faſtuoſa, breuia, incerta. Eupator illius filius cum regnum magno labore tenuiſſet biennio, occiſus eſt à patruo Demetrio. Hunc miſere regnantem Alexander Bales mendacio in familiam Antiochi inſitus interfecit: ille quoque fultus regum auxiliis, Ptolemæi ſoceri potentia ſecurus, ab ipſo ſocero priuatus regno & coniugio, exul in Arabia ceruice truncatur. Mox regnum adiit Demetrius Nicanor, quem frater Antiochus Sedetes auxilio Tryphonis expulit. Nec diu perſtitit parricida, quem ſuaſorem, & adiutorem ſceleris habuit, ſenſit vltorem, nam ab eodem Tryphone occiſus eſt, & Tryphon cruentum triennio ſolium tenuit, atque à ſuis interfectus, duobus regibus parentauit. Manſerunt tamen in poſteris fratrum odia, Demetrij Nicanoris filius dictus Antiochus Gryphus, Antiochi Sedetis Antiochus Cyzicenus mutua clade attriti conciderunt, Gryphum Herodianus, Cyzicenũ Gryphi filius occidit, cædes deinde omniũ facta eſt, donec Philippus à Gabinio captus, regnũ ad Romanos, deinde Tigranẽ peruenit, & eo victo præcipuum

Macedoniæ clades.

Seleucidæ periere.

Antiochi nepotum miſeria.

puum auaritiæ Romanæ irritamentum fuit. Hæc intra breuiſſima tempora regum,& aulicorum varietas fuit, euerſis in ſingulorum mortibus,nobilium familiis. cadente quercu ramos quiuis amputat. nam in bellis ciuilibus paucis parcit ira victoris. atque hæc eſt maledictionis ſeries, cuius finem in Antichriſti ſæuitiem deducit Daniel. nam in hoc puncto ſe premunt, & necant homines, & quod fieri non poteſt, in paruo eſſe magni volunt: collidit vitam miſeram in arctam coacta ambitio, flet victus, non eſt victor. Romanum imperium Daniel vidit fortius omnibus regnis, regnum ferreum,& ſceptra de Chalybum durata caminis,quia tamen pedes habet miſtos luto, & ferro, coaleſcere non poteſt. Ferrum enim & lutum in vnam naturam commiſceri nequeunt. Ferrum pingui aëreo plenum frigore duratur, ſoluitur calore, & fluit riuis, lutum igne dureſcit, & in lapidem ſolidatur: vt autem duo miſceantur,eadem cauſa liqueſcere, & durari oportet. Hoc in imperio,hoc in corpore noſtro agitur, partium pugnæ exercentur, & internæ mortium cauſæ ſua bella peragunt: & membro læſo in puluerem a ſtiuæ areæ tota moles diſſipatur. Anima inter hos conflictus non poteſt non angi.

§ 4.

Vt corporum morbi, ita mala quoque reipublicæ effœta ſenecta augentur,omnia minoris momẽti ſunt, tendente ad finem mundo. Quo honor & gloria paucos annos victuro ? Si nongenti ſupereſſent tibi iam ſexagenario forte vanitas prouida ſibi videretur ad magna aſpirans,at iam pauci anni, & languor orbis interituri, præcidere iubet omnia. [f] Origenes morbum ante finem mundo tribuit. [g] Gregorius magnus mundi ætatem cum vita hominis comparat, in iuuenta viget corpus, ſenibus vita ſua ægritudo eſt. Mundum initio ad propagandam ſobolem fuiſſe robuſtum, ſalute corporum viridem, opulentia rerum

De mundi ſenecta.

f *Tract.* 25. *in Matth.*
g *Hom.* 1. *in Euang.*

Digitized by Google

pinguem, nunc ſenectute depreſſum, & quaſi ad vicinam mortem moleſtiis crebreſcẽtibus vrgeri. [h] Ambroſius quoq; depoſuiſſe mundum robur iuuentutis ſuæ, marceſcente vigore virium. [i] Cyprianus ſenuiſſe mundum, nec iam eſſe in robore iuuentutis ſuæ. Si igitur mundus ipſe canus, & anhelus rogum ſuum ſpectat, quid nos in illo opes, & gloriam æternam molimur? cur non animos ad cœlos nouos ad terram nouam erigimus? de quibus [k] Petrus & [l] Diſcipulus, quem diligebat JESVS, prophetant? Mundum perdidiſſe primæuas vires non vno modo accipio. Hominum ætatem defeciſſe ſenſim, & ex naturæ imbecillitate, ordine quodam non adducor vt credam. Ante diluuium ſuperabant annos nongentos, nunc pauci decimam partem attingant. Poſt diluuium multorum ætas quadringentorum annorum, media inter noſtram & antediluuianam. Tempore Abrahami adulti trecentos annos poſt diluuium, [m] centum anni ſenectam faciebant. cum Abrahamus eſſet centum annorum natus eſt Iſaacus. Erat vero illa ætas iam effœta, vt conſtat ex Scriptura. [n] *Erant autem ambo ſenes, prouectaq́; ætatis, & deſierant Saræ fieri muliebria. Quæ riſit occulte dicens: poſtquã conſenui, & Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo?* Hoc ipſum tempus Dauidis tempore decreuerat, [o] vt ex Pſalmis manifeſtũ eſt. *dies annorum noſtrorum in ipſis, ſeptuaginta anni*, ante diluuium non fuit tale decrementũ, cum tamen annis mille ſexcentis mundus, ſi naturale eſſet, pati aliquid debuerit, nam trecentis annis poſt diluuium ætas ad centum annos redacta eſt, celerrimo decremento, quod deinde ceſſauit, ſi enim eadem proportione breuioris vitæ & corporis homines naſcerentur, iam parui omnes & vix decem annorum naſcerentur. Ab Abrahamo ad Dauidem anni octingenti numerantur, & non multo minor ætas, nec ſtatura; nam tum quoque gigantes erant. Non erant maiores hominum vires Alexandri tempore, nec ætas longior, adeoq; nec pecudum, nec fru-

h *De bono mortis.*
i *Ad Demetrium.*
k 3.13.
l *Apoc.* 20.21.
Tempora ætatum.
m *Gen.* 21.5.
n *Gen.* 18.11.12.
o *Pſal.* 89.10.
Non defecit ſemper mundus.

fructuum terræ maior fœcunditas. Quæ quamuis aliquando deficiant, crebro tamen reparantur, naſcuntur è fortibus imbecilles, & ex debilibus validi, ipſa tellus exſucca & arida, letamine & rigatu ſe ipſa melior efficitur. Deliciis tamen eneruantur delicati, & vitia corporum in poſteros transfundunt. Inde quædam gentium ſenecta, & mundus ſe ipſo deterior. Romani Gallorum Inſubrium, & circumpadanorum corpora grandia longosq; gladios horrebāt, ipſi ſtatura & viribus impares. Poſtea ſub Cæſare Germani & Arioiuiſtus timebantur. Denique Hunni, Alani, Wandali, Gothi, Longobardi, Nortmāni metum incuſſere: nam qui communibus cibis veſcuntur, & exercentur validi redduntur, Itaque è locis incultis ac horridis gentium migrationes factæ, præſertim ex Scythia, mollitiem perditorum populorum caſtigarunt, & vires redintegrarunt, illis ſeruitutis laboribus, & ſobrietate exercitis, ne paulatim deliciis interirēt, ſic quoq; vrbes opulētas coloni, ac inquilini è pagis reſtaurant. Sine illa agitatione, ac proinde ſumma rerū incertitudine mundus conſiſtere poteſt. poſſe iſta reſtitui docet [p] Delrius noſter. *Humidum radicale reſtaurari, natiua illa nimia ſenectutis ariditas temperari, corrupto ſuccus melior ſuffici, cætera que deperdita, & ad hanc commutationem requiſita, ſupplei ad tempus, naturæ legi nihil repugnat. Sed nec impoſſibile, capillorum colorem mutari; cum & coruos candidos viſos multi tradiderint. Denique Metamorphoſim, quam nunc defendimus, confirmant non pauci locupletes teſtes. Duo legas exempla apud Torquemadam; Anno 1531. Tarenti fuiſſe Centenarium ſenem capularem. qui pilis, cute, vnguibus & ſitu atq; ſqualtore ætatis decidentibus, & in melioris ætatis omnia mutatis, de ſene iuuenis prodierit. & quinquaginta poſt annis ſuperuixerit. In Caſtellæ quoq; Rioiā alteri cuidam viro ſimilem obtigiſſe ſortem, idq; vulgi fama notiſſimū fuiſſe, & ab Ammira Caſtellæ ſedulo exploratum. Monuedrum regni Valentini oppidum eſt (olim Saguntus) hîc ſe viuo ſcribit Valeſcus Tarentaſius, fuiſſe monialium Abbatiſſam; cui iam ſilicernio, ſubito men-*

Vires reſtitui gentibus.

p *Del. l. 2. q. 23. pag. pag. 178. diſq. mag.*

Digitized by Google

menſtruis fluoribus renouatis, dentes renati, coma denigrata, rugæ & ſulci cutis adæquati, mammæ pendulæ atque pannoſæ ad inſtar virgunculæ ſororiarunt: ſic denique ſe vultu, facie, totoq; corporis habitu iuuenculam exhibuiſſe, vt rei nouitate percuſſa, præ verecundia, ſe cunctorum oculis ſubtrahere niteretur. Quid multa? *Luſitanicæ hiſtoriæ recentiores ſcriptores, fidei probatiſsimæ, commemorant longa narratione & certa, cuidam* Indo Nobili, *annorum quibus vixit trecentorum & quadraginta ſpacio, iuuentæ florem ter exaruiſſe, & ter refloruiſſe. Nec deſunt, qui in eodem orbe nouo quandam inſulam repertam teſtentur;* Bonicam *nomine, in qua fons ſcaturiat, cuius aqua, vino precioſior, pota ſenium cum iuuenta commutet, quamuis de ſimili in Lucaya fonte narrationem ortam ex regionis ſitu ſalubriore non immerito coniiciat* Pet. *Chiera* 2. *p.* 2. *hiſt.* Peruu. *cap.* 41. *verum ſiue in* Bonica, *ſiue in* Lucaya, *ſiue vtrobique talis fons manat, facile video, quam hæc incredibilia nonnullis videantur; ſed illi cogitent: huiuſmodi narrationibus, à quibus rectæ* Philoſophiæ *ratio non abhorreat, quia ipſe nihil tale videris, fidem detrahere; ſingularis eſſe proteruia & imprudentia: qui vero quid vbique geſtum fuerit vel non fuerit; id de ſua duntaxat opinione aut aſſenſione decernunt; inſania aſsidere.*

§ 5.

Mundus naturaliter nõ poteſt eſſe æternus vt iam eſt permanere.

An vero mundus eo modo, quo iam res eunt conſiſtere poſſit? Crediderunt veteres, fides noſtra abnegat æternum futurum. Quia ita factus eſt, vt ſine ſummo miraculo eſſe perpetuus non poſſit. Non quod res ipſæ reparari non poſſint, ſed quod longo ſæculorum fluxu aquā terra ſubeat, ideoq; reddatur anguſtior, mare terminos ſuos ſenſim dilatet. Hinc plurimæ eluuiones in locis maritimis, irreparabili oppidorum & agrorum iactura, in Belgio monumenta triſtia viſuntur, & luctatur ipſa tellus cum elemento veterem ſtationem repetente. Terræmotu aliquando nouæ inſulæ emicuere, ſed pauciſſimæ, minimæque, plurimæ merſæ ſunt. Spacia terrarum quotidie minuuntur, maria creſcunt. pluuiæ, niues, riui, amnes, flumi-

Digitized by Google

flumina de montibus lutum deuehunt, ripas atterunt, & cauant, turbido gurgite in Oceanum humum inferunt, grauia ſemper decidunt, non attolluntur, montibus ac collibus ſemper aliquid decreſcit, aquarum limpidi ſunt fontes, flumina lutulenta. Non obſeruant illud incolæ breuis æui, quia de magno exigua deciduntur, de magno aceruo pauca grana.

Experientia tamen hoc ipſum oſtendit: quorundam fluminum aluei limo & arenis opplentur, vt multo, quam ante annos ſexcentos altiores ſint. Portas veteres vrbis Moguntinæ notaui, quarum ſummos fornices Rhenus altior pene attingit. Vidi puteos fodi, & vrnas, in quibus cineres veterum reconditi ſeruabantur, ſex ipſos ſub aqua pedes. Vidi aquam iam ipſa rudera attigiſſe. non fuerunt tam depreſſæ portæ, nec oſſa ſub aquas defoſſa, ſed Rhenus ſenſim vndas extulit, & loca altiora occupauit. Cum igitur videamus amnes & flumina præſertim tumentia lutum deuehere ingenti copia, apparet ab æterno hoc fieri non potuiſſe, omnem terram enim abſumpſiſſet, nec poſſe durare æternum. Ideoq; omnia ruere natura, & nos ipſos. Nec obſtat, quod non aduertimus, contingit quod illis, qui [q] cicutam biberunt, aut aliud ſaporiferum virus, nō ſentiunt ſe mori, nos mundi bonis elati, non ſentimus nos citius, illum tardius ad interitum tendere.

Terra naturaliter mari obrueretur, ſi mundus diu conſiſteret.

q *Scalig. de ſubt. Exerc.* 152.

§ 6.

Imbecillitas noſtra maxime cognoſcitur, angelis comparata, [r] ne amicos quidem angelos ſine trepidatione cernit vir deſideriorum. Fortiſſimi ſpectris terrentur, comæ rigeſcunt, corpus mortuo miſerabilius eſt. Multis ipſe metus ad mortem ſufficit, non opus eſt catapultis, fluctibus, & montium ruina, guttula veneni idem poteſt, quod terræmotus, cataclyſmi & fulmina tormentorum. Cum illis verſari nos putemus, cnm principe Perſarum Græcorum, Hebræorumq;

r *c.* 9. & 8.

Facile eſt mori.

Digitized by Google

rumq; angelo. Illi nobiſcum ambulant, & nos honorant vero caritatis obſequio, acta noſtra vident, & qua ſunt ſagacitate etiam cogitationes. Si corpora ſpectamus ab omnibus ſuperamur, velocitatem aquilæ, arma leonis, elephanti robur miramur, nec tamen ponimus animos, cum vires exiguæ datæ ſint: non enim dedit illas Deus quas capere promptum eſſet, ſed quæ ferociam frangerent. Idcirco tot inopinas mortes cernimus, vt fiduciam ſuperbiamq; vitæ corrigamus. Braccius audito Sforciam in amne Amiterno ſubmerſum, gaudium de morte inimici preſſit, ſibi quoque inſtare fata haud falſo prædixit: nam poſt menſes quinque periit: Ex alieno incommodo ſuum æſtimabat. Quanta miſerorum ambitio? Rutilius leuiter æger, renunciata fratris repulſa exſpirauit. Quæuis cauſa ſatis eſt morti, Fabius Senator in hauſtu lactis pilo ſtrangulatus eſt. Anacreon acino, alius fumo exſtinctæ lucernæ. Etiam gaudia lethalia fuere, vt Chiloni, Sophocli. Signum infirmitatis, moriendi facilitas, ac celeritas, quæ ſenſum ſæpe præcipit. Verum nihil adeo potens eſt ad retundẽdam arrogantiam quam reddendæ cura rationis. Et quia ignoramus qua in ſtatione locandi ſimus. Nam ſi magnus & potens es, nõ ſunt electi multi potentes. Quiſq; itaq; ſæpe ſecum verba
s c.12.2. Danielis perpendat. [s] *Et multi de his, qui dormiunt in terræ puluere: euigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, vt videant ſemper.* Meminerintq; fragilitatẽ iuſtorum eſſe felicem, quæ omnem ſpem in reſurrectionis gloriam nos transferre cogat.

Cap. LXV.

Magnatum ac aulæ felicitas vera, falſa, eius æſtimatio, moderatio.

¶ I.

a l.5 c.37. Felicitas omnium in votis eſt, priſcis dea, & cum fortuna ſacrificio culta, vt teſtatur [a] Auguſtinus. Verum

rum donum Dei eſt, non ipſa dea. omnium bonorum cumulo, ſine mali admiſtione conſtat. Summa ſine dolore voluptas, in hac vita nõ eſt niſi in virtutis veræ cõſtãtia. Populi iudicio in palatio ſumma eſt, quia ibi humanorum bonorũ ſunt faſtigia. At vero Auguſtini iudicio reges Chriſtiani nõ ideo felices ſunt, quia opibus & ſucceſſibus valẽt, ſed quia ſeruiũt ſummo regi: nam infelix eſt, quiſquis Deum neſcit, aut cognito nõ paret, etſi omnia norit, & multa mundorum millia poſſideat. Deus enim gaudiũ piorum eſt, omnibus & ſingulis in ſolidum. Huius itaq; felicitas vitæ in bene viuendo cõſiſtit, vt monet Ariſtoteles. Auguſtinus ſignificãtius, in altitudine ſapientiæ, ſuauitate conſciẽtiæ, ſublimitate virtutum. Daniel nunquam felicitatem viuentium niſi ad cœleſtia bona reſpectu definit. [b] *Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus & linguæ ipſi ſeruient: poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.* Speciem regni angelus vnus exhibuit, magisq; Danielẽ terruit atq; in admirationẽ adduxit, quã vniuerſa Chaldæorum gloria. [c] *Et leuaui,* inquit, *oculos meos, & vidi: & ecce vir vnus veſtitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo, & corpus eius quaſi Chryſolithus, & facies eius velut ſpecies fulguris, & oculi eius vt lampas ardens: & brachia eius, & quæ deorſum ſunt vſq; ad pedes, quaſi ſpecies æris candentis: & vox ſermonum eius, vt vox multitudinis.* Hanc ſpeciem Prophetæ Deus oſtendit, vt intelligeret omnem regum magnificentiam de luto eſſe, omne gaudium interpolatũ miſtura doloris. omnia dulcia terminari acerbis, manere nos purã in alio mundo beatitudinem. Ea cauſa omnium beſtiarũ corpora exuſta, & in cinerem redacta toties inculcat, & regum horribiles exitus. Experti ſunt illud ipſi terrenæ felicitatis amatores, quos in falſa opinione beatitudinis exitium deprehendit. Indicatum hoc à priſcis Italiæ incolis, qui Latinarum feriis quadrigarum certamine victoriam conſecuto, quod ſummum decus habebatur, inter præmia abſinthiten propinabant.

Felicitas vbi.

b c.7.14.

c c.10.5.6.

§ 2.

§. 2.

Externa non faciunt felicem.

Non igitur felicem faciunt hominem, quæ extra animum ſunt, vti nec onera camelum, nec aſinum clitellæ, nec equum frena aurea, aut phaleræ. Seruitutis ſunt illa teſtimonia, & miſeriarum inſtrumenta. Non iuuat ægrum ſponda aurea, laſſat anhelum tam pondus auri quam laterum. Viuere beati omnes deſiderant, & ea quærunt, quibus miſeri fiant. Beata vita non eſt, niſi in bono certiſſimo. Illud in Deo eſt, & Deus eſt, pro illa vita hæc bene impenditur. Alte illud animo impreſſerat Cerealis vir Illuſtriſſimus, aulicus Cæſaris, ſed magis Chriſti. cui cum Licinius conſularis ſuaderet, vt idola coleret, ſæpiusq; rogaret, *vis viuere?* Reſpondit: *Si non vellem viuere, Chriſtum non colerem, non confiterer.* Hanc vitam non putabat vitam, in qua meliora præcedunt, deteriora ſequuntur, vt in vaſe, quod ſincerum eſt primum hauritur, fæculenta ad extremum ſubſidunt: ſed illam in qua non vnius æui turba ſumus, nec vnius ætatis ad finem properantis, ſed alumni æternitatis.

Hic etſi omnia ex animo cedant, non tamen lætandum eſt, ſæpius miſer eſt, cuius voluntas impletur. In hac vita bonus animus ad felicitatem omnia poteſt. Gaudenti carcer latus eſt, palatium mœrenti anguſtum, Daniel gaudet in lacu Leonum, Baltaſſar in conuiuio futura morte pallet. Felicitas huius vitæ tumet, plena vento, idcirco nihil recipit, illa plena Deo nil maius accipere poteſt. Hortamur itaque, vt hanc ad illam referat, qui per hanc ad illam eundum eſſe didicit.

Ætate fruere, mobili curſu fugit,
Vitæ optimos dies effluere prohibe.

Vita curanda.

Solus fruitur, qui virtuti ætatem impendit. nam lætus fructum exſpectat. Effluere ſinit, qui delicta iuuentutis, aut ſenectæ, aut inferis luenda tranſſcribit. His vita ſupplicium eſt, non felicitas, breue ſupplicium,

ſed

ſed quod morte inchoatur, non enim malis lethum eſt portus, ſed procella. Quare cum feſtinatione petend. ſunt æterna, quia [d] temporalia ſunt breuiſſima. Cauendum ne nos ſæculi ruina opprimat, intentos & attonitos inanibus. Excelſis multo facilius caſus nocet. Leoni rugienti

d S. *breuis vita & conſul. ad Polyb. Plut. ad Apollo.*

Placet in vulnus maxima ceruix.

Et Deus permittit. Nam vt in morborum doloribus incontinentes, ita in proſperitate ſtulti ſunt incurabiles. Segetem nimia perdit fertilitas, vt humi procumbat, immoderata felicitas laſſat, deinde ſternit animos imbeciles. Magnis ventis ſimilis eſt fortuna maxima, nunquam non abeſt. Magno robore opus eſt vt obſiſtatur turbini, maiore animo, qui felicitatem vincat.

§ 3.

Nihil in aula felix.

Cum igitur felicitatem non faciant opes, non veſtis Tyriæ fulgor, non vina, non dapes, non quicquid in aula blanditur illecebris, vel amplitudine percellit: alia quærenda via eſt. Nabuchodonoſor Chaldæus quicquid optarunt alij, poſſedit, auream ſtatuam fecit, quam nunc reges omnes ſimul non poſſunt. Rex regum erat & dicebatur, quod etiam Perſæ imitati ſunt [e] teſte Juſtino. [f] Briſſono. Regnauit ab India ad Æthiopiam vſque, imo vſq; ad Hiſpaniam, vt Euſebius ex Beroſo, Megaſthene, Abydeno probat. Quod quãuis nonnulli de Iberia Aſiatica intelligant, tamen veteres auctores de occidentali Iberia ſunt accipiendi. quod an verum ſit dubito, nam Hiſpanias occupare ſine Italiæ metu, motuq;, aut etiam damno non potuit, de quo tamẽ apud Romanos ſcriptores nulla eſt mentio. Verum de aulæ felicitate certum eſt, pleriq;, etiam Salomoni nocuiſſe. Maxime Antiocho, & Antichriſto infeſta, vt Daniel teſtatur, [h] *Secundum voluntatem ſuam & dirigetur dolus in manu eius: & cor ſuum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos: & contra Principem*

e *l.12.* f *l.1. de mõ Perſarum* g *De præp. Euang. l.9.*

Felicitas nocet. h *c.8.25.*

ſi alter, miſerum prædicabant. ſtolide inquam, neq; enim de felicitate vitæ fugientis breuitas, ſed æternitas iudicat. Deinde in ipſa æſtimatione felicitatis errabãt. Si dies in morbo, dolore, labore, contumelia, longus fuiſſet, atro calculo notabant: Si in conuiuio, luxu, iniuſta victoria, candore honorabant, at vero dies illi nefaſti erãt; & aterrimi, origines ærumnarum. Tanto dies illi infauſti magis, quanto infelicius eſt eſſe ſceleſtum, quam mœſtum. [a] Daniel vir deſideriorum Deo gratiſſimus, [b] Noacho, & Jobo comparatus à Spiritu ſancto, in exilium, in ſeruitutem, in odia impiorum, & inſidias natus eſt, ad flendas Babylonicæ captiuitatis ærumnas. Nec felicem fecit aulæ poteſtas & honos, ſed dignitatis contemptus. Totus liber Danielis nullum nominat, aut per ſigna deſcribit, non aduerſis exagitatum. Socij illius in fornacem coniiciuntur, paſſi, quicquid ferre animo deſtinarant. Sapientes Babylonis quæruntur ad mortem, Nabuchodonoſor cum beſtiis ſtabulatur: Baltaſar cum aula trucidatur, reges mutuis cadunt cædibus. Suſanna ad mortem ducitur, & quod morte grauius tanquam adultera.

Thracum error.

a *Daniel.* 1.
b *Ezech.* 14.14.

§ 2.

Nemo plane ita aberret, vt ſtatuat: Eos qui aduerſis conflictantur Deo gratos non eſſe. Sancti in proſperis pauent: non enim teſtis innocentiæ eſt proſperitas, ſed mentem à timore diuino ſoluit. Nec ærumnæ, calamitates, contumeliæ reprobationis indicia ſunt, ſed probatio virtutis. Nemo plura paſſus quam apoſtoli, & inter eos plura Paulus, quem præter cœtera etiam Deus naufragiis probauit, quatiebantur latera oneraria, ſtetit nauis mentis inuicta. Quicquid bonis mali obiicitur eſt vſq; ad tempus, [c] Antiochus cogitationes machinatur, contra munitiones, *ſed vſq; ad tempus.*

Aduerſitas electorũ eſt.

c 7.12.

Beſtiæ ſæuierunt in ſanctos, & dati ſunt illis in prædam, non q̃ à Deo derelicti ſint, vt bene puer heroici animi diſputabat. [d] *Noli fruſtra errare, nos enim propter*

d 2. *Macc.* 7.18.

nos metipſos hæc patimur, peccantes in Deum noſtrum: & digna admiratione facta ſunt in nobis: Et Daniel [e] *Aliarum*
e c.7.12. *quoque beſtiarum ablata eſſet poteſtas, & tempora vitę conſti-*
f c.7.12. *tuta eſſent eis vsque ad tempus & tempus.* [f] & cum tempus aduenit regnum datum eſt ſanctis. Nunc quidem contra ſanctos Altiſſimi præualet impietas, Diuinæ
g 7.25. prouidentiæ permiſſu atque ordinatione. [g] *& tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora & dimidium temporis.*

Hæc enim omnia complebuntur, ꝙ ſingulatim cōmendatum eſt Danieli vt intelligeret. *Intellige fili hominis, quoniam in tempore finis complebitur.* Et ſignāter addit:
h c.8.19. [h] *Dixitq; mihi. ego oſtendam tibi, quæ futura ſunt in nouiſsimo maledictionis: quoniam habet tempus finem ſuum.*

Daniel's ſancti patiuntur. Quorſum toties de aduerſitatibus loquitur Daniel, niſi vt ad eas ferendas vocari ſe iuſti & Electi norint, ne animum deſpondeant, definit tempus, & euoluto tempore promittit regnum, Conſideranda ſunt quæ
i c.11.32. de perſecutionibus ſcribit. [i] *Et impii in teſtamentum ſi-*
33.34. *mulabunt fraudulenter: populus autem ſciens Deum ſuum obti-*
35.36. *nebit & faciet. Et docti in populo docebunt plurimos: & ruent in gladio & in flamma, & in captiuitate, & in rapina dierum. Cumq; corruerint, ſubleuabuntur auxilio paruulo: & applicabuntur eis plurimi fraudulenter. Et de eruditis ruent, vt conflentur, & eligantur, & dealbentur vsque ad tempus præfinitum: quia adhuc aliud tempus erit. Et faciet iuxta voluntatem ſuam Rex, & eleuabitur, & magnificabitur aduerſus omnem Deum & aduerſus Deū Deorū loquetur magnifica. & dirigetur, donec compleatur iracundia: perpetrata quippe eſt definitio.*

Ne vero ſine redemptione ſe fore putent, poſt tribulationem de regno loquitur. Nam oblata poteſtate beſtiarū oſtenditur beſtialium reprobatio, & patientium
k c.7.18. aſſumptio. [k] *Suſcipient autem regnum ſancti Dei altiſsimi: & obtinebant regnum vsq; in ſæculum, & ſæculum ſæculorum.*

Non ſunt iſta de reſquis, congerie lapidum, per quā vrbium nidores aſcendunt, nec de vligine paludum accipienda: ſed de regno altiſſimi, de quo dicit Propheta. [l]

Digitized by Google

ta. [l] *Regnum autem & poteſtas, & magnitudo regni, quæ eſt ſubter omne cœlum, detur populo ſanctorum Altißimi: cuius regnum, regnum ſempiternum eſt, & omnes reges ſeruient ei, & obedient.* l c.7.27.

Itaque in Daniele pati aduerſa eſt electorum, ideo autem breue tempus ponitur, quia oſtenditur retributio. Sic Daniel poſt ſummam tribulationem, quæ tempore Antichriſti futura eſt, ſalutem Electorum collocat. [m] *In tempore autem illo conſurget Michael princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi tui: & veniet tempus, quale non fuit ab eo ex quo gentes eſſe cœperunt vſq; ad tempus illud. Et in tempore illo ſaluabitur populus tuus, omnis, qui inuentus fuerit ſcriptus in libro.* m c 12.1.

Salutem autem non temporariam, aut quæ ſit luti congeſtu, corporumve paſtu, ſed plane ſplendidam. [n] *Et docti fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* n c.12.3.

Breue igitur tempus eſt ſummæ tribulationis, Daniel explicat: [o] *Et audiui virum, qui indutus erat lineis, qui ſtabat ſuper aquas fluminus, cum eleuaſſet dextram & ſiniſtram ſuam in cœlum & iuraſſet per viuentem in æternum, quia in tempus & tempora, & dimidiũ temporis, & cum cõpleta fuerit* [illegible]*ſio manus populi ſancti, complebuntur vniuerſa hæc.* o c.12.7.

Joannes in Apocalypſi add[i]t, *non fore tempus amplius.* vt certo conſtet piis liberatio, non ſa[t] is eſt angelo dicere, iuſiurandum ſolenne præſtat. Paucis diebus definit abominationem deſolationis. [p] *Et à tempore cum ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta.* At qui eam vicerit, beatum prædicat. [q] *Beatus qui exſpectat, & peruenit vſq; ad dies mille trecentos triginta quinque*, omnia vero idcirco fieri aſſerit, vt [r] *Eligantur & dealbentur, & quaſi ignis probentur multi: & impie agent impii, neq; intelligent omnes impii, porro docti intelligent.* p c.12.11. q c.2.12. r c 12.10.

Omnes quos orbis infima cloaca continet, quam terram dicimus, boni & mali ad præmia proficiſcimur.

Plane ſimilis eſt militari expeditioni, qua itur ad triumphum, ad militiæ præmia. Eunt vna victi & victores, hi opibus, & gloria inclyti, illi mœſti catenis trahũtur, his æternus honos, illis mors non finienda.

§ 3.

Iuſti probantur.

s c.131.

Hæc etiam reliquæ Scripturæ comprobant. Nam & Jobum clades morbiq; fidum Deo monſtrarunt, & Tobiæ dicitur: [s] *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tentatio probaret te.*

t Eccli. 27.7.

Monet quoq; Salomon [t] *vaſa figuli probat fornax & homines iuſtos tentatio tribulationis.*

Plane in fornace vritur palea, purgatur aurum. Amaritudines miſcentur felicitatibus, acria ſunt condimenta ſuauium. Senſus eorum, quibus ſola dulcia placent, puerilis eſt. Infeliciſſimum genus eſt infortunij ſemper fuiſſe felicem, nunquam enim probatus eſt. Et miſer, qui nunquam miſer, ad lanienam enim alitur & ſaginatur. De talibus male iudicaſſe Deos Democritus putabat. Dominus quoque noſter, venire nos in mundum pronũciat, vt crucem feramus, nec ſe dignos eſſe, qui non tollunt crucem, & ſequuntur crucifixum: vitæ igitur rationes conturbant, qui ad hoc ſe natos arbitrantur, vt in ocio cum dignitate, ſine ærumnis viuant: Si nihil in aula aduerſi ſibi ominati ſunt, non modo cœleſtis prouidentiæ ſunt ignari, ſed vitæ quoq; communis, quæ etiam cum facilime tranſigitur, & quaſi aqua delabitur in mare mortuum, non poteſt eſſe ſine vexatione. Flumini enim vita ſimilis, quod curuo tramite decurrens, nunc ſcopulis ſuis illiditur & ſpumat, nunc in ripas impingit, nunc ex alto præcipitatur, in illud ſordes vndiq; ingeruntur, nauibus ſcinditur, in riuos ducitur, molibus arctatur. Vitam noſtrã nunc hoſtes impetunt, nunc æmuli frangunt, ægritudines ad finem impellunt, potentes premũt mundus contaminat, ſenectus conſtringit. Nemo tam ſtultus nauigat, qui non præſumpſerit tempeſtatem: Tu in aulam ingreſſus nihil mali euenturũ cogitaſti? Si euenturũ putaſti,

Bonum eſt aduerſa pati.

Vita flumen.

caſti, præſens perfer, turpe eſt ante pericula ferocem, in ipſis pauidum eſſe, nauem ingreſſus, de iactatione non queritur, nec malis quæ elegit ſponte, ſuccumbit. Qui iſta non meditatus incurrit, ad primum congreſſum vincitur, & miſeriam male ferendo geminat. Iuſtinus Iunior capto Circeſio in furorem actus, nec ſani quicquam agere, nec cogitare potuit. Coſroës rex Perſarum in carcere obiit mœrore, ad proſpera fruenda inſtitutus erat, aduerſis impar. Vix Chriſtianus eſt, qui cum incommodo aliquo pulſatur, dolori, aut iræ immittit habenas, meminerint medios inter fluctus ſe deprehēſos à tempeſtate: ſub periculo durandum. Melius per ſentes & aſpreta itur ad gloriam, quam per amœnitates ad exitium. Omnia præſentis vitæ mala cum corpore moriuntur, at peccata morte reuiuiſcunt, ad quæ vitanda & corrigenda dum à Domino corripimur, ſpem concipimus, cum hoc mundo non damnandos. *Iuſtinus Cæſar.* *Coſroes.*

§ 4.

Dum clades ingruunt, dum triſtibus flagellamur, manſueſcere diſcimus, humanitatem amiſſam reddit aduerſitas. [u] Leæna Danielis dum alis ſuper omnia euehitur, in omnes ſæuit, euulſis alis cor hominis datum eſt: Diſcit imbecillitatem, & mores belluinos exuit. Chaldæus Monarcha, vt homo fieret, in beſtiam mutatus eſt. Dum omnia feliciter eueniunt, adulatur illis ſanitas falſa & decipit, inerti tranquillitate torpeſcunt: ingenium felicitate corrumpitur, vt quiete ſtagnantes aquæ. Vitium non apparet, niſi moueantur, concuſſæ graueolentiam exhalant. Alexander bello nobilis Maximiano occulta vitia exprobabat, & aperta, quæ felicitate occœcatus, non videbat, *Tu habes*, inquit, *Inſanabile malum actus tuos.* Ex illis inhumana crudelitas. Nec in aula ferociores facile inuenias illis, quos in deliciis viuentes fiducia ſui deludit, ſine metu deterioris fortunæ. Humaniſſimi fere ſunt tribuni, cēturiones, milites veterani, quos vigiliæ, caſtra, vulnera, fames & plurimorum mortes contemnere humana docuerunt. Plus in ſago, & galea, *Mala docent humanitatem.* *u c. 7. 3. 4.* *Alexander Martyr.*

inter arma & cædes humanitatis diſcitur, quam inter fallaces aulæ blanditias: nimirum mala nos nobis aperiunt: Nabuchodonoſor inter beſtias humanitatem didicit. Felicitas ſuperbiæ mater, huius iniuria proles eſt.

Religio creſcit aduerſis.

Mœror & quæ pulſant mala cordis humani ſunt vincula, quæ ventis agitantur arbores altius figunt radices. Noſtra perſecutionibus creuit religio, in pace deteriores facti ſunt Chriſtiani: vt inter alios [x] Nazianzenus probat. Hoc etiam [y] Bozius ex fida Eccleſiæ hiſtoria demonſtrat, iniquiſſimis temporibus latiſſime fidem propagatam. Hyems lenior eſt arborum, vt Plinius docet Proſperitas eſt Eccleſiæ pernicies. Vbi nihil aſperum, atq; aduerſum occurrit, profectus non eſt ſolidus. In agro Syracuſano ſi lapides auferas, ſterileſcunt fruges. Dura fidem firmãt, vbi ſolidũ fundamentum non eſt, labunt ædes. [z] Arnobius ſane aduerſis creſcere religionẽ docuit. *Nonne vel hæc ſaltem fidem vobis faciunt argumenta credendi, quod iam per omnes terras in tam breui tempore & paruo, immenſi huius ſacramenta diffuſa ſunt? quod nulla iam natio eſt tam barbari moris, & manſuetudinem neſciens, quæ non eius amore verſa mollíuerit aſperitatem ſuam, & in placidos ſenſus aſſumpta tranquillitate migrauerit? quod tam magnis ingeniis præditi Oratores, Grãmatici, Rhetores, Conſultiiuris, Medici, Philoſophiæ etiã ſecreta rimantes, Magiſteria hæc expetunt, ſpretis quibus paulo ante fidebant: quod ab Dominis ſe ſerui cruciatibus affici, quibus ſtatuerunt, malunt, ſolui coniuges matrimoniis, exhæredari à parentibus liberi, quam fidem rumpere Chriſtianã & ſalutaris militiæ ſacramenta deponere? quod cum genera pœnarum tanta ſint à nobis propoſita religionis huius ſequentibus leges, augeatur res magis, & contra omnes minas atq; interdicta formidinum animoſius populus obnitatur, & ad credendi ſtudium prohibitionis ipſius ſtimulis excitetur.*

[x] Orat. 3.
[y] l. 5. c. 6. de ſignis eccleſ.
[z] l. 2. p. 26

§ 5.

Proſpera atque aduerſa non æſtimare, vnicum inuidiæ remedium eſt, quæ in aula fere principatum exercet.

cet. Chaldæi liuore & maleuolentia [a] Danielis collegas accuſant. *Sunt ergo viri Iudæi, quos conſtituiſti ſuper opera regionis Babylonis, Sidrach, Miſach, & Abdenago: viri iſti contempſerunt, rex decretum tuum, Deos tuos non colunt, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adorant.* Sub Dario Medo alij homines, mores etiam peiores: non ſuo periculo, non innocentia Danielis mouentur, vt parcant, plane tartareum illud vitium eſt. Quare & illi, & vxores, liberique pereunt. Non inuidebant ſapientiæ, non innocentiæ, ſed futuræ dignitati. quia magni illam æſtimabant, dæmon cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum, præ omnibus inuidet ſaluti. Illi inuidiæ ſimilima fuit prima hominis ex qua mors fraterna ſecuta eſt, Dei enim beneuolentiam Cainus inuidebat Abeli. Omne genus hominum illa peſtis infeſtat, interdum afflat & ſanctos. aulam inſtar ſpectri, aut Bacchantis Empuſæ funeſtat. Cauſa eſt quædam paritas, & rerum animorumq; ſimultas; nam figulus figulo, & medicus medico inuidet. gratiſſimus regi quisque eſſe deſiderat, ſi ille in alium eſt pronior, liuore mox tabeſcit, & vt vultur cadaueri, ita malis illius imminet, atque inhiat. Gladiatores odere pares, in arena concluſi, ferro & igne in pugnam adacti inuident; mors aduerſarij cuique victoria eſt. vnde tantum mali? Socios oderunt, & magna petunt quæ petuntur. Pœna inuidiæ eſt aliena felicitas, ſolatium aduerſitas, errore magno. Nam aduerſa proſunt, proſpera diſſoluunt, nemo inuidet Martyri in rogo, vel eculeo ſudanti, inuident aſoto luxurianti. Puſilli enim animi eſt inuidia, res paruas magni æſtimat, filia ſuperbiæ, genimen viperinum, matris interfectrix. Rheda tranſit, & tonitru putat, tubus eſt Aſtronomicus, qui ex minimis facit ingentia. Semper redit in auctorem, comes fortunæ eſt. Vere [b] Statius

Innidia ex rerum fluxarum nimia æſtimatione.

Peruerſè inuident.

b *l.5.Syl.*

Quisnam impacata conſanguinitate ligauit,
Fortunam inuidiamq; Deus? quis iuſſit iniquas
Æternum pugnare deas? nullamne notabit

a *Dan.* 1. 3. regi tamen Jechoniæ non aperuit carcerem. [*a*] *Et ait rex Aſphenez præpoſito Eunuchorum, vt introduceret de filiis Iſrael, & de ſemine regio & tyrannorum.*

Danieli & ſociis creſcendi initium generis claritudo dedit. Virtutem barbarus non videbat. Nec alia

b *Eccl.* 10.17. mens Salomonis. [*b*] *Beata terra, cuius rex nobilis, & cuius principes veſcuntur in tempore ſuo ad reficiendum, & non ad luxuriam.*

Eleazarus ſane heros fortiſſimus nobilitatis cogita-

c *l.* 2. *c.* 6. 23. tione, ſe ad virtutem excitat, vt teſtatur hiſtoria [*c*] Maccab. *At ille cogitare cœpit ætatis ac ſenectutis ſuæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atq; à puero optimæ conuerſationis actus.*

Razias quoq; nobilitatis & natalium memor, mori

d 2. *Maccab* 14. 37. & *ſeq.* quam indigne tractari ab hoſtibus maluit. [*d*] *Razias*, inquit, Scriptura, *quidam de ſenioribus ab Ieroſolymis delatus eſt Nicanori, vir amator ciuitatis, & bene audiens: qui pro affectu pater Iudæorum appellabatur. Hic multis temporibus continentiæ propoſitum tenuit in Iudaiſmo, corpus & animam tradere contentus pro perſeuerantia. volens autem Nicanor manifeſtare odium, quod habebat in Iudæos, miſit milites quingentos, vt eum comprehenderent. Putabat enim, ſi illum decepiſſet ſe cladem Iudæis maximam illaturum. Turbis autem irruere in domum eius, & ianuam diſrumpere, atq; ignem admouere cupientibus, cum iam comprehenderetur, gladio ſe petiit. Eligens nobiliter mori potius, quam ſubditus fieri peccatoribus & contra natales ſuos indignis iniuriis agi. Sed cum per feſtinationem non certo ictu plagam dediſſet, & turbæ intra oſtia irrumperent, recurrens audacter ad murum, præcipitauit ſemetipſum viriliter in turbas: quibus velociter locum dantibus caſui eius, venit per mediam ceruicem: & cum adhuc ſpiraret, accenſus animo, ſurrexit & cum ſanguis eius magno fluxu deflueret, & grauiſſimis vulneribus eſſet ſaucius, curſu turbam pertranſiit. & ſtans ſupra quandam petram præruptam, & iam exanguis effectus, complexus inteſtina ſua, vtriſq; manibus proiecit ſuper turbas, inuocans dominatorem vitæ & ſpiritus, vt hæc illi iterum redderet: atq; ita vita defunctus eſt.*

Razias nobilitati conſentanea agit.

Scio

Digitized by Google

Scio factum Raziæ à nonnullis reprehendi, quod negant vllius ſui occidendi datum eſſe, verum cum tot Martyrum natalitia celebremus, qui in ignem, & in flumen ſe ex alto præcipitarunt, ſpecialiſſimo S. Spiritus inſtinctu, non eſt cauſa, cur Raziæ diem dicamus, qui eadem duce nobiliter mori elegit. [e] Serarius præceptor meus eum defendit Auguſtino accuſante, quamuis ille, contra circumcelliones diſputans, quod ex communi norma, non quod ſpeciali Spiritus ſancti afflatu liceat, definit. [f] Samſon columnam deiicit, & moritur anima eius cum Philiſtiim [g] ex Epiſtola tamen ad Hebræos ſanctum eſſe docemur. Tobias etiam genus ex comite filij ſui quærit, & cum intelligit eſſe Azariam Ananiæ filium ex magno genere eſſe affirmat. [h] Balaam quoque nobiles, deinde nobiliores ad Balacum mittit legatos. [i] Sur erat nobiliſſimus, erat princeps Moabitarum, nulla tamen re alia quam lenocinio filiæ notus.

e *Comm. in Macc.*
f *Iudicum* 6.29.30.
g c.11.
h 22.15.
i *Num.*15. 25.15.

§ 2.

Nemo quamuis promptum habeat in aſſentationes ingenium potentibus aduletur, nemo nobilibus. omnes naſcimur pares. Hoc ius gentium eſt, de eodem luto pauper eſt, & reges. Licet hos aurum, illos de ceſpite culmen tegat, quæ & ipſa de luto ſunt. Plus in auro ſplendoris, plus in ceſpite fructus. Quare ſtulti ſunt, qui aliena bona iactant, vt propria nulla habeant. Juſtum eſt piis gaudere parentibus, qui benedictionem Dei poſteritati relinquunt, at nunc, qui genere nituntur, magnos iactant, non bonos, non pudet improborum progenitorum, ſed pauperum, qui error in regia cœleſti damnatur: atque in angelorum concilio perinde ridetur, ac ſi quiſpiam de parentibus cruciariis, beſtiariis, buſtuariis ſeſe extolleret. Vere ad Imperatorem ſuum Agapetus: *Maiorum nobilitate ne quis delitietur: limum enim habent omnes generis auctorum, & qui purpura byſſoq; turgent, & qui paupertate & aduerſa valetudine*

Pares omnes naſcimur.

Ad Iuſtinianum Imperatorem.

tudine affliguntur, tam qui diademate redimiti ſunt, quam qui per cubicula excubant: ne igitur lutulentum iactemus genus, ſed morum integritate gloriemur. Scito ô pietatis diuinitus fabricatum ſpecimen, quia quanto maioribus dignus habitus es tribuente Deo muneribus, tanto maius ipſi nomen es. ergo redde benefactori debitum gratitudinis, acceptāti debitum vt meritum, & beneficio beneficium rependenti: ipſe enim ſemper & beneficiis prior promeretur, & vt debitum beneficia repenſat. gratitudinem autem exigit à nobis, non quæ verborum blandorum prolatione, ſed quæ rerum piarum oblatione peragitur.

Nobilitas itaq; nulla eſt, aut laus exigua Chriſtiani, ſi Hieronymo credimus: Ex vno omnes naſcimur, ex vno renaſcimur, non vileſcere peccatis, vera eſt generoſitas, non ſeruire dæmoni vera libertas.

¶ 3.

Nobilitas in virtute. Virtutis igitur totum eſt, quod nobilitat. Bene docuit Democritus nobilitatem pecorum in valido corpore, hominum in virtute cenſeri: tribuendus illi honor cum adſunt mores, & dotes animorum: quas natura inchoat, inſtitutio perficit. [k] *Annus producit*, inquit Eurip. *non ager, educatio mores, non genus.* Suffocari ſe clamabat Epicharmus, cum de genere ſe iactarent ignobiles. Quid enim cœco cum ſpeculo? Degenerem dedecorat proſapia. *Degeneres.* Ariſtippus filios ignauos, & improbos ſpernebat, nec magis curandos iudicabat, quod ex ſe nati eſſent, quam pediculos, aût pulices. Nimis hoc aſperum, nec paternum illud Stilponis, cum diceret: *Filia me non dedecorat, nec illam ego decoro.* Demetria degenerem occidit. Huniades quoq; Henrico imaginibus glorianti occinebat,

Non maioribus tuis, ſed tibi me comparo.

Non naſcitur è milite miles, nec ex luctatore luctator. non eſt nobilitas, quam ſola oſtentant inſignia, nobilis eſt, quem vita ſancta commendat, quem gratia honeſtat, ne degeneret, quæ dedignatur ſeruire vitiis, quæ probitatem morum fuco, & tumulis opponit, hæc eſt

k *In Hecuba.*

eſt ſuperna, ſanguis virtutum, de ſanguine Chriſti ornatum trahens, non à malis, non à ſepulchris, non illa quæ ſæpe ex malis, ſæpe ob flagitia, ſæpius venditur [l] ab Eunuchis & regiæ gratiæ inſtitoribus. Miſer eſt, cui ſola maiorum virtus eſt, miſerior, qui auorum criminibus clarus eſt, miſerrima eſt ſuperba nobilitas, quę cœlo ignobilis eſt. Non eſt tuum, quod fortuna fecit, tuum non eſt tuum, quod maiores abſtulerunt, & tumulo condiderunt, nihil tuum eſt, niſi opera tua. Genus cum loco virtutis ponitur, reſpublica interit. Nobilitas debet imponere tibi neceſſitatem non degenerandi, ne illud audias: Heroum filij noxæ. Hanc ignobilitatem ſenibus Daniel exprobrat. [m] *Semen Chanaan & non Iuda.* Virtutum ſemen ille æſtimat damnat vitiorum plebeitatem: Vere [n] Nazianz. *Si vero perfectius & latius poſtulatis, tale erit: Hic ex optimis optimus, & ex nobilibus nobiliſſimus. Nobilitatem autem dico, non quam plerique exiſtimant: abſit. Non enim noſtrum eſt, nec philoſophicum, eam admirari, quæ à fabulis & ſepulchris, ac ſupercilio iampridem putreſacto manat: nec eam, quæ ex ſanguinibus & literis oritur, quam noctes largiuntur, ac regum, ignobiliũ quoque fortaſſe, manus, nobilitatem, velut quiddam aliud, iubentium: ſed quam pietas & mores notant atque indicant, & ad primum illud bonum, ex quo originem traximus, aſcenſio. Huius nobilitatis hoc vnum argumentum eſt. Non enim Martyr duntaxat ipſe eſt, ſed etiam ex Martyribus. Itaque virtutis exemplum ipſe domi habuit.* Virtute Chriſti, non natiuitate gratia, regnumque acquiritur, fidei puritas, virtutis integritas. Vna vera eſt nobilitas, ipſa pietas, vt ſciamus, vnde progreſſi ſimus, quo ituri. Illa quæ legibus curiæ ſancitur, ſine pietate euanida eſt.

l *Iſid. l. 1. Epiſt. 291.*

m *c. 13.*

n *Orat. 23.*

Audite viri nobiles Nazianzenum nobilem genere, nobiliorem eruditione, & Patriarchatu, ſanctitate nobiliſſimum. Veram nobilitatem hunc in modum deſcribit. *Nobili loco natus eſt? Probitatem morum generis ſplendori opponet, atque ex aduerſo ſpectandã producet. Ita, duplici nomine clarus erit, nempe & maiorũ imaginibus, & propria*

Triplex nobilitas.

virtu-

virtute, ac priuatim inſpectus. Obſcuro & ignobili genere ortus eſt, quantum ad ſtatuam & lutum attinet? (ſi quid tamen magni inter lutum ac lutum intereſt) at ſpiritualem nobilitatem illius loco afferet & qua ſeſe quisq; vel in melius, vel in deterius effingit: reliquas autem nobilitates, quæ vel ſeruntur, vel principum diplomatibus comparantur, vt viles & adulterinas, nulloq; in pretio habendas procul ſubmouebit. Eſt enim triplex genus. Vnum, quod ſuperne originem traxit: quod quidem ſi conſideremus, omnes peræquè nobiles ſumus, quippe ad imaginem Dei creati. Alterum, quod à ſanguine proficiſcitur: cuius ratione haud quidem ſcio, an quisquam nobilis dici poßit, cum corruptione conſtet. Tertium à virtute aut vitio agnoſcitur, cuius vel vberius, vel exilius participes efficimur, prout, opinor, diuinam imaginem vel integram ſeruauerimus, vel corruperimus. Atque hanc demum nobilitatem amplectetur, quisquis verè ſapiens ac Philoſophus fuerit. Nam quartum illud nobilitatis genus, quod in principum diplomatibus & edictis conſiſtit, tum vllo loco ac pretio habebo, cum pictam quoq; pulchritudinem laudandam duxero, ſimiamq; ob id venerari cœpero, quod leo eſſe iuſta ſit.

Nobilitas igitur Chriſtiani eſt imago Dei, ad quam es creatus, ea integra, atque ad Archetypum aſſimulata, ſi conſeruetur, aut vbi vitium fecit, reparetur. Quid moraris mortalia, & de maioribus gloriaris, à Deo animus factus eſt, & ad creatoris ſimilitudinem, quæ incluſa temporario vaſculo, ſed luteo, de carcere, aut carceris ſui conditoribus laudem nō niſi inaniſſimam captare poteſt. Hanc Chriſtiani hominis nobilitatem, dignitatemque luculentiſſime Macarius expoſuit. Nam in ſolo homine Deo complacuit, eum ſuper omnia, etiam angelos extulit, ipſe Chriſtus Dei filius Deus, homo factus eſt, non angelus, amicos, fratres, conſanguineos nos ſuos fecit: Dominus fratrem ſe profitetur. [o] *Et extendens manum in diſcipulos ſuos dixit: Ecce mater mea, etiam fratres mei. Quicunq; enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.*

Nobilitas imago Dei.

o *Matth.* 12.49. 50.

At

Digitized by Google

At vero improbis nulla eſt nobilitas vera. De his elogium Domini habemus. [p] *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.* & Elymam [q] Paulus filium diaboli nominat. *O plene omni dolo, & omni fallacia fili Diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubuertere vias Domini rectas.*

p *Ioan.* 8.44.
q *Act.* 13.10.

Et Joannes [r] *In hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli. Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt. In hoc manifeſti ſunt filii Dei, & filii diaboli. Omnis qui non eſt iuſtus, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum.*

r 1.*Ioan.*3. 8.9.10.

Hæc ergo eſt nobilitas noſtra, iuſti ſunt filii Dei, non eſt maius ſtēma, cœlo fixum eſt. Impij filij ſunt diaboli, non eſt maior contumelia, fœditasq; terræ intolerabilis, ſub terram condenda, inferis vrenda. Vbi plurima eſt mundi nobilitas, vbi potentes torquentur potentius. Non enim multi nobiles, non multi potentes ſunt à Deo electi, vt teſtatur, qui in tertio cœlo audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Paucitatem tamen nobilium & potentium cœlo inferendorum putauit illicitū tacere. Imo hoc Spiritus ſanctus reuelauit, ne quiſpiam ſe ex eorū numero eſſe gloriaretur, quorum pauci electi, multi ſunt reprobi. Nobilitas ſi cœlo gratior, quam plebs eſſet, appetenda foret. Si priuilegia Cæſarum, titulorū ſeries, & ſigna in cancellaria æternitatis, in libro vitæ rata eſſent, iure optimo ceræ atriorum oſtentarentur: Nūc quia pauperum, initium, lugentium, perſecutionem patientium eſt regnum cœlorum, non multorum nobilium, non multorum potentium, paueant, qui in illo ſtant ordine, quorum multi pereunt, pauci ſaluantur.

Soli iuſti nobiles.

Pauci nobiles ſaluantur.

§ 4.

Cur vero pauci nobiles electi, cur cum inſignibus, & funerum pompa ſubeunt barathrum, æternum arſuri? Perpetuum malum nobilitatis quo pereunt, eſt ſuperbia, Deo inimica: quod olim fuiſſe Saluſtius aliiq;

tradiderũt. Alterum malũ, ꝙ maiores ſuos in ſuam gloriã vixiſſe ſuſpicentur, ocio ſe dedant, & luxui, [s] Philip. Commineus nobiles ſuæ ætatis, nihil ſcire ait, quaſi ad ludũ iocumq; nati ſint, aliis negocia cõmittere. Nõ ita Mamas martyr admirandus, qui licet ob nobilitatẽ tormentis exciperetur, ſibi tamen mortẽ pro Chriſto potiorem quouis honore profitetur. Non Rufina nobiliſſima Romanarũ: cum enim Archeſilaus religionẽ Chriſtianam nobilitate indignã aſſereret, illa cum ſorore Secunda, improperium Chriſti ſolam nobilitatem eſſe pronunciat, & hoc teſtatæ nobiliſſime moriuntur ambæ. Romanus etiam martyr apud Prudẽtium aliud nobilitatis, & plebis diſcrimen eſſe pernegat.

s l.1.

Mamas. t Surius in eius vita.

Rufina Secunda.

Generoſa Chriſti ſecta nobilitat viros.
Si prima noſtris, quæ ſit incunabulis
Origo textu ſtemmatis receuſeas.
Dei parentis eſſe ab ore cœpimus.
Cui quiſq; ſeruit, ille vere eſt nobilis.
Patri rebellis inuenitur degener.

Nobilitas ante diluuium.

Qui igitur ſe meliores aliis, qui ab eodem conditoris ore eſſe & viuere cœperunt, vani arbitrantur, merito à Deo repelluntur. Sane annis ante diluuium 1600. nemo de nobilitate ſe iactare poterat. Annis namq; nongentis triginta, quibus ille vixit, omnium parens auus, atauuſq;, monſtrabatur. Ad Cataclyſmũ vſq; viuebant multi filij, & filiæ, quos Adamus genuerat, iam ſenior, & ſi nobiles, qui nunc ad Agamemnonẽ, & Troianos genus referre amant, maiores ſuos viderent forte plures, quorum puderet, q̃ quos gloriæ ſibi eſſe crederent viderent. Jactantia. n. nobilitatis eſt de vitæ breuitate, non probitate. Si auus ſancte, integre, vixit, nõ cenſetur filius nobilis. Si per fas, & nefas ad honores euectus eſt, & nunc ſub ignib. deteſtatur diẽ natiuitatis ſuæ, de parentis inteſtabilis damnatu, de radice peccati ſoboleſcit nobilitas poſterorum. Miratus ſum & illud, ꝙ in [u] actis Apoſtol. legitur. Paulo reddidiſſe mulieres nobiles nõ paucas, grande miraculũ, ꝙ indicare Spirit⁹ S. voluit, & obſeruari: magna. n. opus gratia, vt celſa faſtigia humilitati Chriſtianæ inclinari ſe permittant. Sed cur nihil de viris? non multi nobiles, non multi potentes, plures pereundi occaſiones viris, quam fœminis.

u c.17.4.

Digitized by Google

§ 5. Nobilitas in Scriptura magis à virtute, & dotib.
laudatis, quã genere accipitur. [x] Moſes cõſtituit du- *Nobiles facti.*
ces & tribunos, nobiles, ſeu notos, ἐπικλήτους, qui no- x *Num.1. 6.16.*
minatim vocabãtur. Et deinde: [y] *Non valeo ſolus nego-*
tia veſtra ſuſtinere, & pondus ac iurgia. Date ex vobis viros ſapi- y *Deut.1.*
entes & gnaros, & quorũ cõuerſatio ſit probata in tribubus ve- *13.14.15.*
ſtris, vt ponã eos vobis principes. Tunc reſpondiſtis mihi: Bona res
eſt, quã vis facere. Tuliq; de tribubus veſtris viros ſapiẽtes, & no-
biles, & conſtitui eos principes tribunos, & cẽturiones, & quin-
quagenarios ac decanos, qui docerent vos ſingula. [z] *Et Samuel*
vocatur vir nobilis, ἔνδοξος, *Hebræis honorat⁹. grauis.* [a] *Tales* z *1.Reg. 6.9.*
erant cũ Dauide fortes factis nobiles. [b] *Talis maritus fœminæ* a *2.Reg.*
ſapiẽtis. [c] *Alexander quoq; pueris nobilibus, h.e. bellatorib. for* *23.19.23.*
tiſsimis diuiſit regnũ. Nobiliũ cũ ab honeſto diſceſſerũt præcipua b *Prou.31.*
pœna. [d] *Reges improbi alligãtur in cõpedib. & nobiles eorũ in* *23.*
manicis ferreis. [e] *Turbata rep. inſurgit ignobilis contra nobilẽ* c *2.Macc.*
ἄτιμος πρὸς ἔντιμον, *Inhonoratus contra honoratũ.* Nobilium *4.7.*
cædes facta in clade Judaica. [f] *Propterea captiuus ductus* d *Pſalm.*
eſt populus meus quia non habuit ſcientiã, & nobiles eius inter- *149.8.*
ierunt fame & multitudo eius ſiti exaruit. Propterea dilatauit e *Iſai.3.5.*
infernus animã ſuam, & aperuit os ſuum abſq; vllo termino, & f *Iſai.5.13.*
deſcendẽt fortes eius, & populus eius, & ſublimes, glorioſiq; eius, *14.*
ad eum. Nabuchodonoſor cũ Sedeciæ filios, in patris a- *Nobilium malorum pœna.*
ſpectu occidit, ipſum exoculauit, plebi pepercit, nobi-
litatem deleuit. [g] *Et occidit rex Babylonis filios Sedeciæ in*
Reblata, in oculis eius: Et omnes nobiles Iuda occidit rex Baby- g *Ierem. c.39.6.*
lonis. Quo hoc oſtenditur ꝙ ſupra monui, paucos nobi-
les ſaluari, delinquẽtes acerbius puniri. Teterrimus re-
gũ, aſperrimus tyrãnorũ, Eccleſię perſecutor radix pec- *Ignobile initium.*
cati, figura eſt Antichriſti Antioch⁹, qui appellatus eſt
[h] nobilis. Nemo excepta ipſa beſtia à Daniele ſcelera- h *2.Macc. 2.21.*
tior deſcribitur. Monarchiarũ initia non modo parua,
ſed etiam vilia, & pudẽda fuerunt. Chaldæi mancipia
Aſſyriorum, Perſæ Medorum, Macedones fœdiſſima
gens, Romæ cõditor ne legitime quidẽ natus, & in A-
ſylo fæces Italiæ, qui patrẽ nominare poſſent patricia
dignitate non tam inſignes erant, quam aliorum ſpu-
rium genus arguebant. Regia tribus erat Judæ, de in-
ceſtu tamen auctoris. ex ea Chriſtus naſci voluit, nec

Digitized by Google

nos metipſos hæc patimur, peccantes in Deum noſtrum: & di-
e c.7.12. *gna admiratione facta ſunt in nobis:* Et Daniel [*e*] *Aliarum*
f c.7.12. *quoque beſtiarum ablata eſſet poteſtas, & tempora vitæ conſti-*
tuta eſſent eis vsque ad tempus & tempus. [*f*] &cum tem-
pus aduenit regnum datum eſt ſanctis. Nunc quidem
contra ſanctos Altiſſimi præualet impietas, Diuinæ
g 7.25. prouidentiæ permiſſu atque ordinatione. [*g*] *& tra-*
dentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora & dimidium
temporis.

Hæc enim omnia complebuntur, quæ ſingulatim cõ-
mendatum eſt Danieli vt intelligeret. *Intellige fili homi-*
nis, quoniam in tempore finis complebitur. Et ſignãter addit:
h c.8.19. [*h*] *Dixitq; mihi: ego oſtendam tibi, quæ futura ſunt in nouiſſi-*
mo maledictionis: quoniam habet tempus finem ſuum.

Danielis ſancti patiuntur. Quorſum toties de aduerſitatibus loquitur Daniel,
niſi vt ad eas ferendas vocari ſe iuſti & Electi norint,
ne animum deſpondeant, definit tempus, & euoluto
tempore promittit regnum, Conſideranda ſunt quæ
i c.11.32. 33.34. 35.36. de perſecutionibus ſcribit. [*i*] *Et impii in teſtamentum ſi-*
mulabunt fraudulenter: populus autem ſciens Deum ſuum obti-
nebit & faciet. Et docti in populo docebunt plurimos: & ruent
in gladio & in flamma, & in captiuitate, & in rapina dierum.
Cumq; corruerint, ſubleuabuntur auxilio paruulo: & applica-
buntur eis plurimi fraudulenter. Et de eruditis ruent, vt conflen-
tur, & eligantur, & dealbentur vsque ad tempus præfinitum:
quia adhuc aliud tempus erit. Et faciet iuxta voluntatem ſuam
Rex, & eleuabitur, & magnificabitur aduerſus omnem Deum
& aduerſus Deũ Deorũ loquetur magnifica, & dirigetur, donec
compleatur iracundia: perpetrata quippe eſt definitio.

Ne vero ſine redemptione ſe fore putent, poſt tribu-
lationem de regno loquitur. Nam oblata poteſtate be-
ſtiarũ oſtenditur beſtialium reprobatio, & patientium
k c.7.18. aſſumptio. [*k*] *Suſcipient autem regnum ſancti Dei altiſſimi:*
& obtinebant regnum vsq; in ſæculum, & ſæculum ſæculorum.

Non ſunt iſta de teſquis, congerie lapidum, per quã
vrbium nidores aſcendunt, nec de vligine paludum ac-
cipienda: ſed de regno altiſſimi, de quo dicit Prophe-
ta. [*l*]

Digitized by Google

ta. [l] *Regnum autem & poteſtas, & magnitudo regni, quæ eſt ſubter omne cœlum, detur populo ſanctorum Altiſſimi: cuius regnum, regnum ſempiternum eſt, & omnes reges ſeruient ei, & obedient.* l c.7.27.

Itaque in Daniele pati aduerſa eſt electorum, ideo autem breue tempus ponitur, quia oſtenditur retributio. Sic Daniel poſt ſummam tribulationem, quæ tempore Antichriſti futura eſt, ſalutem Electorum collocat. [m] *In tempore autem illo conſurget Michael princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi tui: & veniet tempus, quale non fuit ab eo ex quo gentes eſſe cœperunt vsq; ad tempus illud. Et in tempore illo ſaluabitur populus tuus, omnis, qui inuentus fuerit ſcriptus in libro.* m c 12.1.

Salutem autem non temporariam, aut quæ ſit luti congeſtu, corporumve paſtu, ſed plane ſplendidam. [n] *Et docti fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* n c.12.3.

Breue igitur tempus eſt ſummæ tribulationis, Daniel explicat: [o] *Et audiui virum, qui indutus erat lineis, qui ſtabat ſuper aquas fluminis, cum eleuaſſet dextram & ſiniſtram ſuam in cœlum & iuraſſet per viuentem in æternum, quia in tempus & tempora, & dimidiū temporis, & cum cōpleta fuerit [illegible]ſio manus populi ſancti, complebuntur vniuerſa hæc.* o c.12.7.

Joannes in Apocalypſi addit, *non fore tempus amplius.* vt certo conſtet piis liberatio, non ſatis eſt angelo dicere, iuſiurandum ſolenne præſtat. Paucis diebus definit abominationem deſolationis. [p] *Et à tempore cum ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta.* At qui eam vicerit, beatum prædicat. [q] *Beatus qui exſpectat, & peruenit vsq; ad dies mille trecentos triginta quinque*, omnia vero idcirco fieri aſſerit, vt [r] *Eligantur & dealbentur, & quaſi ignis probentur multi: & impie agent impii, neq; intelligent omnes impii, porro docti intelligent.* p c.12.11. q c.2.12. r c 12.10.

Omnes quos orbis infima cloaca continet, quam terram dicimus, boni & mali ad præmia proficiſcimur.

Digitized by Google

Plane ſimilis eſt militari expeditioni, qua itur ad triumphum, ad militiæ præmia. Eunt vna victi & victores, hi opibus, & gloria inclyti, illi mœſti catenis trahūtur, his æternus honos, illis mors non finienda.

¶ 3.

Iuſti probantur. Hæc etiam reliquæ Scripturæ comprobant. Nam & Jobum clades morbiq; fidum Deo monſtrarunt, & Tobiæ dicitur: [s] *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tentatio probaret te.*

s c.131.

t Eccli. 27.7. Monet quoq; Salomon [t] *vaſa figuli probat fornax & homines iuſtos tentatio tribulationis.*

Plane in fornace vritur palea, purgatur aurum. Amaritudines miſcentur felicitatibus, acria ſunt condimenta ſuauium. Senſus eorum, quibus ſola dulcia placent, puerilis eſt. Infeliciſſimum genus eſt infortunij ſemper fuiſſe felicem nunquam enim probatus eſt. Et miſer, qui nunquam miſer, ad lanienam enim alitur & ſaginatur. De talibus male iudicaſſe Deos Democritus putabat. Dominus quoque noſter, venire nos in mundum pronūciat, vt crucem feramus, nec ſe dignos eſſe, qui non tollunt crucem, & ſequuntur crucifixum: vitæ igitur rationes conturbant, qui ad hoc ſe natos arbitrantur, vt in ocio cum dignitate, ſine ærumnis viuant: *Bonum eſt aduerſa pati.* Si nihil in aula aduerſi ſibi ominati ſunt, non [illegible]do cœleſtis prouidentiæ ſunt ignari, ſed vitæ quoq; communis, quæ etiam cum facilime tranſigitur, & quaſi aqua delabitur in mare mortuum, non poteſt eſſe ſine vexatione. Flumini enim vita ſimilis, quod curuo tramite decurrens, nunc ſcopulis ſuis illiditur & ſpumat, nunc in ripas impingit, nunc ex alto præcipitatur, in illud ſordes vndiq; ingeruntur, nauibus ſcinditur, in riuos ducitur, molibus arctatur. *Vita flumen.* Vitam noſtrā nunc hoſtes impetunt, nunc æmuli frangunt, ægritudines ad finem impellunt, potentes premūt mundus contaminat, ſenectus conſtringit. Nemo tam ſtultus nauigat, qui non præſumpſerit tempeſtatem: Tu in aulam ingreſſus nihil mali euenturū cogitaſti? Si euenturū putaſti,

Digitized by Google

caſti, præſens perfer, turpe eſt ante pericula ferocem, in ipſis pauidum eſſe, nauem ingreſſus, de iactatione non queritur, nec malis quæ elegit ſponte, ſuccumbit. Qui iſta non meditatus incurrit, ad primum congreſſum vincitur, & miſeriam male ferendo geminat. Juſtinus Junior capto Circeſio in furorem actus, nec ſani quicquam agere, neç cogitare potuit. Coſroës rex Perſarum in carcere obiit mœrore, ad proſpera fruenda inſtitutus erat, aduerſis impar. Vix Chriſtianus eſt, qui cum incommodo aliquo pulſatur, dolori, aut iræ immittit habenas, meminerint medios inter fluctus ſe deprehēſos à tempeſtate: ſub periculo durandum. Melius per ſentes & aſpreta itur ad gloriam, quam per amœnitates ad exitium. Omnia præſentis vitæ mala cum corpore moriuntur, at peccata morte reuiuiſcunt, ad quæ vitanda & corrigenda dum à Domino corripimur, ſpem concipimus, cum hoc mundo non damnandos. *Iuſtinus Cæſar.* *Coſroes.*

¶ 4.

Dum clades ingruunt, dum triſtibus flagellamur, manſueſcere diſcimus, humanitatem amiſſam reddit aduerſitas. [u] Leæna Danielis dum alis ſuper omnia euehitur, in omnes ſæuit, euulſis alis cor hominis datum eſt: Diſcit imbecillitatem, & mores belluinos exuit. Chaldæus Monarcha, vt homo fieret, in beſtiam mutatus eſt. Dum omnia feliciter eueniunt, adulatur illis ſanitas falſa & decipit, inerti tranquillitate torpeſcunt: ingenium felicitate corrumpitur, vt quiete ſtagnantes aquæ. Vitium non apparet, niſi moueantur, concuſſæ graueolentiam exhalant. Alexander bello nobilis Maximiano occulta vitia exprobabat, & aperta, quæ felicitate occœcatus, non videbat, *Tu habes*, inquit, *Inſanabile malum actus tuos.* Ex illis inhumana crudelitas. Nec in aula ferociores facile inuenias illis, quos in deliciis viuentes fiducia ſui deludit, ſine metu deterioris fortunæ. Humaniſſimi fere ſunt tribuni, cēturiones, milites veterani, quos vigiliæ, caſtra, vulnera, fames & plurimorum mortes contemnere humana docuerunt. Plus in ſago, & galea, *Mala docent humanitatem.* u c. 7. 3. 4. *Alexander Martyr.*

Digitized by Google

inter arma & cædes humanitatis diſcitur, quam inter fallaces aulæ blanditias: nimirum mala nos nobis aperiunt: Nabuchodonoſor inter beſtias humanitatem didicit. Felicitas ſuperbiæ mater, huius iniuria proles eſt.

Religio creſcit aduerſis. Mœror & quæ pulſant mala cordis humani ſunt vincula, quæ ventis agitantur arbores altius figunt radices. Noſtra perſecutionibus creuit religio, in pace deteriores facti ſunt Chriſtiani: vt inter alios [x] Nazianzenus probat. Hoc etiam [y] Bozius ex fida Eccleſiæ hiſtoria demonſtrat, iniquiſſimis temporibus latiſſime fidem propagatam. Hyems lenior eſt arborum, vt Plinius docet Proſperitas eſt Eccleſiæ pernicies. Vbi nihil aſperum, atq; aduerſum occurrit, profectus non eſt ſolidus. In agro Syracuſano ſi lapides auferas, ſterileſcunt fruges. Dura fidem firmãt, vbi ſolidũ fundamentum non eſt, labunt ædes. [z] Arnobius ſane aduerſis creſcere religionẽ docuit. *Nonne vel hæc ſaltem fidem vobis faciunt argumenta credendi, quod iam per omnes terras in tam breui tempore & paruo, immenſi huius ſacramenta diffuſa ſunt? quod nulla iam natio eſt tam barbari moris, & manſuetudinem neſciens, quæ non eius amore verſa mollíuerit aſperitatem ſuam, & in placidos ſenſus aſſumpta tranquillitate migrauerit? quod tam magnis ingeniis præditi Oratores, Grãmatici, Rhetores, Conſultiiuris, Medici, Philoſophiæ etiã ſecreta rimantes, Magiſteria hæc expetunt, ſpretis quibus paulo ante fidebant: quod ab Dominis ſe ſerui cruciatibus affici, quibus ſtatuerunt, malunt, ſolui coniuges matrimoniis, exhæredari à parentibus liberi, quam fidem rumpere Chriſtianã & ſalutaris militiæ ſacramenta deponere? quod cum genera pœnarum tanta ſint à nobis propoſita religionis huius ſequentibus leges, augeatur res magis, & contra omnes minas atq; interdicta formidinum animoſius populus obnitatur, & ad credendi ſtudium prohibitionis ipſius ſtimulis excitetur.*

x Orat. 3.

y l. 5. c. 6. de ſignis eccleſ.

z l. 2. p. 26

§ 5.

Proſpera atque aduerſa non æſtimare, vnicum inuidiæ remedium eſt, quæ in aula fere principatum exercet.

cet. Chaldæi liuore & maleuolentia [a] Danielis collegas accuſant. *Sunt ergo viri Iudæi, quos conſtituiſti ſuper opera regionis Babylonis, Sidrach, Miſach, & Abdenago: viri iſti contempſerunt, rex decretum tuum, Deos tuos non colunt, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adorant.* Sub Dario Medo alij homines, mores etiam peiores: non ſuo periculo, non innocentia Danielis mouentur, vt parcant, plane tartareum illud vitium eſt. Quare & illi, & vxores, liberique pereunt. Non inuidebant ſapientiæ, non innocentiæ, ſed futuræ dignitati. quia magni illam æſtimabant, dæmon cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum, præ omnibus inuidet ſaluti. Illi inuidiæ ſimilima fuit prima hominis ex qua mors fraterna ſecuta eſt, Dei enim beneuolentiam Cainus inuidebat Abeli. Omne genus hominum illa peſtis infeſtat, interdum afflat & ſanctos. aulam inſtar ſpectri, aut Bacchantis Empuſæ funeſtat. Cauſa eſt quædam paritas, & rerum animorumq; ſimultas; nam figulus figulo, & medicus medico inuidet. gratiſſimus regi quisque eſſe deſiderat, ſi ille in alium eſt pronior, liuore mox tabeſcit, & vt vultur cadaueri, ita malis illius imminet, atque inhiat. Gladiatores odere pares, in arena concluſi, ferro & igne in pugnam adacti inuident; mors aduerſarij cuique victoria eſt. vnde tantum mali? Socios oderunt, & magna petunt quæ petuntur. Pœna inuidiæ eſt aliena felicitas, ſolatium aduerſitas, errore magno. Nam aduerſa proſunt, proſpera diſſoluunt, nemo inuidet Martyri in rogo, vel eculeo ſudanti, inuident aſoto luxurianti. Puſilli enim animi eſt inuidia, res paruas magni æſtimat, filia ſuperbiæ, genimen viperinum, matris interfectrix. Rheda tranſit, & tonitru putat, tubus eſt Aſtronomicus, qui ex minimis facit ingentia. Semper redit in auctorem, comes fortunæ eſt. Vere [b] Statius

Inuidia ex rerum fluxarum nimia æſtimatione.

Peruerſe inuident.

b *l.5.Syl.*

Quisnam impacata conſanguinitate ligauit,
Fortunam inuidiamq; Deus? quis iuſſit iniquas
Æternum pugnare deas? nullamne notabit

Illa domum, toruo quam non hac lumine figat?
Protinus, & ſæua perturbet gaudia dextra?

Fortuna comes inuidia. *In aula eſt incitatior, quoniam maiora bona videntur, quæ magis torquent, inuidiæ eſt alta petere.*

Inuidia quoniam ſeu fulmina ſumma vaporant,
Plerunq; & quæ ſunt aliis magis edita cunq;.

Nec conſiderat liuor pericula celſorum, quod nulla celſa tuta, quod oculos turbant deſpectu, non quod quicquid in altum fortuna tulit, ruitura leuat. Sic Diophon ſocio crucem altiorem inuidebat: de cruciatu gaudebat. Fœditatis viliſſimæ vitium eſt, dæmoni proprium, Deo repugnat: nam dediſſe eum aliis bona indignatur, & ringitur, cognouit hoc Pindarus. [c] *Non oportet*, inquit, *cum Deo contendere, qui nunc his, nunc illis grande decus largitur.* Verum in eo errant, quod grande decus non vere æſtiment, & fere in nugis aut ludicris ponunt: maiora prætereunt. Hircum caprarum in tanta gloria vrebat, vt [d] Ælianus teſtatur inuidia. Perdiccæ inuidebat, quod bellica fortitudine: Lyſimacho, quod peritia præſtaret. Seleuci magnanimitate cruciabatur, Attali regia quadam dignitate. Ptolemæum æmulabatur, quod cuncta illi ſuccedere proſpere cerneret. Suis ipſe ducibus, & illis ipſis ornamentis, per quæ vincebat, malignus inuidebat, Caligula Homero, Virgilio, Liuio: famam enim magni æſtimabat. Tiberius architectum liuore interfecit, [e] vt Cœlius refert.

c Pyth. 3.

d l. 12.

Alexandri inuidia.

e l. 2. c. 30.

§ 6.

Inuidia malum.

Si vere alienum bonum, ex ſententia omnipotentis æſtimarent, nō hominum errore; nunquam collegis inuiderent, ſed pauperes, afflictosq; colerent, magnatum felicitatem horrerent. Vitium ſuum maxime deteſtarentur. Nam vt prudenter aduertit Nyſſenus; *Inuidentiæ calamitas, non eſt proprium malum, ſed alienum bonum: proſperitas è diuerſo non proprium bonum, ſed proximi malum.* Prorſus dæmonum eſt, non ſuo bono, ſed malo

malo alieno gaudere. Ærugo & tabes animi eſt, cui hoc vel præcipuum malum ineſt, quod obſequio efferatur inuidus. Laudatores alienæ virtutis ſunt tortores inuidorum, qui lippis ſimiles longinqua non vident: Digni qui vbique oculos habeant, vt vbique torqueantur, vt qui tam alieno bono quam ſuo malo crucientur, ideoque mœſti viuunt, non quia male ipſis, ſed quia aliis bene eſt. Hanc fortunatis aduerſariam parauit improbitas, innaſcitur vt cantharides tritico luxurianti, ita liuor de fortuna pingui. Tacite ſed inimice iraſcitur, nec vocem edit, cum venena figit. Turbas concitat, amicis inſidiatur. Oculos fallit, quibus bona maiora, mala minora apparent. Muſcæ ad vlcera, porci ad cœnum aduolant, animalia quæ eodem pabulo vtuntur, bella inter ſe gerunt, fœnum, & lutum, & volutabrum ſibi inuident, nec enim meliorum illis ſenſus eſt. Quam deteſtabilis ſit liuor, vel hoc ipſum docet, quod ſolertiſſime tegitur gloriæ ſtudium, opum cupiditates, iras, odia, amores multi ſæpe fatentur, inuidiam etiam cum bonis alienis ingemiſcunt ſibi eſſe negant, Scilicet nullius criminis maior eſt pudor.

Cap. LXVII.

Nobilitatis æſtimatio.

¶ I.

FVlgens palatij veſtibulum nobilitas, & longo ordine proauorum cenſi magnates, nuſquam maior contentio, quam de ſtemmate, ingens indignatio, ſi quid poſſit ignobilis, hinc ira, inuidiaq; vilis animi venenum. Omnia facilius ferunt, quam ſi nota ſtemmati inuratur, gladio vindicatur minima de nobilitate controuerſia. Et profecto generi deferendum eſt. Juſſit honorari captiuam nobilitatem rex Chaldæus, qui *Nobilitas æſtimanda.*

regi

a Dan.1.3. regi tamen Jechoniæ non aperuit carcerem. [a] *Et ait rex Aſphenez præpoſito Eunuchorum, vt introduceret de filiis Iſrael, & de ſemine regio & tyrannorum.*

Danieli & ſociis creſcendi initium generis claritudo dedit. Virtutem barbarus non videbat. Nec alia mens Salomonis. [b] *Beata terra, cuius rex nobilis, & cuius principes veſcuntur in tempore ſuo ad reficiendum, & non ad luxuriam.*

b Eccl. 10.17.

Eleazarus ſane heros fortiſſimus nobilitatis cogitatione, ſe ad virtutem excitat, vt teſtatur hiſtoria [c] Maccab. *At ille cogitare cœpit ætatis ac ſenectutis ſuæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atq; à puero optimæ conuerſationis actus.*

c l.2. c.6. 23.

Razias quoq; nobilitatis & natalium memor, mori quam indigne tractari ab hoſtibus maluit. [d] *Razias*, inquit, Scriptura, *quidam de ſenioribus ab Ieroſolymis delatus eſt Nicanori, vir amator ciuitatis, & bene audiens: qui pro affectu pater Iudæorum appellabatur. Hic multis temporibus continentiæ propoſitum tenuit in Iudaiſmo, corpus & animam tradere contentus pro perſeuerantia. volens autem Nicanor manifeſtare odium, quod habebat in Iudæos, miſit milites quingentos, vt eum comprehenderent. Putabat enim, ſi illum decepiſſet ſe cladem Iudæis maximam illaturum. Turbis autem irruere in domum eius, & ianuam diſrumpere, atq; ignem admouere cupientibus, cum iam comprehenderetur, gladio ſe petiit. Eligens nobiliter mori potius, quam ſubditus fieri peccatoribus & contra natales ſuos indignis iniuriis agi. Sed cum per feſtinationem non certo ictu plagam dediſſet, & turbæ intra oſtia irrumperent, recurrens audacter ad murum, præcipitauit ſemetipſum viriliter in turbas: quibus velociter locum dantibus caſui eius, venit per mediam ceruicem: & cum adhuc ſpiraret, accenſus animo, ſurrexit & cum ſanguis eius magno fluxu deflueret, & grauiſſimis vulneribus eſſet ſaucius, curſu turbam pertranſiit. & ſtans ſupra quandam petram præruptam, & iam exanguis effectus, complexus inteſtina ſua, vtriſq; manibus proiecit ſuper turbas, inuocans dominatorem vitæ & ſpiritus, vt hæc illi iterum redderet: atq; ita vita defunctus eſt.*

d 2. Maccab 14. 37. & ſeq. *Razias nobilitati conſentanea agit.*

Scio

Digitized by Google

Scio factum Raziæ à nonnullis reprehendi, quod negant vlli ius ſui occidendi datum eſſe, verum cum tot Martyrum natalitia celebremus, qui in ignem, & in flumen ſe ex alto præcipitarunt, ſpecialiſſimo S. Spiritus inſtinctu, non eſt cauſa, cur Raziæ diem dicamus, qui eadem duce nobiliter mori elegit. [e] Serarius præceptor meus eum defendit Auguſtino accuſante, quamuis ille, contra circumcelliones diſputans, quod ex communi norma, non quod ſpeciali Spiritus ſancti afflatu liceat, definit. [f] Samſon columnam deiicit, & moritur anima eius cum Philiſtiim [g] ex Epiſtola tamen ad Hebræos ſanctum eſſe docemur. Tobias etiam genus ex comite filij ſui quærit, & cum intelligit eſſe Azariam Ananiæ filium ex magno genere eſſe affirmat. [h] Balaam quoque nobiles, deinde nobiliores ad Balacum mittit legatos. [i] Sur erat nobiliſſimus, erat princeps Moabitarum, nulla tamen re alia quam lenocinio filiæ notus.

e *Comm. in Macc.*

f *Iudicum* 6.29.30.

g c.11.

h 22.25.

i *Num.*25. 25.15.

§ 2.

Nemo quamuis promptum habeat in aſſentationes ingenium potentibus aduletur, nemo nobilibus. omnes naſcimur pares. Hoc ius gentium eſt, de eodem luto pauper eſt, & reges. Licet hos aurum, illos de ceſpite culmen tegat, quæ & ipſa de luto ſunt. Plus in auro ſplendoris, plus in ceſpite fructus. Quare ſtulti ſunt, qui aliena bona iactant, vt propria nulla habeant. Juſtum eſt piis gaudere parentibus, qui benedictionem Dei poſteritati relinquunt, at nunc, qui genere nituntur, magnos iactant, non bonos, non pudet improborum progenitorum, ſed pauperum, qui error in regia cœleſti damnatur: atque in angelorum concilio perinde ridetur, ac ſi quiſpiam de parentibus cruciariis, beſtiariis, buſtuariis ſeſe extolleret. Vere ad Imperatorem ſuum Agapetus: *Maiorum nobilitate ne quis delitietur: limum enim habent omnes generis auctorum, & qui purpura byſſoq; turgent, & qui paupertate & aduerſa vale-*

Pares omnes naſcimur.

Ad Iuſtinianum Imperatorem.

tudine

tudine affliguntur, tam qui diademate redimiti ſunt, quam qui per cubicula excubant: ne igitur lutulentum iactemus genus, ſed morum integritate gloriemur. Scito ô pietatis diuinitus fabricatum ſpecimen, quia quanto maioribus dignus habitus es tribuente Deo muneribus, tanto maius ipſi nomen es. ergo redde benefactori debitum gratitudinis, acceptāti debitum vt meritum, & beneficio beneficium rependenti: ipſe enim ſemper & beneficiis prior promeretur, & vt debitum beneficia repenſat. gratitudinem autem exigit à nobis, non quæ verborum blandorum prolatione, ſed quæ rerum piarum oblatione peragitur.

Nobilitas itaq; nulla eſt, aut laus exigua Chriſtiani, ſi Hieronymo credimus: Ex vno omnes naſcimur, ex vno renaſcimur, non vileſcere peccatis, vera eſt generoſitas, non ſeruire dæmoni vera libertas.

¶ 3.

Nobilitas in virtute. Virtutis igitur totum eſt, quod nobilitat. Bene docuit Democritus nobilitatem pecorum in valido corpore, hominum in virtute cenſeri: tribuendus illi honor cum adſunt mores, & dotes animorum: quas natura inchoat, inſtitutio perficit. [k] *Annus producit*, inquit Eurip. *non ager, educatio mores, non genus.* Suffocari ſe clamabat Epicharmus, cum de genere ſe iactarent ignobiles. Quid enim cœco cum ſpeculo? Degenerem dedecorat proſapia. Ariſtippus filios ignauos, & improbos ſpernebat, nec magis curandos iudicabat, quod ex ſe nati eſſent, quam pediculos, aut pulices. Nimis hoc aſperum, nec paternum illud Stilponis, cum diceret: *Filia me non dedecorat, nec illam ego decoro.* Demetria degenerem occidit. Huniades quoq; Henrico imaginibus glorianti occinebat,

k *In Hecuba.*

Degeneres.

Non maioribus tuis, ſed tibi me comparo.

Non naſcitur è milite miles, nec ex luctatore luctator. non eſt nobilitas, quam ſola oſtentant inſignia, nobilis eſt, quem vita ſancta commendat, quem gratia honeſtat, ne degeneret, quæ dedignatur ſeruire vitiis, quæ probitatem morum fuco, & tumulis opponit, hæc

eſt

eſt ſuperna, ſanguis virtutum, de ſanguine Chriſti ornatum trahens, non à malis, non à ſepulchris, non illa quæ ſæpe ex malis, ſæpe ob flagitia, ſæpius venditur [l] ab Eunuchis & regiæ gratiæ inſtitoribus. Miſer eſt, cui ſola maiorum virtus eſt, miſerior, qui auorum criminibus clarus eſt, miſerrima eſt ſuperba nobilitas, quę cœlo ignobilis eſt. Non eſt tuum, quod fortuna fecit, tuum non eſt tuum, quod maiores abſtulerunt, & tumulo condiderunt, nihil tuum eſt, niſi opera tua. Genus cum loco virtutis ponitur, reſpublica interit. Nobilitas debet imponere tibi neceſſitatem non degenerandi, ne illud audias: Heroum filij noxæ. Hanc ignobilitatem ſenibus Daniel exprobrat. [m] *Semen Chanaan & non Iuda.* Virtutum ſemen ille æſtimat damnat vitiorum plebeitatem: Vere [n] Nazianz. *Si vero perfectius & latius poſtulatis, tale erit: Hic ex optimis optimus, & ex nobilibus nobiliſſimus. Nobilitatem autem dico, non quam plerią; exiſtimant: abſit. Non enim noſtrum eſt, nec philoſophicum, eam admirari, quæ à fabulis & ſepulchris, ac ſupercilio iampridem putrefacto manat: nec eam, quæ ex ſanguinibus & literis oritur, quam noctes largiuntur, ac regum, ignobiliū quoq; fortaſſe, manus, nobilitatem, velut quiddam aliud, iubentium: ſed quam pietas & mores notant atq; indicant, & ad primum illud bonum, ex quo originem traximus, aſcenſio. Huius nobilitatis hoc vnum argumentum eſt. Non enim Martyr duntaxat ipſe eſt, ſed etiam ex Martyribus. Itaq; virtutis exemplum ipſe domi habuit.* Virtute Chriſti, non natiuitate gratia, regnumque acquiritur, fidei puritas, virtutis integritas. Vna vera eſt nobilitas, ipſa pietas, vt ſciamus, vnde progreſſi ſimus, quo ituri. Illa quæ legibus curiæ ſancitur, ſine pietate euanida eſt.

l *Iſid. l. 1. Epiſt. 291.*

m *c. 13.*

n *Orat. 23.*

Audite viri nobiles Nazianzenum nobilem genere, nobiliorem eruditione, & Patriarchatu, ſanctitate nobiliſſimum. Veram nobilitatem hunc in modum deſcribit. *Nobili loco natus eſt? Probitatem morum generis ſplendori opponet, atq; ex aduerſo ſpectandū producet. Ita, duplici nomine clarus erit, nempe & maiorū imaginibus, & propria virtu-*

Triplex nobilitas.

virtute, ac priuatim inſpectus. Obſcuro & ignobili genere ortus eſt, quantum ad ſtatuam & lutum attinet? (ſi quid tamen magni inter lutum ac lutum intereſt) at ſpiritualem nobilitatem illius loco afferet & qua ſeſe quisq; vel in melius, vel in deterius effingit: reliquas autem nobilitates, quæ vel ſeruntur, vel principum diplomatibus comparantur, vt viles & adulterinas, nulloq; in pretio habendas procul ſubmouebit. Eſt enim triplex genus. Vnum, quod ſuperne originem traxit: quod quidem ſi conſideremus, omnes peræquè nobiles ſumus, quippe ad imaginem Dei creati. Alterum, quod à ſanguine proficiſcitur: cuius ratione haud quidem ſcio, an quisquam nobilis dici poßit, cum corruptione conſtet. Tertium à virtute aut vitio agnoſcitur, cuius vel vberius, vel exilius participes efficimur, prout, opinor, diuinam imaginem vel integram ſeruauerimus, vel corruperimus. Atque hanc demum nobilitatem amplectetur, quisquis verè ſapiens ac Philoſophus fuerit. Nam quartum illud nobilitatis genus, quod in principum diplomatibus & edictis conſiſtit, tum vllo loco ac pretio habebo, cum pictam quoq; pulchritudinem laudandam duxero, ſimiamq; ob id venerari cœpero, quod leo eſſe iuſta ſit.

Nobilitas igitur Chriſtiani eſt imago Dei, ad quam es creatus, ea integra, atque ad Archetypum aſſimulata, ſi conſeruetur, aut vbi vitium fecit, reparetur. Quid moratis mortalia, & de maioribus gloriaris, à Deo animus factus eſt, & ad creatoris ſimilitudinem, quæ inclusa temporario vaſculo, ſed luteo, de carcere, aut carceris ſui conditoribus laudem nō niſi inaniſſimam captare poteſt. Hanc Chriſtiani hominis nobilitatem, dignitatemque luculentiſſime Macarius expoſuit. Nam in ſolo homine Deo complacuit, eum ſuper omnia, etiam angelos extulit, ipſe Chriſtus Dei filius Deus, homo factus eſt, non angelus, amicos, fratres, conſanguineos nos ſuos fecit: Dominus fratrem ſe profitetur. [o] *Et extendens manum in diſcipulos ſuos dixit: Ecce mater mea, etiam fratres mei. Quicunq; enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.*

Nobilitas imago Dei.

o *Matth.* 12. 49. 50.

At

At vero improbis nulla eſt nobilitas vera. De his elogium Domini habemus. [p] *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.* & Elymam [q] Paulus filium diaboli nominat. *O plene omni dolo, & omni fallacia fili Diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubuertere vias Domini rectas.*

p *Ioan.* 8.44.
q *Act.* 13.10.

Et Joannes [r] *In hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli. Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt. In hoc manifeſti ſunt filii Dei, & filii diaboli. Omnis qui non eſt iuſtus, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum.*

r 1.*Ioan.* 3. 8.9.10.

Hæc ergo eſt nobilitas noſtra, iuſti ſunt filii Dei, non eſt maius ſtēma, cœlo fixum eſt. Impij filij ſunt diaboli, non eſt maior contumelia, fœditasq; terræ intolerabilis, ſub terram condenda, inferis vrenda. Vbi plurima eſt mundi nobilitas, vbi potentes torquentur potentius. Non enim multi nobiles, non multi potentes ſunt à Deo electi, vt teſtatur, qui in tertio cœlo audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Paucitatem tamen nobilium & potentium cœlo inferendorum putauit illicitū tacere. Imo hoc Spiritus ſanctus reuelauit, ne quiſpiam ſe ex eorū numero eſſe gloriaretur, quorum pauci electi, multi ſunt reprobi. Nobilitas ſi cœlo gratior, quam plebs eſſet, appetenda foret. Si priuilegia Cæſarum, titulorū ſeries, & ſigna in cancellaria æternitatis, in libro vitæ rata eſſent, iure optimo ceræ atriorum oſtentarentur: Nūc quia pauperum, initium, lugentium, perſecutionem patientium eſt regnum cœlorum, non multorum nobilium, non multorum potentium, paueant, qui in illo ſtant ordine, quorum multi pereunt, pauci ſaluantur.

Soli iuſti nobiles.

Pauci nobiles ſaluantur.

§ 4.

Cur vero pauci nobiles electi, cur cum inſignibus, & funerum pompa ſubeunt barathrum, æternum arſuri? Perpetuum malum nobilitatis quo pereunt, eſt ſuperbia, Deo inimica: quod olim fuiſſe Saluſtius aliiq;

Digitized by Google

tradiderũt. Alterum malũ, ꝙ maiores ſuos in ſuam glo-
s l.1. riã vixiſſe ſuſpicentur, ocio ſe dedant, & luxui, [*s*] Phi-
lip. Comminçus nobiles ſuæ ætatis, nihil ſcire ait, quaſi
Mamas. ad ludũ iocumq; nati ſint, aliis negocia cõmittere. Nõ
t Surius in ita Mamas martyr admirandus, qui licet ob nobilitatẽ
eius vita. tormentis exciperetur, ſibi tamen mortẽ pro Chriſto
potiorem quouis honore profitetur. Non Rufina no-
Rufina *Secunda.* biliſſima Romanarũ: cum enim Archeſilaus religionẽ
Chriſtianam nobilitate indignã aſſereret, illa cum ſo-
rore Secunda, improperium Chriſti ſolam nobilitatem
eſſe pronunciat, & hoc teſtatæ nobiliſſime moriuntur
ambæ. Romanus etiam martyr apud Prudẽtium aliud
nobilitatis, & plebis diſcrimen eſſe pernegat.

Generoſa Chriſti ſecta nobilitat viros.
Si prima noſtris, quæ ſit incunabulis
Origo textus ſtemmatis recenſeas.
Dei parentis eſſe ab ore cœpimus.
Cui quiſq; ſeruit, ille vere eſt nobilis.
Patri rebellis inuenitur degener.

Nobilitas ante diluuium. Qui igitur ſe meliores aliis, qui ab eodem conditoris ore eſſe & viuere cœperunt, vani arbitrantur, merito à Deo repelluntur. Sane annis ante diluuium 1600. nemo de nobilitate ſe iactare poterat. Annis namq; nongentis triginta, quibus ille vixit, omnium parens auus, atauuſq;, monſtrabatur. Ad Cataclyſmũ vſq; viuebant multi filij, & filiæ, quos Adamus genuerat, iam ſenior, & ſi nobiles, qui nunc ad Agamemnonẽ, & Troianos genus referre amant, maiores ſuos viderent forte plures, quorum puderet, q̃ quos gloriæ ſibi eſſe crederent viderent. Jactantia. n. nobilitatis eſt de vitæ breuitate, non probitate. Si auus ſancte, integre, vixit, nõ cenſetur filius nobilis. Si per fas, & nefas ad honores euectus eſt, & nunc ſub ignib. deteſtatur diẽ natiuitatis ſuæ, de parentis inteſtabilis damnatu, de radice peccati ſoboleſcit nobilitas poſterorum. Miratus ſum & illud, ꝙ in
u c.17.4. [*u*] actis Apoſtol. legitur. Paulo reddidiſſe mulieres nobiles nõ paucas, grande miraculũ, ꝙ indicare Spirit' S. voluit, & obſeruari: magna. n. opus gratia, vt celſa faſtigia humilitati Chriſtianæ inclinari ſe permittant. Sed cur nihil de viris? non multi nobiles, non multi potentes, plures pereundi occaſiones viris, quam fœminis.

Digitized by Google

§ 5. Nobilitas in Scriptura magis à virtute,& dotib. *Nobiles*
laudatis,quã genere accipitur. [*x*] Moſes cõſtituit du- *facti.*
ces & tribunos, nobiles, ſeu notos, ἐπικλήτους, qui no- x *Num.1.*
minatim vocabãtur.Et deinde: [*y*] *Non valeo ſolus nego-* v.16.
tia veſtra ſuſtinere,& pondus ac iurgia.Date ex vobis viros ſapi- y *Deut.1.*
entes & gnaros, & quorũ cõuerſatio ſit probata in tribubus ve- 13.14.15.
ſtris,vt ponã eos vobis principes.Tunc reſpondiſtis mihi: Bona res
eſt,quã vis facere.Tuliq; de tribubus veſtris viros ſapiẽtes, & no-
biles,& conſtitui eos principes tribunos,& cẽturiones, & quin-
quagenarios ac decanos,qui docerent vos ſingula.[*z*] *Et Samuel* z 1.*Reg.*
*vocatur vir nobilis,*ἔνδοξος,*Hebræis honorat⁹.grauis.*[*a*] *Tales* 6.9.
erant cũ Dauide fortes factis nobiles. [*b*] *Talis maritus fœminæ* a 2.*Reg.*
ſapiẽtis.[*c*] *Alexander quoq; pueris nobilibus,h.e.bellatorib. for* 23.19.23.
tiſsimis diuiſit regnũ. Nobiliũ cũ ab honeſto diſceſſerũt præcipua b *Prou.*31.
pœna.[*d*] *Reges improbi alligãtur in cõpedib. & nobiles eorũ in* 23.
manicis ferreis.[*e*] *Turbata rep.inſurgit ignobilis contra nobilẽ* c 2.*Macc.*
ἄτιμος πρὸς ἔντιμον, *Inhonorus contra honoratũ.* Nobilium 4.7.
cædes facta in clade Judaica.[*f*] *Propterea captiuus ductus* d *Pſalm.*
eſt populus meus quia non habuit ſcientiã,& nobiles eius inter- 149.8.
ierunt fame & multitudo eius ſiti exaruit. Propterea dilatauit e *Iſai.*3.5.
infernus animã ſuam,& aperuit os ſuum abſq; vllo termino, & f *Iſai.*5.13.
deſcendẽt fortes eius,& populus eius,& ſublimes, glorioſiq; eius, 14.
*ad eum.*Nabuchodonoſor cũ Sedeciæ filios,in patris a- *Nobilium malorum pœna.*
ſpectu occidit,ipſum exoculauit,plebi pepercit, nobi-
litatem deleuit. [*g*] *Et occidit rex Babylonis filios Sedeciæ in* g *Ierem.*
Reblata, in oculis eius: Et omnes nobiles Iuda occidit rex Baby- c.39.6.
*lonis.*Quo hoc oſtenditur q; ſupra monui,paucos nobi-
les ſaluari,delinquẽtes acerbius puniri. Teterrimus re- *Ignobile*
gũ,aſperrimus tyrãnorũ,Eccleſię perſecutor radix pec- *initium.*
cati, figura eſt Antichriſti Antioch⁹, qui appellatus eſt
[*h*] nobilis.Nemo excepta ipſa beſtia à Daniele ſcelera- h 2.*Macc.*
tior deſcribitur.Monarchiarũ initia non modo parua, 1.21.
ſed etiam vilia,& pudẽda fuerunt. Chaldæi mancipia
Aſſyriorum, Perſæ Medorum, Macedones fœdiſſima
gens,Romæ cõditor ne legitime quidẽ natus, & in A-
ſylo fæces Italiæ, qui patrẽ nominare poſſent patricia
dignitate non tam inſignes erant, quam aliorum ſpu-
rium genus arguebant. Regia tribus erat Judæ, de in-
ceſtu tamen auctoris. ex ea Chriſtus naſci voluit, nec

Digitized by Google

Ignobiles à Deo electi.

adulteram in ſerie nobilitatis omittere, vt vanitatem eorum, qui in carne & ſanguine gloriantur, elogio ſuo tolleret. Non reſpicit ortum Deus, Saulem ab aſinis Dauidem ab ouibus, Juſtinum ab hara, Cyrum è ſylua Leonem Thracem à caſa, Maximinum à bobus, Macrinum, & Pertinacem à ſeruitute, à pala & cophino ad ſolium vocauit: aut illis diadema permiſit, inter eos maxime celebratum Maximini obſcurum genus, conſcios enim natalium ſuorũ occidit, qua crudelitate maxime vulgauit infamiam. Quare omnis nobilitas vana eſt, niſi cum eſt incitamẽtum virtutum. Aut ſi vera eſt, à piis, & cœlo fruentibus tantum eſt. Nam de illis gloriari, quos Deus dæmoni torquendos tradidit, non modo vanum eſt, ſed etiam impium. Damnatio enim non ſolum acerba eſt, ſed etiam pudenda. Cum enim ſint miſerrimi, atq; abiectiſſimi, nemo tamen eorum miſeretur, omnes inſultant, & ex merito pati lætantur.

Qua de cauſa nobili, & potenti magna cauſa formidandi, nulla gloriandi eſt. Pauci enim ex illis electi. Opes ſæpe iniuſte congerunt, & ſi iuſtas habent, auare poſſident. Caſtra fere criminum infamia laborant. Olim dictum eſt,

Nulla fides pietasq; viris, qui caſtra ſequuntur.

Habent tamen Chriſtiana caſtra milites timentes Deum, habent cẽturiones, qui ex animo orant, & confitentur non eſſe ſe dignos quorum ſub tectum Chriſtus ſubeat, quorum fidei non inueniatur ſimilis in Iſraël, habent ſuos Cornelios, ſed oppido paucos. Magnates, Tribuni, quæſtores, centuriones, cum feſta adueniunt quibus ad myſteria Chriſtiani inuitantur, ſi ex futuro prœlio, aut vrbis oppugnatione mortis periculum immineat, miles gregarius facile ad delictorum pœnitẽtiam & exomologeſin adducitur, remoras non habent. Magnates vel ſcortis adhærent, vel ſubditorũ prædas habent, vel militum ſtipendia detinent, quare cũ iniuſte ablata reſtituere nolint, vel prorſus myſteriis abſti-

Digitized by Google

abſtinent, vel ſacrilego ludibrio illa ſumendo cōtaminăt. atq; ita aliquădo integri exercitus vix vllos magnates habent, quibus non ſit decreta iam olim gehenna: quia ad pœnitētiam illis viam ſpolia iniqua obſtruunt.

Cap. LXVIII.

De aulæ veſtitu, externis cærimoniis, atq; errore nobilitatis, ac diuitum.

§ 1.

VEſtiendi vanitas ab aula fere in ciues populosque manat. Varius eſt veſtitus & mutatur in horas. Ornatus eius maxime cupitus vilib⁹ ingeniis. Sceleris noſtri velum eſt, in paradiſo auguſtior erat, ac venerabilior nuditas, natiua puritate refulgens: in cœleſti patria veſtiemus gloria, non inferentur in eam maieſtatē aut vellera arborum, aut beſtiarum exuuiæ: nulla ibi aëris iniuriæ, nec indecora nuditas, cum corpus mortale induerit immortalitatem, cōformatum corpori Chriſti. Dum iter facimus in illam patriam peccati opprobriū in ambitionem vertimus, & ignominiæ inſignibus ſuperbire lubitum eſt. Omnibus ſumus animantibus ſtultiores, qui nec pilorum, nec plumarum picta varietate delectantur. Capuanum quendam refert Plinius ea imagine ſignaſſe, qua ſculptus erat pater eius ſingulari certamine à Scipione occiſus, nos quoq; dum veſtes oſtentamus, parentum dedecus, mortemq; nobis ad ludibrioſam gloriam circumferimus. Porro veſtitus non vna ratio eſt. Grauis eſt, leuis, ſplendidus, mediocris, ſordidus, inſanus.

Veſtium origo crimen.

Genera veſtium.

§ 2.

Grauis veſtitus erat & ſplendidus, quo induti collegæ Danielis. [a] *Et confeſtim viri illi vincti, cum braccis ſuis, & tiaris, & calceamentis, & veſtibus, miſſi ſunt in medicum fornacis ignis ardentis.*

a c.3.21.

Chaldaicus veſtitus. Tres illi viri Babylonicæ Mōnarchię principes, more aliorum magnatum ſplendide induti erant. Veſtes eorum nominantur, vt furor regis oſtenderetur in pœnam feſtinātis, apud Romanos quos flagellaturi erant veſtibus ſpoliabant, non exuendo, ſed eas dilacerando tum vt plus terroris adferrent, tum ne mora magiſtratum offenderent. Hic cum veſte precioſa in ignem coniiciunt, iræ regis obſequentes. Primum veſtimenti genus Braccæ, Hieronymus Græcos ait vertiſſe ἀναξυρίδας. quas quidam dici volunt ab ἀνασύρεσθαι, quod ſurſum trahendo induantur. Chaldæus textus vocat Sarbel, hinc veteres auctores retento nomine Sarabel-

b De crat. Sarbel. la vocant alij Sarabara, vt [b] Tertullianus. ſic habet & Romana editio, ſed Complutenſis σαράβαροις, Hieronymus docet legendum Saraballa, quod cum Chaldæo textu conuenit. Sárbel ait idem crura hominum ſignificare, ac deinde tegumēta eorum ſeu tibialia, ve-

Sarabella. rum Elias Thisbi Sarbelin vocat, quibus crura induūtur. Interpres Græcus olim μώκια, Latinus Ridicula, longe à ſententia Danielis digreſſi. Cur vocet Munſterus amicula, Caluiniani, & Lutherani Chlamydas non video cauſam. Nam & Hebræi vocant tegumenta cru-

Braccæ. rum, & Græci & Latini ita vertunt. Theodoretus vocat περικνημίδας, tibialia quod tibias circumdent. Tibialia tamen quæ tota crura & pudēda quoq; velent, quales ſunt tibialia quorundam caligis annexa. Sic Euſtathius in 2. Iliad. appellat. Erat habitus ille Aſſyrius, Chaldæus

c Xenoph. l. 8. Perſicus [c] Cyrus habuit braccas ianthinas. In precio is color fuit, vt cōſtat ex Ezechiele: *Et veſtiui te diſcolori-*

d 16. 10. *bus, & calceaui te ianthino: & cinxi te byſſo & indui te ſubtilibus.* Euſtathius quoq; vocat βράκια, interpretatur, Suidas βράκια, vocat veſtem Perſicam. [e] Perſius braccatos Perſas vocat, ſic & [f] Ouid. Iſidorus l. 19. originū

e Sat. 3. f l. 5. triſt. Eleg. 11. g l. 1. anataſ. h l. 15. & Curtius vocat velamenta. In precio fuiſſe tradit [g] Xenoph. vbi thoracas pretioſos habuiſſe, & variegatos anaxyridas ſeu braccas recēſet. Quin & [h] Strabo triplices principum braccas fuiſſe docet,

Alterum veſtimenti genus eſt Tiara, quod Chaldæis dicitur Petaſch, quod Hieronymus genus pilei Perſici

Digitized by Google

& Chaldæi appellat. [*i*] Pollux Carbaſian,& Cidarin, [*k*] Dionyſius ἄπικας apices [*l*] Herodotus Pileum. Et i *l.8.c.13.*
Anacreon. *Et Parthicas cohortes cognouit è tiara.*[m] Martialis Parthos vocat Pileatos. Deniq; Petaſch addita Latina terminatione Petaſus eſt, erant autem etiam in Græcis & Latinis comœdiis Perſæ Petaſati. Quare neſcio quid in mentem venerit illis, qui femoralia vocāt. Mirantur illi inter iniiciendum non abreptum, aut decuſſum pileum, ne in terram quidem cecidiſſe. Sed admirationem [*n*] Strabo tollit. Vocat ille tiaram pileum turritum, alium principibus alium plebi tribuit. Principum ac magorum malas mentumque tegebant, cum elati eſſent vittis ligabantur, illis in prœliis vtebantur,& aliquando ad humeros alligabant, meminit eorum [*o*] Marcellinus,aliiq; hiſtorici.

k *l.2.* l *l.3.* m *l.10. ep 22.* n *l.15.* o *l.30.*

Tertium veſtimentum eſt Carbel Chaldæis, quod alij paludamentum, alij pileum,Hieronymus calceamenta vocat,Septuaginta περικνημίδας,nimirum calcei erant, ſed vt more ocrearum tegerent,& tibiarum partem.Initio quidem calceamenta viliſſima veſtium pars fuit, at ornatus additus eſt, vt Stephanus de vrbibus, Euſtathius, Suidas: Sane [*p*] Clemens Alexandrinus, vetat auratos, gēmatosq; calceos, & factos inani artificio,& cothurnos Perſicos ac Tyrrhenicos. Perſæ autē Medorum,Chaldæorumq; faſtum celerrime ſecuti, vt & Alexander magnus Perſicos habitus, qua re Macedonas ſuos adhuc ruſticulos offendit,

Calcei. p *l.2.c.11.*

His adiungūtur & veſtes aliæ,nimirum,toga aut ſtola,& chlamys,& cauſa cur non exuerint,redditur, *quia iuſſio regis vrgebat.* Primo nominat femoralia quæ exui non poterant, niſi aliis detractis, deinde Tiaram vittis tæniisq; illigatam, tertio calceos, demum alias veſtes oblongas,vt erant apūd illos quam ſtolam Medicā poſteri dixerunt.ne hanc quidem detraxerunt. Veſtes omnes graues & ſplendidæ fuerūt, credo & verſicolores nam tales amabat Oriens. Joſepho Jacob fecit tunicā polymitam, ſeu vt Hebræus, *particularū*, non conſutarum,ſed intextarum. Et Solymis Deus obiicit indutos

Variegata veſtis amata Orienti.

q e.16.10. à ſe varietati. vt Ezechiel habet. [q] *Et veſtiui te diſcolori-*
11.12.13. *bus, & calceaui te ianthino: & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus, & ornaui te ornamẽto, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum. Et dedi inaurem ſuper os tuum & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo &c.*

r c.23.6. [r] Ezechiel etiam Aſſyrios producit veſtitos hya-
& 12. cintho, & veſte varia, quod in Hebræo eſt. perfectionibus, ſeu vniuerſitate. Septuaginta vocant εὐπάρυφα, *bene ſubtexta.* Perſis hæc vſitata fuerunt, luxum & ſuper-
s l.5.c.21. biam imitatis Chaldæam. Ammianus deſcribit, & [s] Ælianus pauonẽ ait ſuperare Medorum veſtes, & Per-
t l.3. ſarum verſicoloria [t] Curtius facit purpura diſtinctas.
u l.3. Meminerunt [u] Halicarnaſſeus, [x] Propertius [y]
x l 4. El 8.4. Xenophon, & Seneca in morte Claudij. *Pictaq́ʒ Medi,*
y l.6.ped. *terga fugacis.* Habitam in precio, & aſpectu iucundam
* Ezech. varietatem, ex eo cõſtat, quod ornatus ille cauſa fuerit,
23.56. cur * Oola Samaria, & Ooliba Jeroſolyma inſanierint libidine in Aſſyrios, & trucidatæ ſint. Salomonis fuiſſe exquiſitum ornatum Dominus noſter indicat, cum negat in omni ſua gloria coopertum fuiſſe ſicut vnum
z 1.reg. è lilijs. [z] Regina Saba inter alia quoq; mirata eſt ve-
10.5. ſtes miniſtrorum, non regis ipſius: Eum Joſephus deſcribit, & adoleſcentum cincinnos auri ramentis ſparſos ad ſolem relucere ſolitos narrat.

¶ 3.

Aulæ ornatus probandus. Graui igitur veſtitu & ſplendido vſos ſanctiſſimos illos Babylonis principes, & Dei martyres, ipſumq; Danielem in confeſſo eſt: nec obſtat pietati ornatus, ſi iuſta cauſa ſumatur. Deus illis inſigne magiſtratus, & veſtem decoram ſeruauit à flammis intactam. [a] *Et congregati ſatrapæ, & magiſtratus, & iudices, & potentes regis, contemplabantur viros illos, quoniam nihil poteſtatis habuiſſet ignis in corporibus eorũ, & capillus capitis eorum non eſſet adustus, & ſarabala eorum non fuiſſent immutata, & odor ignis non tranſiſſet per eos.*

Poſſunt igitur reges diademate, auro gemmisq; ornari, poſſunt ſtare reginæ in veſtitu deaurato, circum

datæ

datæ varietate. Et ad modum regium, aut vltra etiam, ſi ita regibus viſum fuerit, ſplendere magnates. Exempla habent innumera, & hoc loco ſocios Danielis, quos veſtis Aſſyria non profanauit, ſub textu Babylonio manſit ſemen Iſraëlis, & fortitudo Judæ. nec cauſa erat, cur peregrina veſte Satrapas in ſe irritarent, cum honor captiuis delatus nimium inuidiæ traheret.

Ratio quædam aulæ peculiaris eſt, quæ in priuatos non conuenit. Reges enim principesq; cum Dei vices in terris agant, maieſtatem numinis quadam magnificentia exhibent. Quemadmodum etiam angeli, quorum in luce & candore diuina puritas figuratur. [b] *Et ecce*, inquit, *vir vnus veſtitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo, & corpus eius quaſi Chryſolithus, & facies eius velut ſpecies fulguris, & oculi eius vt lampas ardens: & brachia eius, & quæ deorſum ſunt vſque ad pedes, quaſi ſpecies æris candentis, &c.* *Angeli ornati apparent.* b *c.10.5.6.*

Sacerdotibus quoq; & Pontificibus Deum adeuntibus precioſæ veſtes circumdantur, purpura, hyacintho, auro, gemmisque: ad Deum enim animo optimo accedendum eſt, quod veſtium indicat cultura.

Cæterum Juſtinus Satrapis Perſarum purpuream, alij variam, tribuit. Illa quoq; apud Grecos laudem tenuit. vt [c] Ælianus, [d] Strabo. [e] Athenæus teſtantur. Origo autem Medici, Perſiciq; ornatus Chaldæa, [f] vt Diodorus Siculus, & Juſtinus teſtantur. c *l.12.* d *Strabo l.1.* e *l.12.* f *l.2.*

§ 4.

Veſtis igitur precioſæ, ſed grauis finis eſt, Dei cultus. Hebręi legem audituri iubentur venire munda veſte. Populus feſto ſuo concolor eſſe debet, Martyres Japonici die feſto ornantur, & maxime quo pro Chriſti Martyrium ſubituri ſunt. Vt templa ornantur, ita & corpora, ſed Deo, cuius homo eſt imago, quæ ipſa ad archetypum eſſe picta debet. Nam ſi in veſte ſit ornatus, in moribus turpitudo, recte idolorum templis comparabitur, quod facit [g] Clemens Alexandrinus: *Veſtis precioſa ſit grauis.* g *Pæd 3. c.2.*

in illis omnia byſſo, auro & argento fulgent, ſed Deus eſt, vitulus, aut aries, etiam felis, ſerpens, cœpa, allium. Ordo rerum inuertitur, cum ornatus eſt aulæ regiæ, ſed vitia haram redolent.

Quæ cauenda in veſtitu. Deinde videndum ne ornatus ſuperet ſtatum, aut ſumptum: ne ſubditis ſit fraudi: ne multorum atterantur manus, vt vnus luceat articulus.

Veſtis peregria. Sit cultus patrius, qui peregrinum habitum inducit, patriæ contemptor eſt, & legum, malus ciuis. Grauius hoc crimen eſt, quam pleriq; exiſtiment. Per Sophoniam Dominus pœnam minatur illis exterorum

h *c.1.8.9.* vitiorum æmulis. [h] *Et erit in die hoſtiæ Domini, viſitabo ſuper principes, & ſuper filios regis & ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina. Et viſitabo ſuper omnem, qui arroganter ingreditur ſuper limen in die illa: qui complent domum Domini Dei ſui iniquitate & dolo.*

Principes & filij regum hoſtiæ cædentur iræ cœleſtis, & omnes omnino, qui indulri ſunt veſte peregrina.

Ante omnia cauendus veſtitus leuis, qui inconcinnas habeat varietates colorum, ſquamas ſimiles ſer-

i *l.3.pæd. c.11.* pentinis, qualis eſt hiſtrionũ, de quo Clemens [i] Alexandrinus. Leuitatem voco non modo cum indecens eſt, ſed etiam cum perſonæ non conuenit, alia decet militem, alia ſenatorem, quam ornat adoleſcentem, tam deturpat ſenem, quia bis puerum demonſtrat.

Veſtis leuis. Inſanum habitum voco qualis eſt, qui ſpectatur in troſſulis, & ſtultis. Amentibus enim qui princi-

Veſtitus inſanus. pum curis gaudia interponunt, veſtitus dari ſolet, ex quo cognoſcas facile ſapientiã abeſſe. Plane ſimilis eſt, quẽ ex peregrinationibus referunt iuuenes in Germaniam, qui tãto labore expẽſiſq; nihil ſapere didicerunt.

Almodo. Illum veſtitum dico quem ex præſentis ſæculi vano ſtupore Almodicum libri, & picturæ appellant, nulli

Veſtis inſana. probatum, ſed modo vſurpatum. Quem inſuper inſaniſſimum faciunt, varia capilli tonſura, tortura, horrore, ſordibus, monſtris,

Veſtium

Digitized by Google

¶ 5.

Veſtium grauium & precioſarum duo fines ſunt mali, formæ, & opum oſtentatio. Fallunt tamen: nam forma bona non indiget fuco. & ſæpe ſpectatiſſime veſtiuntur, qui in ſuperbia ſua famem patiuntur vt canes. Leuis habitus & inſanus eodem tendunt, ſed minus propoſitum tenent: nam hic amentiæ, ille impudicitiæ profeſſionem continet. Almodicus etiam militarem terrorem ſpirat, ſed fruſtra, nemo illa metuit, quæ pueri rident, impexus eſt, horridusque pilus, & furiam imitatur, ſed quia deſunt faces & hydri, inermis iactantia ludibrio eſt. Sed fines illos expendamus. Peccant, qui alienis oculis ornantur, & laqueum animis ponunt. Formæ lis eſt cum pudicitia, & vere dixit Nazianzenus: [k] Paucos amabiliſſimos eſſe caſtiſſimos. Ornare ſe vt forma placeat fornicum eſt. [l] Talis erat inueterata dierum malorum venefica, de qua hiſtoria Regum narrat.

Almoda.

k *Orat.* 19.
l 4. *reg.* c. 9. 30.

Porro Iezabel introitu eius audito, depinxit oculos ſuos ſtibio, & ornauit caput ſuum, & reſpexit per feneſtram.

Et ne de impudicitia dubites, exprobrat eam Joramo Jehu. [m] *Quæ pax? adhuc fornicationes Iezabal matris tuæ, & veneficia eius multa vigent.*

m 4. *reg.* 9. 22.

Quis porro finis formoſæ meretricis & ornatæ? forma fama fucus, caput ſanguine miſtũ, & equorũ vngulis cõculcatum. Ita ſacra hiſtoria. [n] *At ille dixit eis: præcipitate eam deorſum, & præcipitauerũt eam, aſperſusq; eſt ſanguine paries, & equorum vngulæ conculcauerunt eam.*

n *V.* 33.

Hunc etiam in tribu Juda Deus exitio puniuit vt minatus eſt per Jeremiam. [o] *Tu autem vaſtata, quid facies? cum veſtieris te coccino, cum ornata fueris monili aureo, & pinxeris ſtibio oculos tuos, fruſtra componeris, cõtemſerunt ſe amatores tui, animam tuam quærent.*

o c. 4. 30.

Non eſt forma non virilis, decus; ſed fœda, ſi abſit virtus, de glorioſo capillo pendet Abſolon, & Galeazius

Forma bonum fragile.

Secun-

Digitized by Google

Secundus principum pulcherrimus crudeliter podagræ doloribus cruciatus moritur. In ſola ſuperficie forma eſt, colore & concinnitate membrorum, ſenectæ & morborum ludibrium, vt [p] Nazianzenus docet:

p *Orat.* 31.

Non forma æterna eſt, nec cuiquam fortuna perennis.

Corpus perit, & manere formam putas? Quercus pulchra paſtum porcis, vitis lignum abiectum potum regibus præbet. Cura formæ muliebrium ingeniorum eſt. Quod naſcitur Dei eſt, quod pingitur dæmonis. Effigie mentiri non minus turpe eſt, quam lingua. Philippus quendam è numero iudicum expunxit, quod capillum tingeret: non putabat in tribunali ſincerum, qui capillò fucam faceret. Forma virtutis eſt index, quædam pulchra, ſed tamen ſtultitiæ lineamenta præfert: ianua animi vultus, crebro tamen fallit. Dignitas viri non in ſolo vultu, ſed in ipſa ſtatura, proportione, compoſitione, magnitudine, & norma partium cernitur: quæ vt non eſt contemnenda, vtque illa decet, ſic eius cura virum dedecet, ſtolidi Æthiopes ex formæ priuilegio regem creabant. Strabo quaſdam gẽtes poſt duos mẽſes exploraſſe pueros, deformes occidiſſe tradit. Sophitæ non alebant, niſi quibus honeſta forma Lycurgi lege exponebãtur, inhumana crudelitate. formam maxime deturpat habitus inſanus, quem almodicum appellant, leuis proſtituit, grauis ornat. Viro nobili

Nimia formæ cura.

Forma nobilis.

q *Luc. ad Piſ.*

[q] *Talis ineſt habitus, qualem nec dicere mœſtum*
Nec fluidum, læta ſed tætricitate ſeuerum,
Poſſumus, ingenitæ ſtat nobilitatis in illo
Pulcher honos, & digna ſuis natalibus ora.

§ 6.

Corporis compoſitio.

Adiungam & nonnulla de familiaritate, colloquio, moribus externis. Nam flos formæ vox eſt, veſtium ornamenta geſtuum decora flexio. [r] Hæc ſi, incompoſita ſint, mentis inæqualitatem indicant. Inceſſus modo

r *Concil. Carth.* 4.

Digitized by Google

modo citus, modo tardus machinationes inexplicabiles. oculi vagi impudentiam, deiecti mœſtitiam, in altum ducti ſuperbiam, ad hirquos verſi nequitiam ſignant. Inceſſus grauis, & moderatus modeſtiam, oculi naturali ſitu poſiti animi æquitatem. Pedum ſit, dum ſtatur, moderata diductio. Verba pauca, pro re nata, nam minimum loqui, vbi vberior ſermo decet, ſuſpicacis eſt, aut contemnentis. Ne nimium facilis eſto: ſic auctoritas perditur, opinione adulationis. Multo minus difficilis: moroſi patria eſt ſolitudo. Moroſitas offendit, vt virum auſterum, delicatum eſt genus iracundiæ, vt etiam nimium placendi ſtudium, moleſtum eſt. In colloquio manibus pedibusq; geſticulari indecorum. *Geſticulationes extera.*

Verum nihil in moribus æque moleſtum ſeueris, æque ridiculum facetis, quam exoticarum geſticulationum affectatio. Inſipientium furor, qui patrios mores exoſos habent. Geminus error, multiplices ineptiæ. Error eſt velle placere Germanis de peregrinis geſticulationibus, plerunq; ineptis. Grandior eſt error, exiſtimare, mimeſin, & hiſtrioniam à ſe decenter in ſcena exhiberi. Hinc quotidianæ ad faſtidium ineptiæ, ſcio illos, qui peregrinitatem induerunt, mihi non credere, iudicem dabo de Gallia, ex illo enim regno imprudentiores redeunt, qui parum cauti fuerunt ingreſſi, & multo tempore alieni moris peruerſa ridiculaq; imitatione populares delectant. [s] Igitur nulli ignotus Euphormio ad Chriſtianiſſimum regem Ludouicum XIII. huncin modum ſcribit. *Nullis mortalibus indoles ad ſpeciem virilis elegantiæ magis facta. Oris intrepidi habitus, motusq; atq; geſtus, qui totum corpus decent. Et hic decor virtutem ingentium virorum adornat; exiguis autem animis pro fuco eſt, ac veluti naturali munimento, quo ſuam humilitatem abſcondant, aut mitigent. Sic venuſte compoſiti qualemcunq; veſtitum de ſuæ mutationis infinita ſerie, tanquam de inexhauſta penu deprompſerint, quocunq; ſalutationis artificio corpus inflectant; putes nihil magis illa inſtitutione conuenire.*

Geſtus almodici.

s *De icone anim. par. 4. c. 3 p. 73.*

Gallici geſtus dedecent exteros.

nire. Vicinæ autem gentes ridiculo errore deceptæ, ad illorum quoque mores, per eorundem veſtium ac motuum variam imitationem putant accedere; ignaræ, leporis & gratiæ virtute in nonnullis hominibus vno genio cuncta placere; in aliis autem, in quibus natura ad hos mutabiles habitus propitia non eſt, eiuſdem venuſtatis imitationem & curam, ingratã ac ludicram eſſe. Nam virtutes & vitia, & quicunque alij motus ipſis animi receſſibus inhærent, poſſunt à nobis non multum operoſa ſimulatione effingi; quia adeo ingentibus latebris reconduntur noſtri ſenſus, vt vix vllus deprehendat, veris, an extemporaneis affectibus deducamur. Sic facile humilitatem ſimulabis, ſic odium, amorem, pietatem. At vero quæ non magis imperio animi, quam vſu, & externo corporis obſequio perficiuntur, eorum imaginem in te transferre, reluctante natura, non poteris; vt eſt aptitudo corporis prompto habilique decore idonea, vt hilaris iocandi facilitas, & omnino eloquentia non in præcordiis, ſed ſummo ore nata. Hæc autem cum in Gallica conſuetudine emineant, ægerrime te ad illius ſimilitudinem transferes, niſi te tuus genius huic indoli ſponte admouerit.

Tu iſta decere arbitraris? at ille negat. Animis exiguis ait eſſe pro fuco. Imitatores Gallorum ridiculos ait, ignaros gratiæ. Negat exteris naturam ad tam mutabilis habitus propitiam: vtinam vero Germanis ad ſinceritatem & conſtantiam inſtituta patria perſeuerẽt. Ait curam imitandi ingratam ac ludicram: addo etiam principum vultu, atque irriſu ſociorum caſtigandam. Fatetur à Gallis iſta fingi, vt deprehendi vix poſſit, veris ac extemporaneis affectibus deducantur. Quid igitur aliud agit nobilis Germaniæ, mimus de Gallia, quam vt geſtu moneat, ne credamus affectus tegenti? Simulare per iſta poteris, non tamen fallere, iam nos ſcriptor ille docuit, hæc eſſe ſimulationis artificia, quæ prodita non fallunt, ſed odio ſunt. At recte, inquies, mimum ago. Si vera narras, genius igitur tuus, iudicio Euphormionis illi te indoli admouet: hoc eſt, vt ſupra dixerat ad motus mutabiles. Mores adoleſcentiæ Gallicæ, ſi ad regem

Mores externi in Germanis fucus.

Fallacia.

ille vere ſcribit, imitari te nolim: [t] *Adoleſcentia*, in- quit, *ac iuuentus, inſano incautoq; impetu vt plurimum feruet. Vana in eiusmodi ætate libertas, nunc iocandi, nunc ignotos pariter notosque laceſſendi, & vbique titulos nimiæ ſecuritatis affectans: leues animi, & rumoribus rapti, iam impatientes ocij, moxque tumultus. Oſtentatio libidinis ſupra naturæ deſiderium inepta; tum inconſulti riſus, neminiq; parcentes; vis etiam intra ſe irrequieta, per varium ac multiplicem tumultum erumpens. Quidam tamen in omnium exordiis rerum induunt non veram, & ideo maiori ſpecie ſubornatam prudentiam: Veluti matura ſapientia compoſiti, verba tarde euntia deducunt, lento vultu, & aſtum cum humanitate fingenti. Ex re quoque factum nomen, vt appellent frigiditatem. Sed & virtutis ſimulatio tunc eſt ingrata; nec diu tam ſcenica perſona impatientem omnis veli leuitatem abscondit.* t p.48. *Iuuentus Gallicana Euphormionis.*

At humanitatis plenæ ſunt illæ actiones. Credo in illis, in quibus natiuæ ſunt: nam ficta humanitas geminata fraus eſt. Humanitatem docet etiam Germania de Gallis non iudico, noui plures & humanitate, & fide conſtantiaque inſignes: Euphormio tamen eos notat, nec timet regi ſuo iſta ſcribere. [u] *Soli Galli quocunque in peregrino ſolo conſederint, præſertim ſi miſeri, & ad opem alienam conuerſi, ſæuiſſima æmulatione decertant. Tum occulta ludibria, liuorque deformis, tum profeſſa odia, & rixarum etiam ad peregrina tribunalia conciues vocantium deriſa improbitas. Sic inter ſe certantes neſcio qua infamia apud imperitos inundant ſuam gentem, quaſi in inuidiam nata ſit, exorsq; quietis, ac amoris, quo vnius patriæ ciues arcana vi natura coniunxit.* u p.86. *Galli ſibi infenſa.*

Si te illis moribus oſtentes, vide ne ſuſpicionem moueas, vt te quoque aliena ſectatum, à ciuibus tuis alienum iudicent.

Et tamen, inquis, mores illi politi ſunt, & humani. Audi Euphormionē. [x] *Adhuc autē fœdius in Galliarum viſceribus peccant, qui paſſim tanquam gladiatores ad arenam* x p.87.

damna-

damnati, ſubitis odiis, armiſq; priuatis. ad vltima diſcrimina committuntur. Rem immanem, & ad iſtius ſæculi probrum, leue iurgium, ſolaq; altercantium ambitione increſcens, aut reuera innocens iocus, plerumq; autem turbulenti ingenii præcipitatio ad famam ſæpe ad triſtiſſimas cædes, & familiarum orbitatem, lymphatam iuuentutem propellit.

Deliciæ ſermonum, geſtuum fracta, & humilitati, amori, ſuauitati aſſimilata concinnitas tantam atrocitatem ſub imitamentis ciuilitatis reconditam habet. An & hoc timendum in troſſulis Alemannis externo more lymphatis? Sane veſtes & geſtus, ſi videat non ſanus Oreſtes, inſanos iudicaret. Inter propinquos &
y P.90. illa bella: Euphormio. [y] *Et vero nihil iam ad amentiam, aut impietatem reſiduum in propinquos amicoſq; ſæuientibus.*

z P.91. Cur vero iſta? [z] *Ineptiſſimo deſiderio*, inquit Euphormio, *famæ: vt iactentur magno vitæ contemptu in arenam proceſſiſſe, id eſt, truculentiſſimum facinus auſi eſſe barbara ignoratione virtutis.* Quiſquis igitur exteros præ ſe mores fert, & popularibus obtrudit, nunquam exterorum vitiorum ſuſpicione carebit: affectatæ beneuolentiæ ſimulatione inuiſus.

Cap. LXIX.

Conſcientiæ cura, & innocentia commendata ante omnia magnatibus.

¶ I.

Daniel conſcientiam cõmendat.
a c.1.5.
b c.4.
c c.5.
d c.6.22.

[a] DAnieli ſociiſq; barbaram aulam ingreſſis prima cura fuit, ne contaminarentur. [b] Monuit etiam regem, ac conſcientiam illius mouet, iubet peccata eleemoſynis redimere. [c] Grauius etiam Baltaſarem de conſcientia admonet, ipſe innocentia ſua tutus eſt. [d] *Deus meus miſit angelum ſuum, & concluſit ora*

leonum

Digitized by Google

Leonum, & non nocuerunt mihi: quia coram eo iuſtitia inuenta eſt in me: ſed & coram te, rex, delictum non feci.

Deus enim innocentiæ vbiq; vindex eſt & patronus quod edicto ſuo Darius oſtendit. [e] *ipſe liberator, atq; ſaluator, faciens ſigna, & mirabilia in cælo & in terra, qui liberauit Danielem de lacu leonum.* e c.6.27.

Ipſe enim Deus innocens & ſanctus ſola conſcientiæ puritate delectatur, homini vultus formoſitas Deo mentis pulchritudo placita eſt. [f] Antiquum dierum vidit, veſtimentum eius ſicut nix candidum, & capilli capitis eius quaſi lana munda. Hæc enim puriſſimæ diuinitatis ſymbola integritatem nobis quoq; commendant. Nam quæ patimur aduerſa, quæq; poſſunt in nos aduerſarij, cauſam primam habent ex nobis, meremur enim pœnas. Hoc quoq; Daniel prædixit in Eccleſia futurum, quod nunc quoque nimium experimur. Cornu paruulum deiecisse ait de fortitudine, & de ſtellis & conculcaſſe illas, hoc de viris bonis, magnis, fortibus. Cauſa autem ſubiungitur. [g] *Robur autem datum eſt ei contra iuge ſacrificium propter peccata: & proſternetur veritas in terra, & faciet, & proſperabitur.* f c.7. Deo grata innocentia. g c.8.12.

Et [h] deinde ſurrexiſſe regem fortem, ſeu impudentem facie, cum *creuerint iniquitates*, & roborandam eius fortitudinem, non in viribus ſuis, ſed peccatis credentium. Quod toto capite nono exponit. Finem autem omnium Gabriel Danieli proponit innocentiam [i] *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam, vt cõſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatũ, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & vngatur Sanctus ſanctorum.* h v.23. i c.6.24.

Sola curanda eſt conſcientiæ puritas, & innocentia, hæc omnia poteſt, quia Deum habet Saluatorem. Hæc Danielem in lacu leonum, hæc Suſannam inter iniqua iudicia ſeruauit. [k] *Nam ſeruatus eſt ſanguis innoxius in illa die.* k c.13.62.

Denique conſcientiam vnice curandam Daniel nos

Digitized by Google

docet, *Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt.* [m] Conſcientia Codex eſt, in quo quotidiana peccata ſcribuntur. *Conſcientia,* inquit [n] Hieronymus, *& opera ſingulorum, in vtramq; partem, vt bona vel mala omnibus reuelentur. Bonus liber ille eſt, quem ſæpe legimus viuentium. malus liber, qui in accuſatoris tenetur manu, qui eſt inimicus & vindex. de quo in Apocalypſi legimus accuſator fratrum noſtrorum.* Liber ille terrenus eſt, de quo & Propheta dicit. *In terra ſcribentur.* Non dubium quin hic liber ille de quo Apocalypſis. [o] *Et vidi mortuos magnos & pupillos, ſtantes in cõſpectu throni, & libri aperti ſunt: & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ, & iudicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris, ſecundum opera ipſorum.*

m *Anſel.*
n 7. *Dam.*
o 20. 12.

Alterutrum horum librorum quotidie cõſcribimus quicquid agimus, dicimus, cogitamus in acta refertur. Etiam inania & ocioſa, non tantum crimonoſa plectentur.

§ 2.

Conſcientia libertas.

Conſcientia igitur præ omnibus curanda eſt, illam nemo decipit, & qui ſupprimit, pœnam, qui purgat, gaudium ſentit. Si illa accuſat, nemo liber eſt. Si non accuſat, nullius lingua implicat. Quem de libro Dei non delet conſcientia, non poteſt delere ignorantia, vel malitia aliena. Deus iudex iuſtus eſt, conſcientia teſtis verax. Quæ ſi bona eſt, nihil illa dulcius, nihil quietius, quotidie vireſcit, paradiſus eſt, diuinis fluminibus irrigata, ſi radix ſana eſt, frondes, & flores lætantur, conſcientia integra in vultum exit, ſuperat conſcientia, quicquid mali lingua finxerit. [p] *Ad conſcientiæ autem diligentiam & cuſtodiam differentiæ ſunt plurimæ. Rationem enim habemus conſcientiæ, ad Deum, ad proximum, & ad res. Ad Deum, ne quis ſcilicet eius præcepta contemnat, etiam in iis, in quibus eum mortalium nemo videt, nemo repetit, nemo iudicat. Cuſtodiat ipſe conſcientiam Deo in abſcondito, vt exempli gratia:* Neglexit orationem, *aſcendit praua cogitatio in cor eius, nec lauit, nec repreſſit ſeipſum, ſed oblectationi obſecutus eſt. Vidit proximum quippiam*

p *Doroth. doctri. 3.*

vel

Digitized by Google

vel agentem vel dicentem, ſtatimq; cum ſuſpicione illum iudicauit, & vt concludam breuiter, ad omnia diligentia opus eſt, vel quæ ſunt à nobis in abditis perpetrata, vel quæ nullus omnium, niſi Deus & conſcientia noſtra conſpexit. Erga autem proximũ conſcientia habetur, ſi nemo quippiam omnino faciat, quod intelligat, quamuis minimam moleſtiam & afflictionem proximo intuitu afferre. Non re, nõ verbo, non animo non ſigno, nõ aſpectu. Sunt enim ſigna quædam, vt ſæpe dixi, quibus proximum lædamus, ſunt aſpectus, quibus eundem affligamus, & moleſtia non parua afficiamus Et vt breuiter edicam, quibuscunq; ſenſerit homo moleſtiã ſeſe proximo afferre, ab iis omnibus iubet abſtinere conſcientia. Quod ſi contra faciat, commaculatur & rea eſt, nõ ignara ea à ſe ſtudioſe agi, vt noceat, vt affligat. Et hoc eſt, quod dicimus erga proximum conſcientiam cuſtodire. Ad res autem habere conſcientiam, eſt, re nulla abuti omnino, vt ſcilicet non ſinat fœdari rem vel proiici, ſed cum viderit quippiam proiectum, non negligat, etiam ſi vile ſit ſed corripiat potius, & in locum ſuum ſtatim reponat. Ne quis item propriis veſtimẽtis abutatur, eſt enim quis exempli gratia, qui tunicam ſuam queat vnam duasve etiam hebdomadas ferre, & abiens illam ante id temporis abluit & conterit, ita vt cum per menſes alios quinq; atq; amplius vtilis eſſe poſſet, crebra lotione eam reddat inutilem: Contra conſcientiam fit hoc. Contrarium in conſcientiæ emundatione peragitur. Lotione crebra, non modo mundior, ſed fortior, durabilior, ſecurior efficitur, etiam amabilior, loti cordis os floreſcit. Bias rogatus quid eſſet ſine metu, reſpondit: Bona cõſcientia. Cum illa munda eſt, omnia mala contemnuntur. Chryſoſtomus tantam eius vim eſſe affirmat: vt ſicut ſcintilla in mari, ita mala omnia bona conſcientia exſtinguantur. Hæc ſeruos Dei ſemper contra omnium aduerſa firmauit. Mala conſcientia timidum facit, radit, vt fluuius ripas, ita animum, ſemperq; vulnerat, ille æger tactum refugit, vt fumus oculos, ita iſta animũ mordet, illa vnicuique tempeſtas eſt ſua, cœtera tranſeunt, hæc perſeuerat in æternum, opera enim ſequũtur in vitam alteram.

Conſcientia cura.

§ 3.

Innocentia ſtudiũ. Tanto igitur ſtudio incumbendum eſt, vt creſcat cum annis ætas virtutum, vt omne tempus quo meliorem te non ſentis, perdidiſſe te credas. Non enim vita longa optima, ſed innocentiſſima. Nihil ſancta maieſtas à nobis requirit præter innocentiam, quam facit amor iuſtitiæ, Eſt autem illa triumphus gratiæ cum non peccatur, vbi facultas eſt, cum abſtinetur iniuria cum nec nocetur inimicis: cum bene iudicatur de omnibus, cum in omnibus eſſe fides creditur, niſi vbi manifeſta perfidia excuſationem non tollit. Altare Deo eſt, in quo requieſcit, quod ſacroſanctum Deus eſſe voluit, nec violari poteſt pernicie accuſatoris. *Decus innocentiæ.* Hæc inter improbos, vt vnio in luto ſplendidior eſt. hæc inter pericula ſecura eſt. *Alphonſus.* Alphonſus mirantibus illius ſecuritatẽ ſine ſatellite ambulantis, reſpondit, ſecurum eſſe ſe innocentia. Innocentiæ omnia elementa famulantur, ignis, aqua, terra, & lux ipſa, quia conſciẽtia lux eſt. *Vto. Goar.* Vto ſecurim inuentus in ſylua, Goar pallium ad ſolis radios ſuſpendit. Hac pace geſtit, in tormentis fruitur iuſtus. Semper illa emicat, vt ſidera, facilius eſſe vtrem inflatum mergi, quam virum bonum tegi docebat Zeno. *q c. 3. Dan* [q] Innocentiæ trium principum ne fuligo quidem adhæſit, ne odor quidem ignis, picei aut corpori, aut veſti natiuum bonũ dempſit. Nulli hominum ſunt ad perdendum illum vires, quem Deus defendit. Semper eius cauſa ad illud tribunal agitur, vbi opprimi non poteſt, in quo omnis controuerſia deciditur. *Armin.* Arminij ſymbolum erat, *malo mori quam fœdari*. Hoc ille ad ſpeciem innocentiæ, reuera præſtiterunt *r 24. Aug. mart Rom. ad Vſuard.* [r] trecenti illi martyres Carthagine ſub Valeriano & Gallieno, quorum multis machinis oppugnata eſt innocentia, *Pontius Picanus. trecenti martyres maſſa candida.* illi vero inter cruciatus aduerſum omnia tanquam ſcuto innocentia vterentur, tandem, *cum præſes fornacem calcariam accendi iuſſiſſet: Eligite è duobus vnum, aut thura ſuper his carbonibus offerte Ioui, aut in calcem demergimini, fide armati, Chriſtum Dei Filium confitentes, ictu rapidiſſimo ſe iniece-*

Digitized by Google

iecerunt in ignem,& inter vapores calcis in puluerem ſunt reda-ƈti. Maſſa candida magis innocentiæ luce, quam nitore calcis ardentis. Feliciſſima tum eſt innocentia cum à perſecutoribus opprimitur. Non enim lugendi ſunt qui moriuntur, ſed qui peccant. Si aliquando Deus illam miraculo tuetur,non tamen felicior eſt quem perſecutio declinat, quam ille, quem ſternit. Quod & Daniel monuit. [s] *Et de eruditis cadent*,(perſecutionis violentia conſumpti,& occiſi) *vt conflentur, & eligantur, & dealbentur vſq; ad tempus præfinitum : quia adhuc aliud tempus erit.* — *Feliciſſima eſt innocētia quæ opprimitur.* — s c.11.25.

Feliciores illi cadendo,quam alij, quos dicit ſubleuandos auxilio paruulo. [t] *Cumq; corruerint, ſubleuabuntur auxilio paruulo.* Optimi illi de quibus prophetat. [u] *Et docti in populo docebunt plurimos:& ruent in gladio, & in flamma,& in captiuitate,& rapina dierum.* — t c.11.34. — u c.11.33.

Joannes Damaſcenus calumnia manum amiſit, felix contumelia,& dolore,reſtituta eſt precanti, non vt martyris gloria maior eſſet, ſed vt barbaris diuina potentia pateſceret.Hoc ergo ſtudeamus,mundi eſſe.[x] Mundus eſt, qui nullius mali ſibi conſcius eſt. Qui mundam habet mentem, toto corpore mundus eſt. — *Damaſcenus.* — x *Athan. l.*7.63.

§ 4.

Conſcientiæ puritas gemina eſt. Abſtinere peccatis, & factorum pœnitere. Prius paucorum eſt,alterum eorum quos gratia liberat, Rari, qualis Pudens ſenator Romanus, S. Pudentiæ parens, qui [y] ab Apoſtolo Chriſti in baptiſmo veſtitus innocentem tunicam vſque ad vitæ coronā immaculate cuſtodiuit,ſed cuiusq; nobis incerta eſt innocentia, etiam cuius nulla apparet culpa, Danielis innocentiæ teſtimonium dat Ezechiel. [z] *Si fuerint tres viri iſti in medio, Noe,Daniel,& Iob: ipſi iuſtitia ſua liberabunt animas ſua.* Et ſupra demonſtraui primam illi curam fuiſſe,ne contaminaretur cibariis lege vetitis: Deinde vixiſſe eo modo,vt iniuſtitia corā Deo nō ſit inuenta:Sic Chriſtiano Aulico eadē eſt animi voluntas, & propoſiti firmitudo,facile vitaret exē- — y *Mart. Rom.*19. *Mat. menalog.Vſuard.Ado.* — z c 14.14. *Pœnitentia.*

Digitized by Google

plo Danielis, ne paſſim contẽpto Deo, pœnas ſibi peccando attraheret: eſt in ſingulis dictamen diuinũ conſcientiæ, ꝙ nunquã perit, quod officium nobis ſemper in memoriá reuocat, quod tamen ab improbis ſpernitur, & conculcatur, vt Dorotheus explicat, Hinc malum peſſimum conſequitur mentis excœcatio. Vt mala ſua nõ intelligat, nec meditatur in res alias intentus. Quod enim oculis tenebræ, hoc menti eſt peccatum, vt res ipſas non videat, & ſi quid interlucet, diſcrimina tamen rerum non cognoſcat. Verbum quidem Dei audit, verum vt ſurdaſter confuſum ſuſurrum auribus accipit, & ſonitu contentus, vocum diſtinctionem, & ſubiectum ſenſum ignorat. Deus limen habitans inacceſſum, intuens abyſſos, omnia intuetur. Magna pars peccatorũ tollitur, ſi peccanti teſtis aſſiſtat, at vero non facile in palatij frequentia ſine teſte peccatur, etſi deſit cognitor, in cõſpectu tamen Dei, & coram multorum millium Angelorum, ſummam maieſtatem offendit. Quantumuis terrenos ſucceſſus habeant, peccato tamen perpetrando in dæmonis naturam degenerant, quod peccati, haudquaquam naturæ nomen eſt: vitia naturam peruertunt: Ille quos ad crimen inducit, ſibi ſimiles reddit, non poteſtate cogendi, ſed aſtu ſuadendi: Eoq; facilius, quod quiſq; ſponte fit malus, nec habet ad peccandum magiſtrum.

¶ 5.

Accedunt in auxilium cupiditatum feruentium, & dæmonis ignem gladio tentationum fodientis, etiam ſociorum hortamenta, vt pietas in acie ſemper periclitatur, inter ſacrum, & ſaxum ingemiſcat. pugnando autem ingentem à Dæmone vtilitatem conſequi poſſunt vt Chryſoſtomus docet, ſanctis enim diabolus coronas plectit, improbis laqueos, Caſus aliorum retrahere nos debent, à lapſu, non impellere. Landohino inferos angelus oſtendit, ſummum à peccatis auocamentum, ſed malis; qui enim metu iuſtus eſt, nondum ad caritatem peruenit: ſi quemadmodum in ſanctorum conſpectu

Homo ſemper in conſpectu angelorũ.

ſunt

ſunt tormenta impiorum. Sicut ſcriptum eſt, [a] *Et hic bibet de vino iræ Dei, quod miſtum eſt mero in calice iræ ipſius, & cruciabitur igne & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum, & ante conſpectum Agni, & fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorū: nec habent requiem die ac nocte, qui adorauerant beſtiam & imaginē eius, & ſi quis accepit Characterē nominis eius.* Si inquam iſta viderent forte nouiſſima ſua conſiderarent, & malorum vitarent cauſas: Forte dico; dubitare enim me cogit eorum peruicacia omnium contemptrix, qui cum certiſſimo iſta credant, non tamen fide excitantur ad vitanda mala, quæ credunt euentura. Fidei autem certitudo, quam oculorum maior eſt. Viſus fallitur perſæpe, prophetico ſermoni nunquam ſubeſſe falſum poteſt. Quotidie carceres, flagella, cruces, rogos, mortes repentinas videmus, & tamen inter tot inſtrumenta pœnarum regnant peccandi libidines. Non ceſſat culpa, Ericius ſemper in ſpinis eſt, peccator perpetes criminum aculeos ſentit. Vbi ſemel impliciti atq; irretiti tenentur, ſecum onera ſua trahunt: vt Iſaias prædixit. [b] *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.* Liberari poſſunt, ſed nolunt moneri, nolunt intelligere: [c] *Ecce non eſt*, inquit, Iſaias, *abbreuiata manus Domini vt ſaluare nequeat, nec aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat. Sed iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret.*

a Apoc. 14.10.11.

b c.5.18.

c c.5.9.1.2.

In aulicis caſus pronior eſt, quia per abruptum aſcenditur: Cautela debet eſſe circumſpectior. Nuſquam enim facilius vitia virtutum ſpecie ſe ingerunt. Qui manifeſtè peccat, duplex facit malum, peccat & docet, quod in aula eſt frequēs ex mutuo conuictu ac conſuetudine. Mutuo vitia excuſare malunt, quam excutere. Serpunt illa, & contactu nocent, in alios trāſeunt, alij alios trudunt, nemo retrahit, multitudo impellit, dant animos ſociis gloria peccato datur & accipitur. Nec tam ſancta eſt vlla ſocietas, in qua non

Occaſio culpæ in aula.

ſint peccatores. Nullum malum punicum tam integræ ſanitatis eſt, vt non aliquod granum ſit putridum. Facile vulnus, lõga medicina nõ vna monitio. Hinc qualeſcunq; ſunt opinione mundi errãtis, à Deo reiiciuntur, cui odio eſt impius, & impietas eius. Hinc deinde
d 6.5.9. 9.10.11. fons omnium miſeriarum. [d] *Propter hoc*, inquit Iſaias *elongatum eſt iudicium à nobis, & non apprehendet nos iuſtitia: exſpectauimus lucẽ, & ecce tenebræ; ſplendorem & in tenebris ambulauimus. Palpauimus ſicut cæci parietem, & quaſi abſque oculis attrectauimus, impegimus meridie quaſi in tenebris, in caliginoſis quaſi mortui. Rugiemus quaſi vrſi omnes, & quaſi columbæ meditantes gememus, exſpectauimus iudiciũ, & nõ eſt,*
e Prou. 14.34. *ſalutem, & elongata eſt à nobis.* [e] *Iuſtitia enim eleuat gentẽ, miſeros autem facit populos peccatum*: vt ſententia Salomonis nemo peccator ſit non miſer. In concertatione autem malitiæ eſt miſerior, qui vincit: quia plus ex certamine peccati habet.

Cap. LXX.

Magnatibus, Palatinis, magiſtratibus ſeria, & grauis pœnitentia conuenit.

§ I.

Pœnitentia aliena ab aula.

NOn vereor ne verba mea repudient: multi enim delicta cognoſcunt. Ne tamen ſe obdurent contra flagellantem ſurdo verbere conſcientiam: ne de ſe male, de regno dæmonis bene mereantur, iuſtus metus eſt. Aulam lætitiæ eſſe regiam, & gloriæ gymnaſium, non pœnitentiæ carcerem obiectant. Eſſe ipſis perpetuas nuptias, vbi ſponſus ſit rex ipſe, ad cuius vocẽ lugere nefas ſit. Non ignoro in regno voluptatis ieiunio cilicio, & aſperitati plorantium delicta ſua non eſſe locum deſignatum: ſunt triclinia conuiuiis, atria, choreis, theatra ſpectaculis, circi ludis, horti deliciis, viuaria ſyluæ in modum venatoribus; extra ſepta palatij, vt carceres, & latumiæ, ita pœnitentium ergaſtula.

ſtula. Mardochæus ſciſſis veſtibus, indutus ſacco, ſparſus cinere caput, voce magna ibat per mediam ciuitatem clamans. [a] *Et hoc eiulatu vſque ad fores palatij gradiens. non enim erat licitum indutum ſacco aulam regis intrare.* a *Eſther 4.3.*

Regiam Mardochæo ingredi licuit, ſeruatori regis, ſaccus vetabat. Quare Eſther *conſternata miſit veſtem, vt ablato ſacco induerent eum, quam accipere noluit.* Atque ita per internuncios cum regina locutus eſt, non enim niſi mollibus veſtiti in domibus regum eſſe ſolebant. Schema pœnitentiæ, habitus miſerabilis, in exultante palatio importunus apparatus, & vt muſica luctibus, ita luctus gaudiis intempeſtiuus. Damaſcenus in hiſtoria Joſephati, & Barlaami narrat procul aula, oculisque regum arceri ſolitos, qui malis humani generis, quæ omnibus timenda ſunt, premerentur, mendicos, ægros, leproſos, cœcos, claudos, aliisque miſeriis obſitos. *Mardochæus non ingreſſus aulam.* *Ab aula repelluntur miſeri.*

Verum illa ſunt in aula regum impiorum, atq; infidelium. Quamuis in illis quoq; inueniantur Joſephi, Danieles, Nehemiæ, & Eſtheres.

§ 2.

Daniel inſigni pœnitentiæ exemplo, dum legumine, & aqua contentus viuit, omnibus præiuit. Deinde ſenior pœnitentiam egiſſe ſe teſtatur. [b] *Et poſui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare & deprecari in ieiuniis, ſacco, & cinere, & oraui Dominum Deum meum, & confeſſus ſum, & dixi: Obſecro Domine Deus magne & terribilis, cuſtodiens pactum & miſericordiam diligentibus te, & cuſtodientibus mandata tua.* *Danielis pœnitentia.* b *c.9.3.4.*

Pœnitentiam agebat, & confitebatur peccata ſua, corporalis enim exercitatio abſq; interna animi contritione ad modicum valet, pietas ad omnia vtilis eſt. [c] *Cumq;*, inquit, *adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Iſraël, & proſternerem preces meas in conſpectu Dei mei, pro monte ſancto Dei mei.* Eandem c *V.20.*

dem quoque rationem poſt tres annos repetit, panem
d 10, 2. 3. deſiderabilem non comedit. [*d*] *In diebus illis*, inquit, *ego Daniel lugebam trium hebdomadarum dies. panem deſiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum, ſed neq; vnguento vnctus ſum, donec complerentur trium hebdomadarum dies.* Oratio vero tota pœnitentis eſt,
e c. 9. 17. 18. 19. præſertim illa pars. [*e*] *Nunc ergo exaudi Deus noſter orationem ſerui tui & preces eius: & oſtende faciem tuam ſuper ſanctuariũ tuum, quod deſertum eſt, propter temetipſum. Inclina Deus meus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide deſolationem noſtram, & ciuitatem, ſuper quam inuocatum eſt nomen tuum: neq; enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Exaudi Domine, placare Domine: attende & fac: ne moreris propter temetipſum Deus meus: quia nomen tuum inuocatum eſt ſuper ciuitatem, & ſuper populum tuum.* Talis & martyrum
f c. 3. 29. 30. in camino. [*f*] *Peccauimus enim & inique egimus recedentes à te: & deliquimus in omnibus, & præcepta tua non audiuimus, nec obſeruauimus, nec fecimus, ſicut præceperas nobis, vt bene nobis eſſet.* Erubeſcunt in Dei conſpectu. [*g*] *Et nunc*
g v. 33. *non poſſumus aperire os: confuſio & opprobrium facti ſumus ſeruis tuis, & his, qui colunt te,* orant vt in ſola anima con-
h c. 3. 41. trita, & ſpiritu humilitatis accipiantur. [*h*] *Et nunc ſequimur te in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam.*

Magnatibus neceſſaria pœnitentia.

Tales animos requirit aula Dauidica, aula Danielis, aula Chriſtiana, vbi etſi ſit innocentia, confiteantur tamen & ſua peccata, qui etſi non ſint criminoſi, ſunt tamen peccatores, ſepties in die cadit iuſtus, impius ſemper iacet, reſurgere enim negligit. Magiſtratibus atq; illis, qui in dignitate verſantur, totius populi ſalus commendata eſt, neque enim idcirco regnantibus proximi ſunt, vt prouincialium ſanguine diteſcant, & ad cultrum dæmonis ſaginentur, ſed vt pro ſubiectis vigilent, laborent, orent, pœnitentiam agant, ita Samuel, Dauid, Daniel, cœteri reges DEVM timentes. Cunctis, qui delinquunt, agenda eſt pœniten-

tentia, maxime aulicis, qui & rationem pro aliis reddere cogentur. Omnibus neceſſaria eſt, hac in vita, ſera eſt apud inferos, qui nolunt, inquit, Auguſtinus medicinalem, habebunt pœnalem.

§ 3.

Eſt quidem vita aulica, vt P. [i] Cauſin docet, palæſtra pœnitentiæ, ob multiplicem patiendi occaſionem. Sed plerunq; pœnæ accumulantur, non pœnitentia, non enim reſipiſcunt, ſed propriis vitiorum pœnis anguntur. Ambitio ſollicitat, auaritia cruciat, inuidia ſuffocat, iræ furor exurit, intemperantia delicias tormentis penſat. Extra hominem nihil eſt, niſi dolor, ſi intus eſt peccatum, abeſt omnis conſolatio, & ſimilis vita damnatorum doloribus. Dolor flagelli ſemper adeſt, nec temperatur, niſi vbi culpa agnoſcitur. [k] Birgitta regiæ ſtirpis, & aulicæ ſanctitatis ſpecimen, ſi qui cum ea ageret, qui letali crimine obſtrictus eſſet, aut ſimulate & fraudulenter loqueretur, tanto fœtore cruciabatur, vt ferendo non eſſet, ſe auertere, & abrumpere colloquium cogeretur. Hanc animi ſui Mephitin, ſi illi, qui tanquam auernus exhalant, & Angelorum naribus inhalant, ſentire poſſent, continuo igne & ferro putredinem reſecarent. Crebro tamen fœtor ille ſe animo ingerit, & totam Camerinam mouet, vt ſibi mens ipſa ſit intolerabilis, qualē in Tiberio deſcribit Suetonius. *Conſcientia apud quam non moritur omne, quod gerimus, quæ nos in factis noſtris accuſat & iudicat; quæ cum non habeat loquēdi vſum, neſcit tamen tenere ſilentiū. Poteſt cōſcius morte ſubduci, poteſt tibi ad tempus prodeſſe teſtis cōſcietia. Nec rectū ſupereſt, & ſine te nō eſt, hæret pectori, nec vnquā te deſerit, & velut quædā pediſſequa, nullo abs te temporis interuallo diſcedit, tenet te reum, & in ſua ſemper ditione captiuum.* Etſi talis mortuus ſit, & cadauer, nā à Deo cecidit, vt demōſtrat [d] Auguſtin. quieſcere tamen nō ſinitur, quemadmodū Imperatricis Eudoxiæ corpus aliquot annos in tumulo concutiebatur. Lapſus es, reſurge, pecca-

i *De vita aulica.*

Pœnitentia aulica.

k *Sur. in eius Vita.*

Pœnitentia naturalis.

Pœnitentia ſeria.

l *T. 5. 193. e. f.*

Digitized by Google

peccaſti? quieſce, optima pœnitentia non reuerti ad priſtina peccata. Renaſcentia enim eſt, & noua vita morti repugnans. Ex laboribus ſanitas, ex ſudore ſalus, ex pœnitentia vita eſt. affligimur delictis, ſeruamur per pœnitentiam. In longum multi conſultant, & craſtinum non habent: Quot millia pœnitentiam differentium aduentus Chriſti anteuertit? Eam cladem Frederico Cæſari Papa prædixit.

Fata volunt, Scriptura docet, tua facta loquuntur,
Quod tibi vita breuis, pœna perennis erit.

Hæc fere vita eſt impœnitentium: alia eorum quos Deus elegit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui. [m] Dorotheus rogatus ab amico, ſibi parceret, ne perpetuum bellum cum corpore gereret? ſeuere reſpondit: *Quare me illud occidere conatur,* mors enim certa non pœnitenti, molliter viuenti. Lachrymæ, cui pœnitentiæ defuerunt, ſtridore dentium in tenebris exterioribus conterentur. Tribunal iudicis nec innocens, nec pœnitens veretur. Nec longæ ſunt in lamentatione contritiones, lachrymas cito manus diuina abſtergit, gratæ ſunt cœlo, vinum Angelorum, quo mentes illæ exhilarantur. Rigant ſementem pietatis. oratio Deum lenit, lachrymæ cogunt, hæc vngit, illæ pungunt. Nihil tamen proſunt lamenta, ſi iterentur peccata. Pœnitentiæ eſt delere peccata, quorum eſt dolor, facta plangere, plangenda non facere,

m *Soz. l.6.c.29.*

§ 4.

Rara regum pœnitentia.

Pœnitentiæ nobis exemplum Daniel exhibet regem Chaldæum, [n] peſſimum vltra omnes homines tyrannum. Dum in delicto hæſit, beſtia fuit, dum pœnitet, redit in naturam humanam. [o] *Igitur poſt finem dierum, ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cœlum leuaui, & ſenſus meus redditus eſt mihi: & Altiſſimo benedixi, & viuentem in ſempiternum laudaui, & glorificaui: quia poteſtas eius poteſtas ſempiterna, & regnum eius in generationem & generationem.*

n *c.3. 23.*
o *c.4.31.*

Impœnitentis exemplum Balthaſſar, quem Domini ad-

Digitized by Google

ni aduentus anteuertit, Darius pœnitentiam egit, credo & Cyrum: ſed hic iterum plangenda commiſit. Cæteri reges Danielici ſine pœnitentia periere. Luculentiſſimam pœnitentiam egit Manaſſes, & quidam reges Juda, nemo Regum Iſraël, non admittunt facile humiles lachrymas celſa faſtigia. Ex tot imperatoribus religionem perſecutis, atque Ethnicis ſolum [p] Philippum pœnitentem habemus, vt refert Euſebius. Tot præſides periere, pauci pœnitentia ſanati ſunt. Eleutherius conſulari genere ex perſecutore martyr factus eſt. Arianus vt [q] Menologium Græcorum, Metaphraſtes, [r] Vſuardus teſtantur præſidum erat cruentiſſimus, perſecutor immanis, ſed tandem credidit, & merſum cum ſociis mari, delphini in littus retulerunt. Gordianus quoque vicarius vrbis poſt iſta crimina Eccleſiæ additus eſt. Inter ipſa ſcelera conuerſiones & pœnitentiam Deus operatur. Geneſius Romanus in theatro, hoc eſt ſceleſtiſſimo orbis terræ ædificio ad pœnitentiam vocatus, vt teſtatur [s] Martyrologium Romanum, [t] Surius. *Item Romæ*, aiunt faſti, ſancti Geneſij *Martyris, qui primum ſub gentilitate mimus, cum in theatro ſpectante Diocletiano Imperatore, myſteriis Chriſtianorum illuderet, à Deo inſpiratus, repente conuerſus ad fidem, & baptizatus eſt. Mox Imperat. iuſſu fuſtibus crudeliſſime caſus, deinde in equuleo ſuſpenſus, & vngularum diutiſſima laceratione vexatus, lampadibus etiam inflammatus, cum in fide Chriſti perſiſteret, dicens: non eſt rex præter Chriſtum, pro quo ſi millies occidar, ipſum mihi de ore, ipſum mihi de corde auferre non poteritis: martyrij palmam capitis obtruncatione promeruit.*

Philippus Cæſar.
p *l.6.c.34.*
q *5. Iunii.*
r *8. Maij. & Rom. Mart. Lipom. t.6. Sur. t.2.*
Perſecutores pœnitentes.
s *Die 25. Aug.*
t *T.5.*

Quæ eadem gratia data & Porphyrio, teſtibus tabulis ſanctorum. [u] *Item, ſancti Porphyrij mimi, qui coram Iuliano apoſtata per iocum baptiſmum ſuſcipiens, Dei virtute derepente mutatus, Chriſtianum ſe eſſe profeſſus eſt, ac mox, iubente eo, ſecuri percuſſus, martyrio coronatur.* Maximos ſanctorum labi Deus permiſit, vt cæteris & ſpes veniæ, & reſipiſcendi darentur exempla. Adamum,

u *Die 15.*

Patriar-

Digitized by Google

Patriarchas Jacobi filios, Moſen, Aaronem, Gedeonem, Sampſonem, Dauidem, Ezechiam, Apoſtolos, grauius Petrum. Vſtazanem, Jacobum interciſum, Hoſium, Conſtantinum, Theodoſium Magnos. Vterque maior Carolus Magnus *certos ſibi*, inquit Brunnerus, *dies ſumebat, quibus genium ipſe ſuum defraudans maligne famem extingueret; cum publice more Chriſtiano ſupplicaretur, ex palatio ſuo ad D. vſque Emmerammi excalceatus crucem ſequebatur, nihil imminui de maieſtate ſua ratus, quam Deo ſubſtrauiſſet.*

Cap. LXXI.

Iudicii diuini in aulis & nobilitate ac magiſtratibus conſideratio ex Daniele.

§ 1.

Atheiſmus magnatum.

QVam longe lateq; patet mundus, tam vaſto imperio regnat Atheiſmus, numinis contemptor, qui temporariæ mortis meditationem horret pauido metu, ac refugit, quaſi ad eam non niſi conſiderando iretur, profanus minas ridet æternæ. Stoicorum & Epicureorum delirio imbuti, nuſquam eum eſſe putant, qui mortuus eſt. Mortem pronunciant inimicam corpori, nec animæ parcere, hanc quoque vt pecudum formas emori. Seneca animam euaneſcere diſputat.

Vt calidis fumus ab ignibus,
Vaneſcit ſpacium per breue ſordidus,
Vt nubes grauidas, quas modo vidimus
Arctoi Boreæ diſiicit impetus,
Sic hic, quo regimur ſpiritus effluet,
Quæris quo iaceas poſt obitum loco?
Quo non nata iacent,
Poſt mortem nihil eſt, ipſaq; mors nihil.

Hæc

Hæc Epicuri, Stoiciq;, vt teſtatur [*a*] Plutarchus, & Laërtius in vitis eorũ crebro. Animæ tamen immortalitatem aſſerũt [*b*] Plato, quiq; eum ſecuti ſunt, Pherecydes, Thales Mileſius, [*c*] Hippoc. Pythagoras, aliiq;: Teſte [*d*] Laërtio & Cicerone. Galenus dubitauit. Teſtantur id multi quoq; alij apud [*e*] Clementem Alexandrinum, vt Epicharmus, qui pietatem colentibus poſt obitum felicitatem promittit, eosque cœlo aſſerit, impiis cruciatus apud inferos decernit. vt etiam Sophocles apud Juſtinum. Mortem eſſe certiſſimam, horam incertiſſimam, vbique illam inſidiari viuentibus, non eſt opus docere. Fatentur & illi, qui inter quotidiana funera non cogitant ſe morituros. Facilis vero eſſet mortis contemptus, ſi morte inciperent eſſe nihil, qui ante vitam nihil fuerũt. Verum mors tranſitus eſt, non ab eſſe ad nõ eſſe, ſed à vita fragili, in vitam aliam, in vitam aut mortem æternam, diuino iudicio cuique pro meritis conſtitutam, mors iter eſt in obſcuro, in momento longum, ex quo omnia pendent. Miſerrimus eſt, qui non nouit recte mori, *qui notus nimis omnibus, ignotus moritur ſibi.* Mortis cauſæ multæ, terminus vnus ad tribunal iudicis profectio. Non igitur mors, ſed quod eam ſequitur metuendum eſt: graue, quod ſupereſt mortuo. Hic quisque ſolus eſt, & agnoſcit non ſe natum aliis, ſed ſibi, moritur ſibi quisque, & onus ſuum portat. Dies vnus de alio iudicat, de antecedente ſubſequens, ſupremus de omnibus, ille præmia diſponit, & pœnas infert, nec in ſcelere fuiſſe felicitatem, nec in virtute miſeriam demonſtrat. Quicquid in mundo fuit, fumum & vanitatem probat. Vt Sabinus tertia mortis ſuæ die in vitam reductus omnibus perſuadere conatus eſt. Homines infideles in morte finem pœnarum, vt voluptatum arbitrantur, in Dei iudicio, tum omnium eſt principium, vt Nyſſenus diſputat. Tota igitur vita noſtra præparatio eſt ad illam iuridicialem diſceptationem, & bonam ſpem præbet, ſi recte traducatur, ſi male, exiguam.

Et ni-

a *L. 4. c. 7. de placit. philoſ.*
b *In Phædro Philebo.*
c *De carnibus.*
d *L. 1.*
e *l. 4. Strom.*

Mortem ſequuntur maiora.

Sabinus.

Digitized by Google

Et nihil in ea magnum, niſi ſi quæ ſigna ſunt prædeſtinationis, & ſtatus ille, in quo Deo placere poſſis; nam ex apparatu ad iudicium ſubeundum coniicere poſſumus, de euentu. Prouidentiæ diuinæ admirabile documentum recenſet [f] Dorotheus. *Nauem ſcilicet ſeruorum, ad quam neſcio vrbem applicuiſſe, in qua ſane vrbe eſſet virgo ſanctiſſima, ſalutis ſuæ admodum diligens & ſtudioſa, hoc cum accepiſſet, læta facta eſt, optabat enim ſibi ancillulam ex his mercari, quam ſuo arbitratu aleret & enutriret in Dei cultu, nec vlla labe mundialis malitiæ ſineret contaminari. Accerſiri ergo iubet nauis gubernatorem, quam ſtatim comperit, tenere penes ſe puellas duas eius ætatis, quam optabat. Quibus viſis ex his alteram ſibi dato pretio accepit. Vbi vero abiit mercator, haud longe digreſſus à virgine illa, obuiam habuit ſcenicam & proſtibulam quandam, cui poſcenti puellam alteram pretio dedit. Contemplamini, obſecro, myſterium Dei, contemplamini iudicium. Quis poteſt de re hac ſanam afferre rationem. Suſcipit virgo ſanctiſſima puellam primam, eamq; in timore Domini nutrit, inſtituit, informat, in omne opus bonum. Docet omnem monaſticam conuerſationem, oſtendit ſuauitatem Angelorum, & mandatorum Dei. Suſcipit & proſtibula eodem pretio ſecundam, & eam (breuiter dicam) diabolicis operibus omnino addicit. Quid enim aliud habeat furia illa, quod eam doceret, quam animæ ſuæ interitum & ruinam? Quid autem dicemus de horribili iudicio hoc? Ambæ paruæ erant, ambæ venundatæ, ambæ ignaræ quo proficiſcerentur, qui ſeſe manerent exitus, & ecce in Dei manus altera, altera in manus diaboli incidit.* Pari coniectura de ſe quiſq; ſua æterna fata auguretur: ſi pie caſte, iuſte vitam tranſigit, in Deo ſperet perſeuerantiam, & locum in latere iuſtorum. Sin aliter viuit, non mirum ſi ſurſum ad cœlos non aſcendat, qui toto vitæ curſu ad inferos præceps ruit.

f Doctrina 6.

Iudicium Dei.

§ 2.

Daniel toto libro iudicium Dei prædicat.

Danielicæ prophetiæ vnicus ſcopus eſt, facta memorãdo futura prædicẽdo, omnes homines, imprimis Monarchas reges, magnates, poteſtate motos, ſine ſatellite

tellite ad terrificum tribunal ſiſtere: certisque prouidentiæ documentis Atheiſmum excludere, populares ſuos in fide & religione confirmare. Danielis enim liber quamuis idololatriam deſtruat, primarium tamen finem habet, vt oſtendat, regna à Deo dari, & auferri, ſceleribus pœnas poſitas. Qua in re hoc conſiderandum venit: Judæorum diuerſos fuiſſe affectus ante & poſt transmigrationem Babylonicam, ante enim furenter in cultum dæmonum prolabebantur, ab exitu ex Ægypto, vſque ad vrbis & templi euerſionem: Adeoque poſt cineres patriæ, & conſtat ex Exodo, libris Judicum & regum. Jeremia. Poſtquam ab exilio rediere, publice nunquam ad idololatriam deflexerunt, legem tamen haudquaquam ſeruarunt, multi in ſcelera varia, imo in Atheismum prolapſi ſunt, cuius iudicia ſunt in Aggæo, Eſdræ libris, & Machabæis. Cui rei occaſionem dederunt poſteri Perſarum & Græci, quorum principes ac ſapientes ita diuûm erant contemptores, vt Deum verum ignorarent, mundi gubernationem fato aut ſorti adſcriberent: vtraque opinione Athei. Contra illos, & qui eos ſecuti ſunt, atque ad finem vſque ſæculorum ſequentur, Prophetiam Danielis dictauit Spiritus Dei. Cum enim regum ortus, bella & interitus deſcribit, tanto ante, quam fierent, diuinam prouidentiam oſtendit, vt iam ſupra ſæpius explicui. Verum nunc animus eſt, declarare, Danielem in pœna temporaria non ſiſtere, nec eas ſic proponere, vt in illis ſit finis ſupplicij mors & tormenta corporum quæ admouentur impiis, vmbræ ſunt, & omina flammantis gehennæ, veri cruciatus æternitati reſeruantur. Joacimus captiuus ducitur, occiditur, inſepultus abiicitur, non eſt illa par pœna delictis, plurimos ipſe oppreſſit, trucidarat, didicerat homines comedere, viduas facere, & factus eſt leo, aſpera tulit, at multi innocentes aſperiora. Rex Chaldæus Balthaſſar vix ſobrius cum mille magnatibus occiditur. Non tamen vna morte tot ſcelera expiare potuit. Alexander Aſiæ

Daniel Atheiſmum refellit.

Daniel nō ſiſtit in pœna tempo ra'i.

Kk præ-

prædo gentium interfector, vir ſanguinum, diuinitatis affectator, vini & veneni violentia decidit in lectum, & cognouit ſe mori, non illi, quam Jaddo Pontifici Judæorum grandius malum accidit. Regum Danielicorũ multi ſubito interfecti leniorem quam inſontes mortem habuerunt. Antiochus acerba, & probroſa morte extinctus eſt, ſed multos ipſe præſens, & ſpectator immanioribꝰ ſuppliciis occiderat. Nemo ſuperbia, nemo crudelitate, Antichriſtũ ſuperauit, nemo æquauit, Ille ſine manu conteretur. Julius Cæſar extra bella ciuilia vndecies cẽtena millia interfecit, plures in ſeruitutem vendidit, pleroſq; innocentes, vrbes diripuit, non ſunt tot mortibus luendis ſatis viginti tria vulnera. Achab venditus, vt faceret malũ, vno vulnere defungitur. Jezabel ebria de ſanguine prophetarum præcipitio eliditur, vix vllum illa prophetam lenius occidit. Humana tantumodo ſpectãtibus mors ſubita & improuiſa videri maxime εὐθανασία potuit, quam Julius optabat. Et conſtat quoſdã impios, & crudeles inopinato occiſos, Pompeius in naui iugulatur, Cleopatra aſpide brachio admota in ſoporem ſoluta mortem ſomno ſuccedẽtem non ſenſit. Dionyſius Tyrannus ſui temporis crudeliſſimus lætitia nimia obiit. Attila ſæuior Siculo prima nuptiarum nocte, in thoro geniali ſanguinis profluuio celeriter nemine ſentiente obiit. Cornelius Gallus homo impurus & Athereus eques Romanus in ipſis flagitiis luxuriæ ſuæ animus poſuere. Giachettus in mortuæ puellæ amplexu mortuus inuentus eſt. Ardeburus Anglorum rex dum craterem ingentem hauſit, ſubito anima ſubmerſa obriguit. M. Opilius Hilarus etiã inter potandum derepente concidit. Mortes illæ impiis optabiles, piis horribilis videntur: Quare quotidie in Eccleſia ſonant illæ preces, *à ſubitanea & improuiſa morte libera nos Domine.* ita tamen viuendum eſt, ne ſit improuiſa. Ante annos omnino quindecim, cum vir magnus ſubito functus eſſet, aderat mihi alius magnæ dignitatis & prouectæ ætatis, metuenſque ſimilem mortem ora-

Morte nõ expiantur ſcelera.

Moriendi leuitas.

orare ſe quotidie dicebat, ne à Deo derepente obrueretur, cui alius: Deus neminē præuenit, neminem obruit improuiſo, iam te quoque per annos ſexaginta monet quotidie, & monere pergit, vt in omnem horam ſis paratus: Ille, quam paratus neſcio, certe anno 1629. in ſella conſidens exſpirauit. Hunc quidem furoris diuini effectum Daniel agnoſcit, iramque triſtem, & prædixit regibus, regumque adminiſtris, ſed hunc in finem, vt experientia docti eueniſſe, quæ per tot ſæculorum ſeriem vaticinatus eſt, etiam credamus illa, quæ in alio mundo futura prædixit, & Chriſti iudicium ſupremo mundi die. Vbi merces iuſtis, impiis pœna decernetur: his gehenna, illis regnum. *Nemo improuiſo moritur ſi velit.*

§ 3.

Verum in Daniele iudicium Dei perpendamus [g] vidit Nabuchodonoſor ſtatuam magnam, terribilem, ſublimem; ἀνδρείκελον vocat, Symmachus ſtatuam virilem. [h] Huius ſtatuæ magnitudo figurabat humana imperia, caput aureum Babyloniam Monarchiam, & ipſum regem de ſe ſomniantem, pectus & brachia de argento (recte Joſephus etiam humeros addit) Perſicum & Medicum ſignificat imperium, quæ iuncta Babylonio velut brachia pectori, in vnum coaluere. Tertia Monarchia ex ære, venter & femora, vbi femoribus male lumbos, aut latera ſubſtituunt nouitij interpretes. Nam Hebræū Jerech, & Jarca Chaldæum, cum de homine mētio eſt, ſemper μηρὸς femora ſignificat. Hoc Grecorum eſt regnum, cuius vēter Aſia, Ægyptus & Macedonia, femora, Tibiæ ferreæ, pedesq; partim lutei, partim ferrei, ſeu ferri impuri, cui adhuc admiſtæ ſunt portiones terræ, Romanum imperiū eſt, natura ſua ſemper geminū, ſemper diuiſum. Initio reges habuit, verum ſenatus elector erat regum, & regum ipſe potēs. Primum regem ob aſperius ingeniū diſcerpſit, & in cœlū eſſe profectū mentitus eſt. Eiectis regib. duos conſules habuit regiæ poteſtatis. Cum ad Cæſa-

g c. 2. 31.
h c. 2. 32. 33. 34. 35.
Statua deſignat regna.
Romanū imperium diuiſum.

Digitized by Google

res rediit, manſit Ariſtocratia ſenatus in ſpeciem, & inter ſenatum & Cæſares perpetuæ ſuſpiciones ac lanienæ, collidi crura & pedes diceres. & tamen manſit conſulatus in faſtis magis quam curſæ potentia. eo deinde contempto, & Byzantium ornante Conſtantino, duplex etiam ſenatus, & conſulum alter in oriente, alter Romæ. Deniq; imperiũ Orientale & occidẽtale. Poſtquam in Franciam, deinde Germaniam Monarchia migrauit, manet vetus temperatura ex Monarchico & Ariſtocratico regno. Nuſquam in mũdo, quam in Germania maior principũ libertas, maior poteſtas, & quædam quaſi paritas, qualis eſt crurum & pedum, excepta prærogatiua honoris, quæ dextro pedi defertur. Quare ſtulti ſunt, qui hũc ordinem inuertere conati ſunt, aut ius Imperatoris minuere, aut principum auctoritatem opprimere aggreſſi, non poſſunt duę tibiæ in vnum cõflari, non poſſunt non eo modo res ire; monſtrum eſt homo vnipes, quod Deus conſtituit, quod Daniel prędixit, futurum eſt: non valent contra conſilium Altiſſimi machinæ. Si conflare humana temeritas in vnum crura ferrea tentaret, mox alio modo diuideretur in plures. *Regnum partim firmũ, partim fragile, & contritum,* & tamen, quod in eo luteum eſt, de plantario ferri eſt: etiam ſic forte eſt, & ad mundi finem, ſeu Antichriſtum perſeuerabit, Infirmum eſt, quia ex ſtatuum diuerſitate & legibus eius continua orta quondam certamina, rebelliones, ſeceſſiones, Principum, Cæſarumq; mutuæ cædes, quales in nulla vnquam alia monarchia, quę ii aliquot ſæculis minora priſcis fuerũt, non hoc debetur tibiis aut pedibus ferri luteis, ſed Chriſtianæ religioni, & Germanicæ nationis grauitati, ac fidelitati. Hæc ſunt imperia. Judicium Dei porro Daniel oſtendit. [*i*] *videbam ita, donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus: & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis & fictilibus & comminuit eos. Tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum & aurum, & redacta quaſi in fauillam æſtiuæ areæ, quæ rapta ſunt vento: nulluſq; locus inuentus eſt eis: lapis autem,*

i c. 2. 34. 35.
Iudicium Dei in Imperio Romano.

tem, qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram. Regna interitura prædicit, & nouum regnum erigendum, lapis de monte regnũ Chriſti eſt puſillus grex, augendus fidelitate populorum, & in cælo regnaturus. Non enim agitur de ſola euerſione regnorũ temporali. nã illæ factæ ſunt per lapides cõterentes, ſed nõ ſine manibus, nã regna de gente in gentẽ translata ſunt, propter iniuſtitiam, ſed armis & vulneribus gentium, & in manus fortiſſimas deuenerunt. At Chriſti regnum ſine manibus & opera hominum, de monte, hoc eſt, de hoc mundo abſciſſum eſt. De æterno itaq; regno ſermo eſt, quod etiam indicat Daniel, quando lapide iacto dicit contrita aurum, argentũ, æs, ferrum. [k] *Tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argẽtum, & aurũ, & redacta quaſi in fauillam æſtiuæ areæ, quæ rapta ſunt vento, &c.* At aurum, argentum, æs iam ante deſierant. verum eſt. Sed in vera regnorum contritione reuocabuntur, & qui iam olim ſe mutuo peremerunt, noua contritione contererentur æternæ damnationis, vt non aliud ſint quam fauilla inferorum, ſemper ardens nunquam deficiens. [l] lapis autem, inquit, Daniel, qui, *percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram.* Regnum enim Chriſti obtinebit omnia, totum mundum cœlum & terram: nam & impiorum rex erit, ſed vltor, erunt illi pars populi, ſed captiui, & ſerui pœnæ. Et quamuis ſit innumerabilis multitudo, non tamen in regno æſtimatur, quia in vnam lacunam centri compacta, minimam mundi partem occupabit, ad regnum Chriſti reliquum comparata, tanquam minimus fauillæ atomus in proportione celſarum, ac patularum arborum. Significantiſſime Propheta ſic ob oculos ponit extremam vilitatem, & contemptum reprobrorum, quam humana intelligentia percipere non poteſt, ſicut neq; gloriam electorum. Arenarum minima corpuſcula vtcunq; oculus deprehẽdit, fauilla minoribus conſtat, quæ cognoſci non poſſunt. Regnum Chriſti & fidelium eſt, æternum, pari

k c. 2. 3. 5.

l v. 35.

De æterno iudicio agitur.

Damnatorũ vilitas.

gradu comitatur hoſtium ſeruitus, & ſub pedibus victoris iacentium infelicitas. [m] *In diebus illis*, inquit Daniel, *regnorum illorum, ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, & conſumet vniuerſa regna hæc: & ipſum ſtabit in æternum ſecundum quod vidiſtis quod de monte abſciſſus eſt lapis ſine manibus, & comminuet teſtam, & ferrũ, & æs, & argentum, & aurum. Deus magnus oſtendit regi, quæ futura ſunt poſtea.* Hoc regnum inſtitutum eſt tempore Tiberij cum tibiæ maxime inter ſe colliderẽtur, & Roma eſſet carnificina ſenatus. Cum Filio ſuo à mortuis ſuſcitato dedit omnẽ poteſtatẽ in cœlo & in terra. Hoc ſtabit æternum & alteri populo non dabitur. Tantummodo populo, quem elegit Dominus, qui ſunt filij Abrahæ ſecundum ſpiritum, quorum libertas & regnum nunc incipit, poſt iudicium florebit, cum abſterſerit Deus omnẽ lachrymam ab oculis eorũ. Cætera regna ad gentes diuerſas peruenerunt. Nullum magis quam Romanum variauit, quod primo in Romanis familiis fuit, ad Afros deinde, Græcos, Francos, Germanos trãslatum. Deinde in maxime diuerſis familiis perſeuerauit, haud in vna admodũ longo tempore. Regnũ Chriſti conſtabit ex omni populo, & natione, & lingua, & quemadmodum regni huius non erit finis, ita hoſtes quoque, ſocij dæmoniorum, in camino ferreo ſemper habitabunt, cum igne deuorante, cum ardoribus ſempiternis.

m c.2.44.45.

Regnum Romanũ in varia gente.

§ 2

Pœnas huius vitæ temporarias ſocij Danielis agnoſcunt, & populi exilium in flamma æſtuante deplorãt. De æternitate tamen ſecuri intrepide reſpondent; *Deos tuos non colimus, & ſtatuam quam erexiſti, non adoramus* [n] *iudicia*, inquiunt, *vera feciſti iuxta omnia quæ induxiſti ſuper nos, & ſuper ciuitatem ſanctam patrum noſtrorum Ieruſalem: quia in veritate & in iudicio, induxiſti omnia hæc propter peccata noſtra.* Deinde in laudes diuinas effuſi, quaſi iam cœlos habitarent, æternitatis in ſingulis verſibus mentio-

Æternitas regni Chriſti.

n c.3. 18.

Digitized by Google

tionem faciunt, tricies ſepties nomen Domini benedictum & laudabile in ſæcula, regnumq; glorioſum pronunciant. [o] Excitant ad laudandum Deum omnes creaturas, Angelos, animas iuſtorum. Et demum concludũt: *in omnia ſæcula miſericordia eius.* Ipſe rex impius vltra omnem terram cõfitetur Deum eſſe regem æternum. [p] *Signa eius, quia magna ſunt: & mirabilia eius, quia fortia: & regnum eius regnum ſempiternum, & poteſtas eius in generationem & generationem.* Ipſe inter beſtias habitans laudat viuentem in ſæcula ſæculorũ, quia nte ſe ipſe laudauit, Aliud regnum illi Deus reuelauit, regnũ vigilum, regnum ſpirituum, quorum eſt perpes actio, nulla quies, nulla fatigatio. [q] Vidit in conſilio vigilũ contra ſe decretum, vt regno excideret, ſermonem ſanctorum & interrogationem. Docuitq; mortales cum cæci furore, & amentia ad ſcelera rapiuntur, ad illos agere in conſpectu vigilum, hoc eſt exercitus Angelorum, vbi omnia in acta referunt, & dies præſcribitur finiendis criminibus, inchoando ſupplicio. Hoc eſt enim verum iudicium, & iuſtum. Nam in hoc mundo quamuis ingentibus calamitatibus mali plectantur, patiuntur tamen & iuſti & crebro ſors impiorum eſt felicior.

o c.3. 58.65.

p V.100.

In regno æterno hoſtes æternũ ſeruiunt.

q c.4.14.

Regnum vigilum.

¶ 5.

Plenum terroris iudicium, non corporum tantum, ſed animarum quoque excidio horrendum ſupra modum Balthaſſar extimuit. Nondum mortis elogium audierat, & magna voce clamat, vt adducantur, qui interpretentur. Deos laudabat ſuos & à laudatis, tam præmium, quam pœnam exſpectare fas erat, ſed polluta mens, & ſcelerum conſcia, non niſi malum ominari poterat. [r] *Tunc facies regis commutata eſt: & cogitationes eius conturbabant eum: & compages renum eius ſoluebantur, & genua eius ad ſe inuicem collidebantur.*

Balthaſſaris metus.

r c.5.5.6.

Ecce quomodo nondum nota ſententia rex pallet,

Digitized by Google

tremit, colliduntur genua, vox cadit. Omnium hoc animis ſedeat, cum lætitiæ & Baccho litant, dum ſeſe extollunt, dum fœdis oblectantur, adeſſe manũ, quæ non in regiæ pariete, ſed ſtylo ferreo, & celte chalybea ſcribat in ſilice illud: Mane, Teckel, Phares, ſiue vt eſt in Chaldæo *Mene, Mene, numerauit*, hoc eſt: *numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud*, numerauit vitæ annos, dies, omnia delicta, ad minimæ culpæ minimam vſq; cogitationem, & cogitationis omiſſionem, & omnĩũ horum fontem ac radicem. Juſſit iam eſſe finem vitæ, ſtatuit dare præmia: in annos viginti cõmeatus erat vrbi, ſed deſerendus eſt, abeundum, moriendũ eſt. *Teckel, in ſtatera appenſus es*, ponderatus es, ſed inuentus es minus habens, deficiens. Non fuit illa, quam Deus poſtulauit operum bonorum grauitas: non pondera virtutum. Phares, ita ſecundo loco habet Chaldæus textus, primo Pharſin diuidentes. Diuiſum eſt regnum datum Medis & Perſis. Datum qui aurũ, & argentum nõ quærant, ſed ſagittis paruulos interficiant. Sceleratiſſimus hominũ erat Balthaſar, illa nocte interfectus eſt, at nõ tam cite mortis erat illud ſupplicium. Cum eo optimates, ciuesq;, qui minora peccauerant, & paruuli inſontes trucidati ſunt. Maius igitur malum regi prædixit Daniel [s] Jeremias clades illis expoſuit inſigni hypotypoſi de timore Balthaſaris ſingulatim refert: *Audiuit rex Babylonis famam eorum, & diſſoluta ſunt manus eius: Anguſtia apprehendit eum, dolor quaſi parturientem.* Cum vero dicit: [t] *Quoniam peruenit vsque ad cælos iudicium eius, & eleuatum eſt vſq; ad nubes.* Summam pœnam ſignificat, quæ nec morte finitur [u] minatur fore vt ponat montem peſtiferum in montem combuſtionis. [x] *non tollent, inquit, de te lapidẽ in angulum, & lapidem in fundamenta, ſed perditus in æternum eris, ait Dominus.* Non de crudelitate Medorum, qua Babylon cecidit, ſed de pœna inferorum, ad quam raptus eſt rex Babylonis, minas accipiendas eſſe docet [y] Iſaias. *Infernus ſubter conturbatus eſt in occurſum aduentus ſui. Suſcitauit tibi gigantes.* O-

Baltaſar damnatus

s c. 50. 43.

t c. 51. 9.

u V. 25.

x c 51. 26.

y c. 14. 9. & ſeq.

tes. Omnes principes terræ ſurrexerunt de ſoliis ſuis, omnes principes nationum, Vniuerſi reſpondebunt, & dicent tibi: Et tu vulneratus es ſicut & nos, noſtri ſimilis effectus es. Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadauer tuum: ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Quomodo cecidiſti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris? qui dicebas in corde tuo: In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci: qui te viderint, ad te inclinabuntur, teq; proſpicient: numquid iſte eſt vir, qui conturbauit terram, qui concuſſit regna, qui poſuit orbem deſertum, & vrbes eius deſtruxit, vinctis eius non aperuit carcerem? Omnes reges gentium vniuerſi dormierunt in gloria, vir in domo ſua. Tu autem proiectus es de ſepulchro tuo, quaſi ſtirps inutilis pollutus, & obuolutus cum his, qui interfecti ſunt gladio, & deſcenderunt ad fundamenta laci, quaſi cadauer putridum. Non habebis conſortium, neq; cum eis in ſepultura: tu enim terram tuam diſperdidiſti, tu populum tuum occidiſti: non vocabitur in æternum ſemen peſſimorum. Multis exponit, dæmonum ac damnatorum acerbiſſimos ſarcaſmos, quibus Babylonium regem ad inferos venientem excipiunt. Non eſt illa poëtica proſopopœia, ſed vera omnino ſcelerum exprobatio, & ardentis in ignium vorticibus irriſio & inſultatio, quod grauius, quam cæteri regum torqueretur. Vtinam omnibus peccare volentibus adſiſteret illa manus, & ſcriberet, videret tot millies millena millia Angelorum acta notantium, tot dæmonum ad pœnas exigendas inhiantium, tot damnatorum inſultantium.

§ 6.

Porro iudicium illud Daniel luculentius, quam vllus Prophetarum deſcripſit. Nam poſtquam beluas immanes regnaſſe, ablatas & exuſtas ſe vidiſſe affirmauit, iudicium conſediſſe teſtatur. [z] *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit: veſtimentum eius*

Iudicium de vita æterna ſtatu eſt.

z c.7.8.10.

candidum quaſi vix, & capilli capitis eius quaſi lana munda: thronus eius flamma ignis: rota eius ignis accenſus. Fluuius igneus, rapidusq; egrediebatur à facie eius. Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei: iudicium ſedit, & libri aperti ſunt. Non modo Deum in tribunali, ſed filium etiam hominis oblatum illi in nubibus intuitus eſt, nam pater omne iudicium dedit filio.

a c.7.13.14. [*a*] *Aſpiciebam igitur in viſione noctis, & ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis veniebat, & vſq; ad antiquum dierum peruenit: & in conſpectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum: & omnes populi tribus & linguæ ipſi ſeruient: poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur.* Terribilem porro fuiſſe illius viſionis aſpectum, figura iudicij

b V.15. nos docet. [*b*] *Horruit ſpiritus meus, ego Daniel territus ſum in his, & viſiones capitis mei conturbauerunt me.* Iudicium illud non fuit de morte & pœna beſtiarum, & beſtialium temporaria, iam enim ablatæ erant, & exuſtæ. Verum de æternis pœnis, aut præmiis, ad hoc enim iudicium poſt mortem omnium agitur, vt ex iure vnicui-

c V.26. que ſua ſtatio tribuatur. quod indicant illa verba. [*c*] *Et iudicium ſedebit, aut auferatur potentia, & conteratur, & diſpereat vſque in finem.* Agi autem de ſumma rerum, hoc eſt, de ſtatu humani generis, imo totius creaturæ rationalis, non temporario, ſed immutabili ac ſempiterno,

d V.18. Angelus Danieli doctor oppoſitus aſſeuerat, [*d*] *Suſcipient autem regnum ſancti Dei Altiſſimi: & obtinebunt regnum vſq; in ſæculum, & ſæculum ſæculorum.* Quin etiam ex eo colligitur de animis cognitionem inſtitui, quia libri aperti ſunt. Alludit ad morē tribunalium, ac iudicum, quibus æquitas cordi, qui obſoletas controuerſias iudicaturi, vetera librorum, & diplomatum teſtimonia, & tabulas publicas exquirunt, iudicanda erant antiquiſſima peccatorum, à parricidio Cain, vſq; ad Eliæ, & Enochi cædem, libri igitur de mortuis ſcripti proferuntur, tabularia conſcientiarum excutiuntur, & mundi totius bibliotheca, & res geſtæ cogitatæque ad pu-

rum

rum deſcriptæ leguntur. Joannes Euangeliſta, nouæ legis Daniel hæc eadem explicat. Judicem enim filium hominis aſpexit. [e] *Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur fidelis, & verax, & cum iuſtitia iudicat, & pugnat. Oculi autem eius ſicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen ſcriptum, quod nemo nouit niſi ipſe. Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine: & vocatur nomen eius, verbum Dei. Et exercitus, qui ſunt in cœlo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo & mundo. Et de ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus: vt in ipſo percutiat gentes. Et ipſe reget eas in virga ferrea: & ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. Et habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum: Rex regum & Dominus dominantium.* Plures throni ponuntur, quia multi ſunt iudicaturi, veſtis cãdida puritatem ſententiæ indicat. æternum eſſe ſupplicium idem Joannes oſtendit. [f] *Et tertius angelus ſecutus eſt illos, dicens voce magna: ſi quis adorauerit beſtiam, & imaginem eius, & acceperit Characterem in fronte ſua, aut in manu ſua, & hic bibet de vino iræ Dei, quod miſtum eſt mero in calice iræ ipſius, & cruciabitur igne & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum, & ante conſpectum agni: & fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum: nec habent requiem die ac nocte, qui adorauerunt beſtiam, & imaginem eius, & ſi quis acceperit Characterem nominis eius. Hic patientia ſanctorum eſt, qui cuſtodiunt mandata Dei, & fidem Ieſu.* Totam rationem deinde exponit Danielis Prophetæ explicator. [g] *Et deſcendit ignis à Deo de cœlo, & deuorauit eos: & diabolus, qui ſeducebat eos miſſus eſt in ſtagnũ ignis & ſulphuris, vbi & beſtia, & Pſeudopropheta cruciabũtur die ac nocte in ſæcula ſæculorum. Et vidi thronũ magnum candidum, & ſedentem ſuper eum, à cuius conſpectu fugit terra & cœlum, & locus non eſt inuentus eis. Et vidi mortuos magnos & puſillos, ſtantes in conſpectu throni; & libri aperti ſunt: & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ: & iudicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum: & dedit mare mortuos, qui in eo erant: & mors & infernus dederunt* mor-

e Apoc. c.19.11.12.13.14.15.16.

Iudiciũ de omnibus.

f c.14.9.10.11.12.

g c.20.9.10.11.12.13.14.15.

mortuos ſuos, qui in ipſis erant: & iudicatum eſt de ſingulis ſecundum opera ipſorum. Et infernus & mors miſsi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc eſt mors ſecunda. Et qui non inuentus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis. De æterno autem præmio, de Jeruſalem cœleſti & regno ſanctorum
h c.12.2. pluribus tractat, & quod Daniel breuiſſime dixit. [h] *Et multi de his, qui dormiunt in terra puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam, & alij in opprobrium vt videant ſemper.* Joannes integris paginis oculis ſpectandum obiicit. Qua ex re apparet Danielem, dum futuri mundi furorem, bella, regum cædes, aularum interitus, familiarum interneciones prædicit, ita illas clades proponere, vt tamen demonſtret per hæc mala ad ſupremum malum, æternam damnationem, populis comitantibus proficiſci reges, quibus quantum in deliciis fuerunt, & ſe glorificauerunt, tantum tormentum rependatur, fore vt ſemper ſint miſeri, nec vlli miſerabiles.
i Pſ.2.2. [i] *Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum,*
k Pſ.2.4. *aduerſum Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.* [k] *Sed Dominus irridebit eos, & habitans in cœlis ſubſannabit eos.* Irridebunt eos cœlites, irridebunt inferi. Quo lo-
l c.14.9. & ſeq. co potentes apud inferos ſint futuri Iſaias iam oſtendit. [l]

Cap. LXXII.

Omnium rerum, quæ in mundo ſunt, aſpectu iudicij extremi memoriam ingeri.

§ I.

Memoria iudicij. IN amœna cogitatio delicatis, mœſta diuitibus, neceſſaria iudicandis. Qui in vinculis ad cognitionem & quæſtioné detinetur, totus in eo eſt, vt meditetur, quid iudici reſpõdeat, cæterorũ rerum incurius: verũ homines hoc quod ſolum agere oportuit, ſolum omittunt.

In vi-

Digitized by Google

In vita obliuiſcuntur Dei iudicis, in morte ſui, triſtium recordationem fugiunt, ipſa mala non effugiunt. etſi multa vitare datur, hoc vnum ſuſtinendum eſt. Multa accuratione libris regalibus inſcribitur, quod magna leuitate geritur, creſcit in hominum pœnas ira Dei, quia creſcit quotidie, quod puniatur. Pœna ſemper eſt, ſeu occulta, ſeu aperta, grauiſſima eſt, cum nulla ſentitur, talibus enim theſaurizatur ira in die iræ, & iuſti iudicij Dei. Rariſſimos eſſe Auguſtinus arbitratur, quibus hac in vita non repræſentatur pœna, omen futuri ſupplicij. Et hoc ipſum reges aulæ Danielis oſtendunt. Verum patiuntur & boni. *Nunc in vna domo ſumus omnes pari ſorte*, ait [a] Cyprianus, *donec ad æternitatis hoſpitia diuidamur.* Magnatum erit diſparitas, quanta inter illum, qui ardet in rogo, & qui regnans ſedit in ſolio, & eiulanti inſultat. Figura diuerſitatis admirandæ in Daniele præceſſit. Daniel & Joacimus eadem ex patria, in eandem captiuitatem, ſed Joacimus ex ſublimiore faſtigio trahitur, Joacimus poſt contumelias & ludibria captiuus. [b] In regnum reſtituitur, poſt violatam fidem, [c] fœda morte defungitur. [d] Sepultura aſini tumulatur. [e] Daniel eadem in vrbe captiuus honoratur, victoribus imperat. Sed exigua illa omnia, & tranſeuntia, nunc verum diſcrimen habent, Daniel lucet vt ſtella in perpetuas æternitates, Joacimus ardet vt fauilla inter prunas. Quanto minor olim Joacimo, quo cum captiuus ductus eſt Daniel, tanto nunc maior. Pœna Danieli fuit probatio, Joacimo ſupplicium, punire pietas fuit, nam falſa manſuetudo eſt crudelitas, & non eſt crudelis, qui occidit crudelem: Hodie eadem res agitur, non eiſdem perſonis. Errant Concionatores, qui metu iudicij percellere auditores verentur, moleſtiam recordationis amaræ depellere conantur, & parcendo occidunt, auferendo leue malum, graue damnum inferunt. Vrſus manſuetus Dominum dormientem fidus cuſtos ſeruabat, eius in fronte muſcam pabulantem intuitus,

a *Ad Demetrianũ.*

Iudicium Dei facit diſpares.

b 2. *Paral.* 36. 3.

c 4. *Reg.* 24.

d *Ier.* 36. 30.

e *Deuter.* 22. 18.

Iudicium ſemper intentandũ.

tanquam

Digitized by Google

tanquam Domini ſui hoſtem excuſſiſſima alapa obtriuit, ignarus eodem ictu Domini caput frangendum. Par eorum ignorantia, qui mortis metum, ſollicitudinem de iudicio, voluptatibus, lucro, honore, vino obruere conantur, & dum muſcam auferunt, elephanto ſe obruunt. Plane crudeliter occidũt; dum curam ſalutis demunt, qua vna re tot hominum millia pereunt.

§ 2.

Cœli ſigna habent iudicij. Diuina prouidentia poſtquam hominem ad æternam vitam fruendam creaſſet, & ad illius hanc vniuerſi machinam, tanquam regi palatium exſtruxiſſet; omnibus in rebus iudicij ſui, & ſalutis noſtræ ſigna, vt omnia nos admonerent, impoſuit, ipſa adeo nos acta mortalium, ſermoneſque hortantur, vt ad ſupremum nos diem paremus. Cœlum intuẽtibus occurrit illo in

f 2. *Epiſt.* 2.4. templo angelos peccaſſe, & celeri exitio deiectos. [*f*] *Si enim,* inquit Petrus, *Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reſeruari.* Hoc ædificium cum principatu

g *V.* 6. amiſerunt, vt monet etiam Judas: [*g*] *Angelos vero, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum*

Sol, Luna. *domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis ſub cali-*

h *Epiſt.* 3.10. *gine reſeruauit.* Inculcat illa Petrus. [*h*] *Adueniet autem dies Domini vt fur: in quo cœli magno impetu tranſient, elementa vero calore ſoluentur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera,*

Stella. *exurentur.* Solem admiraris vel aurora ſurgentẽ vel crepuſculo occumbẽtem, aut cum medio altiſſimus orbe eſt, & lunam choroſq; ſiderum? Veniat in mentem il-

i c. 24. 29. 30. lius diei, quem Dominus prædixit, teſte Matthæo. [*i*] *Statim autem poſt tribulationem dierum illorum, ſol obſcurabitur, & luna nõ dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur: & tunc parebit ſignum filij hominis in cœlo: & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt filium hominis veniente in nubibus cœli cum virtute mul-*

k *Luc. c.* 21.25. *ta, & maieſtate.* [*k*] *Erunt enim ſigna in ſole & luna & in ter-*

ris

Digitized by Google

ris preſſura gentium. Minatus illa olim eſt Iſaias: [*l*] *Ecce* l c.13.9.
dies Domini veniet, crudelis, & indignationis plenus, & iræ fu- 10.11.
rorisq; ad ponendam terram in ſolitudinem, & peccatores con-
terendos de ea. Quoniam Stellæ cœli & ſplendor earum, non ex-
pandent lumen ſuum: obtenebratus eſt Sol in ortu ſuo, & Luna
non ſplendebit in lumine ſuo. Et viſitabo ſuper orbis mala, & cō-
tra impios iniquitatem eorum, & quieſcere faciam ſuperbiam
infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo. Et quod Æ-
gyptio vaticinatus eſt Ezechiel ad omnes improbos
pertinet, quorum typus eſt Ægyptus & Sodoma & Ba-
bylon. [*m*] *Et operiam, cum extinctus fueris, cœlum, & ni-* m c.32.
greſcere faciam ſtellas eius. ſolem nube tegam, & luna non dabit 7.8.
lumen ſuum. Omnia luminaria cœli mœrere faciam ſuper te: &
dabo tenebras tui in medio terræ. Joël ſane omnib. minatur:
[*n*] *Sol & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendo-* n c.2.10.
rem ſuum. Nubes ſuo conſpectu nos admonēt eius, qui & c.3.15.
veniet in nube cum poteſtate, & maieſtate. Conſideret *Nubes.*
nubium ſolutis catarrhactis diluuium inductum [*o*] *a-* o Iſai.c.
ſcedere Dominum ſuper nubem leuem. [*p*] Venit in nubibus 19.1.
cœli filius hominis, vt vidit Daniel. Super nubē quoq; p c.7.13.
Joannes vidit Chriſtum, falcem metētem terras: [*q*] *Et* q Apoc.c.
vidi, & ecce in nubem candidam: & ſuper nubem ſedentem ſi- 14.14.15.
milem filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, 16.
& in manu ſua falcem acutam. Et alius angelus exiuit de tem-
plo, clamans voce magna ad ſedentem ſuper nubem: mitte fal-
cem tuam, & mete, quia venit hora vt metatur, quoniam aruit
meſſis terræ. & miſit, qui ſedebat ſuper nubem, falcem ſuam in
terram, & demeſſa eſt terra. Quin & liquentis aëreis regio *Aer.*
iudicantis nos admonet. Chriſtum venientē excipient
in aëre electi. [*r*] *Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur,* r 1.Theſſ.
ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aëra, & c.4.16.
ſic ſemper cum Domino erimus. Tunc dominari in puro illo
elemento deſinet Satanas. quem Paulus appellat [*s*] s Epheſ.
principem poteſtatis huius aëris. Infectus ille eſt de 4.2.
puteo abyſſi & obſcuratus. [*t*] *Et aperuit*, inquit Joan- t Apoc.c.
nes, puteum abyſſi: *& aſcendit fumus putei, ſicut fumus for-* 9.2.
nacis magnæ: & obſcuratus eſt ſol & aër de fumo putei.

Ange-

Digitized by Google

Tonitru. Angelus quoque ſeptimus Phialam Dei effudit in
u Apoc. aëra & audita eſt vox de throno & templo: [u] *factum*
19.17. *eſt.* Tonitru cœlum remugit, [x] Formident Domi-
x 1.Reg. 2.10. num aduerſarij eius, *quia ſemper ipſos in cœlis tonabit.*
Grando. Quid autem vox tonitrui niſi figura illius vocis, quæ
orbem damnabit? Fulgura diſcurrunt, & fulmina
y Matth. verberant! Huic ſimilis aduentus filij hominis, [y] *ſic-*
24.27. *ut de throno Dei procedunt fulgura & voces.* Pluuiæ & rores,
cœleſtis patriæ abundantiam ſignificant. Judex tamen
z Gen. cognita cauſa, [z] *pluit ſuper Sodomam.* [a] *Et pluit ſu-*
c.9.24. *per peccatores laqueos, ignis & ſulphur pars calicis eorum.* Sic
a Pſalm. 10.9. iudicabit Deus Gog & Magog. [b] *Et iudicabo*, inquit
b c.30. per Ezechielem, *eum peſte, & ſanguine, & imbre vehemen-*
22. *ti, & lapidibus immenſis: ignem & ſulphur pluam ſuper eum,*
& ſuper exercitum eius, & ſuper populos multos, qui ſunt cum
c Pſalm. *eo.* [c] *Ignis etiam, grando, nix, glacies pars calicis impiorum.*
148.8. [d] Grando & carbones. [e] *Ecce validus*, apud Iſaiam,
d Pſ 17. 13. *& fortis Dominus, ſicut impetus grandinis, turbo confringens,*
e c.28.2. *ſicut impetus aquarum multarum inundantium, & emiſſa-*
rum ſuper terram ſpatioſam. Sic ad vindictam veniet, &
f c.8.7. omnia conculcabit. In Apocalypſi: [f] *Et primus An-*
gelus tuba cecinit: & tanquam mons magnus igne ardens miſ-
ſus eſt in mare, & facta eſt tertia pars maris ſanguis. Alia
g c.16.21. deinde maior grando: [g] *Et grando magna ſicut talen-*
tum deſcendit de cœlo in homines: & blaſphemauerunt Deum
homines propter plagam grandinis: quoniam magna facta eſt
vehementer.

Terra quam calcamus, ex qua alimur, in quã reuertemur, illa in ſinu ſuo inferos abſcondit, illa nunc mouet, nunc variis locis ignes euomit, vt ex Æthna, Hecla: nunc calidas aquas ſcaturit, ne miremur æternitatem ignium. Illa hominum ſceleribus polluitur, & cadaueribus putreſcit, in illa quotidiana flagitia committuntur, & puniuntur, aſpice quam late patet, & re-
h 1.Epiſt. miniſcere Prophetiæ Petri: [h] *Terra autem, & quæ in*
i V.13. *ipſa ſunt opera, exurentur.* [i] *Nouam autem terram & nouos cœlos creabit Dominus.* Cum Joanne vide terram, &

dic

Digitized by Google

dic, *væ habitantibus in terra.* [k] *Et væ terræ, & mari, quia* k *Apoc.*
deſcendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens quod 12.12.
modicum tempus habet. Timete Deum à cuius conſpectu fugit cœlum & anguſta eſt terra, in illa preſſura gentium eſt, quæ metu areſcit: Omnes impij *ſcribentur in terra.* Lætos aſpicis pampinis colles, quod mediteris, *Montes* ſuppeditant. *Vinea Domini eſt omnis vir Iuda, exſpectauit,* *Colles.* *vt faceret vuas, fecit autem labruſcas.* Cultores vineæ miniſtros, qui filium patrisfamilias occiderunt. [l] Veniet l *Marc.* Dominus & perdet colonos. Montium immanes ſco- 12.9.
puli in minas pendet, nec in die iudicij tegent eos, qui dicent illis, *cadite ſuper nos, & collibus operite nos à facie ſedentis in throno, & à facie iræ agni.* Jacentes valles, & euntia per alueos flumina, quid aliud quam præcipitia inferorum, & piceos torrentes indicant. Vallem Joſa- *Valles.* phat in mentem reuoca, in quam vocabuntur omnes gentes, vbi diſceptabit cum illis, qui creauit illos. Ar- *Ligna.* bores metuunt ſecures, quæ iam ad radicem poſitæ ſunt, *& omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidatur & in ignem mittatur.* Ligna quotidie cæduntur igni, præſertim lignum vitis. Segetes ſua habent zizania, *Segetes.* quæ in faſciculos colligatæ comburuntur igni inextinguibili, ſpicæ paleas habent, & grana, pauca de magno agro in horrea Domini referuntur. Terra ſpectatiſſimo virore herbeſcit, & floribus pingitur, ſed fœ- *Fœnum.* num, quod hodie ſic veſtitur, cras in clibanum mittitur, omnis caro fœnum eſt, flos veris eſt, decidit, dum *Flos.* ſuperbit, & areſcit. Lapides quoque iudicium illud ſi *Lapides.* gnant: [n] *Tempus poſuit tenebris, & vniuerſorum finem* n *Iob* 28.
ipſe conſiderat, lapidem quoq; caliginis, & vmbram mortis. [o] 3.
Omnes vrbes erunt in aceruum lapidum ſicut Jeruſa- o *Ier.* 26.
lem, [p] non relinquetur lapis ſuper lapidem. Melius 18. p *Marc.*
eſt, vt lapis molaris ad collum alligatus te deferat in 13.2.
profundum maris, quam ſcandalum des vni ex minimis, qui in Chriſtum credunt. Ipſe Dominus poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſraël, poſitus à Deo, qui poteſt de lapidibus ſuſcitare filios

q *Rom.* 9.32. Abrahæ. [*q*] *Dominum exercituum*, inquit Iſaias, *ipſum ſanctificate: ipſe pauor veſter, & ipſe terror veſter.* [*r*] Plurimi offendũt in lapides offenſionis, teſte Paulo. Et Petrus: s 1. *Epiſt.* c.2.7. [*s*] *Vobis igitur honor credentib. nõ credentibus autẽ lapis, quem reprobauerũt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, & lapis offenſionis, & petra ſcandali, his qui offendunt verbo nec credũt in quo & poſiti ſunt.* *Metalla.* Metalla ferri, auri, argenti, ab inferis per ergaſtularios eruũtur venena terræ, de venenis nata, in mortes hominum, in multas ferrum, in plures aurum. vtraq; diuini iudicij ſunt carnifices. Meminerit t c.41.18. Chriſtianus cum ſuo hoſte ſibi eſſe certamen: [*t*] qui reputat quaſi paleas ferrum, quẽ Job ſenſit grauiſſimũ, u 2.9. & vicit. [*u*] Chriſtus rege gẽtes in virga ferrea, & quaſi vas figuli confringet eas. x c.1.3. [*x*] *In plauſtris ferreis trituratur Galaad vt vidit Propheta vellicans Sycamoros.* *Mare.* Mare ipſum olim mundũ totum, nunc partes obruit, & quotidie homines ſorbet, ipſis fluctibus & ſonitu iudicium minatur extremum. Ipſi populi mare vocantur, y c.5.7. 20. [*y*] *impij autem*, inquit Iſaias, *quaſi mare feruens, quod quieſcere nõ poteſt, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum.* z *Thre.c.* 2.13. [*z*] *Itaq; magna erit ſicut mare contritio eorum*, vt Jeremias lamentatur. a c.11. 45. [*a*] Ipſe Antichriſtus inter duo maria poſitus peribit, vt Daniel præuidit. Ad terrorẽ iudicij concurret ſæuities maris. b c.21.25. [*b*] *Et erunt*, vt eſt in Luca, *ſigna in ſole, & luna & ſtellis, & in terris preſſura gentium præ cõfuſione ſonitus maris, & fluctuum.* c c.1.6. [*c*] Jacobus *impium* ait ſimilẽ *fluctui maris.* d *V*.13. [*d*] Judas *fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones.* Si nauem ingreſſus, duobus digitis à morte abeſſe te cognoueris, illud memora, forte & inter illos mortuos, quos mare reddet ad iudiciũ, ego ſum. e *Apoc.* c.20.13. [*e*] de quibus Joannes: Flumina nos admonent torrentium piceorum, & fluminũ igneorum de throno procedentium. f c.7.10. Ita Daniel: [*f*] *Fluuius igneus rapidusq; egrediebatur à facie eius.* Flumen amœnum vmbra eſt illius, quod Joanni Angelus oſtendit. g *Apoc.* c.22.1. [*g*] *Et oſtendit mihi fluuium aquæ vitæ ſplendidum tanquam Cryſtallum, procedentem de ſede Dei & agni.* *Piſces.* Piſces in mari, & cete grandia, perpetuo laniatu

viuen-

viuentes, inferis vicini magis iudicium Dei indicant. Job ſane inde parabolam in doloribus aſſumit, [h] & in Leuiathan nobis dæmonũ principem deſcribit, cuius vires & pœnam cõſiderare fas eſt. [i] *Sternutatio eius ſplendor ignis, & oculi eius, vt palpebra diluculi. De ore eius lampades procedunt, ſicut tedæ ignis accẽſæ. De naribus eius procedit fumus, ſicut ollæ ſuccenſæ atq; feruẽtis. Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur. In collo eius morabitur fortitudo, & faciem eius præcedit egeſtas. Membra carniũ eius cohærentia ſibi: mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur. Cor eius indurabitur tanquam lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus. Cum ſublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi purgabuntur. cum apprehẽderit eum gladius, ſubſiſtere non poterit, neq; haſta, neq; thorax. Reputabit enim quaſi paleas ferrũ, & quaſi lignũ putridum, æs. Non fugabit eum vir ſagittarius, in ſtipulã verſi ſunt ei lapides fundæ. Quaſi ſtipulam æſtimabit malleum, & deridebit vibrantem haſtam. Sub ipſo erunt radij ſolis, & ſternet ſibi aurũ quaſi lutum. Feruеſcere faciet quaſi ollam profundum mare, & ponet quaſi cum vnguenta bulliunt. Poſt eum lucebit ſemita, æſtimabit abyſſum, quaſi ſeneſcentem. Non eſt ſuper terrã poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret. Omne ſublime ridet, ipſe eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ.* Denique in nobis ipſis, quantus eſt pauor ſpectrorum, contra quæ tamen fide, oratione, innocentia munimur. An non ingens ille metus nos quotidie admonet, vt ita viuamus, ne eorum crudelitati in æternum torquendi tradamur.

h *c.* 40. 20.
i *c.* 41. 9.
Leuiatan.

¶ 3.

Quod animal non ingerit nobis memoriam diuini iudicij? [k] volucres cœli, ipſi adeo paſſerculi dæmones deſignant, qui ſementem de cordibus auferunt, ne credentes ſalui fiant. Non tot in cœlo volucres inſidiantur aut ſibi, aut aliis, quot principes & poteſtates aëris huius. Omnia plena laqueis vidit Antonius, experiuntur peccatores. Leo ſignat leonem rugientem, circumeuntẽ, & quærentem, quẽ deuoret. Oues & hœdi iudicij formã oſtendunt. Animalia munda & immũda

k *Matth. c.* 13. 4.
Animalia.

 electos

Digitized by Google

electos & reprobos. Volucres inuitantur ad carnes principum, & aulicorum. Vt Joannes territus audiuit.

Ic.19. 17.18. [l] *Et vidi vnum Angelum ſtantem in ſole, & clamauit voce magna dicens omnibus auibus, quæ volabant per medium cœli: Venite & congregamini ad cœnam magnam Dei: vt manducetis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & ſedentium in ipſis, & carnes omnium liberorum, & ſeruorum, & puſillorum, & magnorum.* Senſit illam vindictam Hella Rex Angliæ, Regnerum regem Daniæ excruciatum trucidauerat, tres ille filios reliquit,

Regnerus. audita patris calamitate, Siuardus ira fremens telo pedem læſit, Biornus aleas, (aleis enim ludebat) tanta preſſit vi, vt ſanguinem de manu exprimeret. Iuarus iram adeo preſſit, vt ex ſpectaculo vetaret diſcedere, Hella iram profeſſam duorum contemnens, Iuarum vltorem fore dixit, nec fefellit augurium, victum captumq; Iuarus circumduxit, vulturem dorſo, qui illud roderet, appoſuit, Tytij pœnam in hoſte imitatus.

m l.4.c.10. [m] Ita Crantzius, Daniel quoq; omnes beſtias vidit exultas. Serpentes & reptilia occurrunt? cogita

Serpentes. ſerpentem antiquum, diabolum, ſerpentem, vectem. Vermes calcas? illum ſignant vermem, qui non moritur in igne, qui non exſtinguitur. Serpens hominis præcipue hoſtis eſt: alibi tamen ad ſolatium bonorum,

Anatolia. vindictam malorum. Ad Anatoliam virginem miſſus à Marſo ſerpens eam innoxiam ſeruauit, mane magiſtrum ſuum letalibus ſpiris amplexus necare cœperat, cum illum Martyr depellit. Charitonem quoq; captum & profeſſum, non ſacrificare, etſi millies moriendum ſit, aſpis de vino latronum abſentium bibens, & veneno reliquum inficiens, liberauit. Latrones enim anheli redeuntes medicatum à vipera potum haurien-

Chariton. tes, ſopiti ſunt morte. Chariton opes pauperibus diuidit, ſpeluncam vertit in Eccleſiam. Illa iudicia diuinitatis, aliaque innumera Symbola æternorum nunquam animo deponenda ſunt, quia nunquam ad illa proficiſci intermittimus.

CAP.

Digitized by Google

Cap. LXXIII.

Omnibus hominum conatibus ac geſtis extremi iudicii ſignaturam à Deo impreſſam.

§ I.

Hieronymus ſalubri timore, ne laſciuiret, carnem ſuam configebat: ſiue ederet, ſiue biberet, ſemper inſonantem illā ſuis auribus tubam audiebat: Surgite mortui, venite ad iudiciū. Nam reuera in cūctis actionibus eſt cauſa moriendi, & ad tribunal illud accedendi, & à Deo metus incuſſus, & exempla morientium. Conuiuium Balthaſaris cæde omnium finitur. Extremus etiam dies inueniet conuiuantes. Jam Dominus apud Matthæum proteſtatur. [a] *Sicut autem in diebus Noë, ita erit & aduētus filij hominis. Sicut enim in diebus erant ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vſq; ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit aduentus filij hominis. Tunc duo erunt in agro: vnus aſſumetur, & vnus relinquetur.* Nabal in conuiuio contumelioſus, altera die obriguit, Holofernes mori ſe non ſenſit, apud inferos de crapula euigilauit. Andeburus rex Angliæ in ipſa comeſſatione ſuffocatus eſt. Alexander ebrietate & veneno, duplici malo. Sed in ipſo cibo mors ex improuiſo. Auguſtum ficus, Torquatum placenta, Claudium boletus, Saufeium oui ſorbitio, Anacreontem acinus vuæ, Tarquiniū Priſcum ſpina piſcis ſtrangulauit. Durius Valla medicus mulſi potione, Amurathes Turcus dum cratere ingenti ſe proluit, derepente concidit. Ipſe complures noui, qui poſt lautam compotationem ad cauſam de æternitate dicendam citati ſunt. Quare Chriſtus cum moneret de illa hora inopinato ad omnes ventura, ſeuere vetuit ne grauarentur corda crapula, & ebrietate. Nihil igitur tutum, dum corpus

In omniactione iudicium.

In cibo, & potu.

[a] Matth. c. 24. 37. 38. 39. 40.

Subitæ mortes.

Digitized by Google

re ſtauratur, euertitur. Medicina ipſa temperaturæ correptrix, expultrix morborũ quotidie catapotiis mortẽ peragit. Adriani dictum memorabile, *Turba medicorum Imperatorem perdidit.* Perdidit Imperatorem Maximilianum I Julium 3. Pontificem.

Miſerabili fato Carolum Nauarræ regem. Laborabat articulari morbo, additus erat dolori torpor, frigus, & imbecillitas, medicorum iuſſu linteo, quod aqua vitæ, aqua ardente madebat, inſutus eſt. Sartor filum, quo regem inſuerat candelæ flamma præcidens, linteum incendit, nulla arte ſuccurri potuit, rex viuus toſtus, exuſtusque eſt. Multos ex balneo mortuos, multos ex Medicorum curis, Plinius recenſet. Quam multos ludi abſumpſerunt? Apud Fidenas Theatrũ concidit, & ſexaginta millia oppreſſit. Thales in theatro ſiti & calore exaruit. Philiſtæi cum theatro conciderunt, funeſtum leſſum ludente Sampſone. [b] vt eſt in libro Judicum. Luciæ ſorori Aurelij cum filiolo luſitanti acu in corde fixa caſus mortem attulit. Baldi Juriſconſulti indigna plane mors, ſed ad exemplum vtilis, catellus ludentis labium momordit, inde rabioſus, & aquæ metuens fugitansq; miſere interiit. Quoties armis iocoſe pugnantes inopinate læduntur? nulla non ciuitas exempla præbet. Gallia etiam reg a Henricus vndecimus dum haſti ludio exercetur, lanceæ fragimine caſu in oculum retorto periit. Ludouicus dum ſpectat ludentes repente extinctus eſt. Ludocus primus dux Bauariæ à ſicario occiſus eſt. Carolus vndecimus Galliæ rex, dum laruatus diſcurrit, tunica picea Fauni aut furiæ inſtar indutus, occurrit ignotus fratri, dumq; incaute cuſtodiuntur faces, duos proximos ignis corripuit, & tunica moleſta exuſſit, regi ægerrime ſubuentum eſt.

b c. 16. 25.

§ 2.

Venatores. Luſus principum & magnatum vſitatus, venatio. Multæ regum mortes in ſyluis. Eſt vero venatio figura

illius,

illius, quam dæmones exercent, capturæ, illi omnium immemores animas captant. [c] Exultat itaq; Dauid liberatus de laqueo venantium. Dominus certe per Ieremiam minatur ſe piſcatores, & venatores miſſurum: [d] *Ecce ego mittam piſcatores multos dicit Dominus, & piſcabuntur eos: & poſthac mittã eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum. Quia oculi mei ſuper omnes vias eorum: non ſunt abſcondita à facie mea, & non fuit occultata iniquitas eorum ab oculis meis.* Cum ad venationem egrederis, hoc ipſum meditare, quod ſcripſit Michæas: [e] *periit ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt: omnes in ſanguine inſidiantur, vir fratrem ſuum ad mortem venatur.* [f] *Venatio leonis onager in ſylua: & paſcua diuitum ſunt pauperes, & præda dæmonum diuites, & cibus eorum electus.* Equitatio te delectat? non culpo. Interim reſpice ſurſum, & vide equitem in cœlo, qualem Joannes. [g] *Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur fidelis, & verax, & cum iuſtitia iudicat & pugnat.* illum inde ſequaris, exercitũ enim habet. [h] *Et exercitus, qui ſunt in cœlo ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo & mundo.* cum ludibundus veheris, & placet quadrupes ſimul in mentẽ veniat equitũ Apocalypticorũ albi, rufi, nigri, pallidi, de quo Joãnes. [i] *Ecce equus pallidus: & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors, & infernus ſequebatur eũ, & data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & beſtiis terræ.* Multos in equis mors inuenit. Henricus Auſtriæ Marchio in glacie, Philippus Ludouici Galliæ regis filius equo prolapſus exſpirauit. Ipſa multos lætitia exanimauit, de matribus Romanis notum eſt, cum præter ſpem filios reduces complecterentur. Philiſtion poëta riſu crepuit. Philæmon etiam leui cauſa, quod aſinus ficus conuiuis apparatas comederet. Cato, quod carduos, & ſuo acumine delectatus eſt, quod dixiſſet, ſimiles habent *labra lactucas.* Sophocli & Zeuxi riſus leti cauſa fuit, huic picta vetula, quam intuitus riſu exſpirauit.

c *Pſal.90.3.*
d *c.16.37.*
e *c.7.2.*
f *Eccl.c.13.* *c.13.23.*
g *Apoc.c.19.11.*
Equitatio.
h *V.14.*
i *c.6.8.*
Lætitia cauſa mortis.

ſui itaq; amore periit. Itaque non modo triſtitia, qua Heli corruit, & eius nurus, & Thamar contabuit, ſed ipſa hilaritas nimiũ præcordia dilatans vitam abrumpit, Sophocles, Dionyſius Tyrannus, Philippides nunciata victoria, gaudij magnitudine mortui ſunt. Diagoras & Chilon in filiorum Olympionicarum complexu exultanti lætitiæ ſuccubuere. Paulus Æmylius Macedonico triumpho filios extulit. Bibulus in ipſo curru ſuperbiæ regula percuſſus interiit. honor ipſe aculeo mortis armatur, & de ſella curuli ad iudicem vocat. In curia Romana decernitur triumphus, in cœleſti dies dicitur. Nuptialia conuiuia celebras? gaudes ad vocem ſponſi & ſponſæ? Hoc ante diluuium faciebant *nubentes, & nuptui tradentes, donec venit diluuium & tulit omnes.* Septem ſponſos Saræ nuptiali nocte Aſmodæus ſuffocatos tribunali diuino ſtitit. Attila in geniali toro ſanguine effuſo, nullo aduertente de regio thalamo ad rogos inferorũ deſcẽdit. Et ne minora nomina taceam Eupolis, Cornelius Gallus, Ladiſlaus Neopolitanus. Multi alij in vxorum, aut meretricum complexu animas dederunt. Quoties virgines ad lenonem ductas violaturi morte laſciuiam luerunt, certe qui ad Seraphiam venerant tota nocte diſſolutis neruis, alienatis ſenſibus iacuerunt, quos illa tamen in conſpectu iudicis ſanauit. At multorum inceſtos amores longa Deus patientia tolerat? Plane ita eſt, Dei clementia, quos emẽdare debuit, in crimine facit obſtinatos. Quærebat ex Acathio Bibianus, cur Chriſtus, ſi poteſt, non puniat Imperatores hoſtes ſuos? reſpondet ille, vt ſuam oſtendat bonitatem. Si enim vindictam celeraret, non fore locum pœnitentiæ. Sed Chriſtus iam ante reſponderat peccatoribus omnibus, facta enim mentione octodecim virorum, quos turris Siloe oppreſſit, & quorum ſanguinem Pilatus cum ſacrificiis miſcuerat, ſeuere admonuit. [k] *Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? Non, dico vobis: ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis. Sicut illi*

k c. 13. 2. 3 4 5

decem

decem & octo, ſupra quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos: putatis quia & ipſi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Ieruſalen. Non dico vobis: ſed ſi pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Aliquos hic punit, vt nemo fere ſecurus ſit, aliquos hic præterit, vt alibi ſciant eſſe iudicium. Alta palatia moliris, Turris Siloë ſuos oppreſſit, Babylonia linguas diuiſit, Jezabel ex alto præcipitata parietem ſanguine cruentauit, equorum vngulis obtrita eſt, at ego euaſi, non euaſiſti, dilatus es ad maius in futuro ſupplicium. Latro quidam ad murum dormiēs à Serapi ſibi viſus eſt moneri, fugeret, ruitura mænia, vix in tutum peruenerat, cum grandi ſonitu murus ſternitur. Ille gloriatus Diis eſſe gratos improbos & homicidas, capitur, & poſt cruciatus ad crucis totius ſupplicium rapitur, inde ad ſumma tartari tormenta detrahitur. Securitas ante periculum, in ipſo diſcrimine facit deſperationem. Qualis erat in Laucate Oroto, qui futuri deſperans, cum moreretur dicebat, *Qui plus poteſt, plus rapiat.*

¶ 3.

Veſtis ipſa, qua vani homines gloriantur, noſtri iudicij nos admonet, vulnera tegit, & pudendam de peccato nuditatem, Pœna eſt egere veſte, ſupplicium eſt veſtiri. Si vos veſtis cruciaret, vt tunica moleſta, vt pilei, quos Turcorum legatis Dracula Trāſyluanus; & Tartaris Baſilius Moſcorum dux clauis affigi capitibus iuſſit, non eſſet in dolore faſtus, nunc vero rem & famam veſte perdunt imprudentes, ignari veſtem iudicis noſtri aſperſam ſanguine. Vtinam animo perpenderent, ne vnquam [l] ſine veſte nuptiali in conſpectu l *Matth.*
agni apparerent. Ne induantur pudore, *& operiantur ſi-* 22.
cut diploide confuſione ſua. Veniat in mentem, qui de
bombice gloriaris: [m] *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua* m *Is.c.*
concidit cadauer tuum: ſubter te ſternetur tinea, & operimen- 14.11.
tum tuum erunt vermes. [n] *Iob ſane operuit cinere carnē ſuam.* n c.16.16.
[o] Impios vermes operient. Quorſum pulchra veſti- o c.21.26.

 men-

Clodomitus, ſtatim accitus abbas oraculum pronunciat, breui morte luiturum, & fidem probauit euentus. Danis occurrit S. Elphegus capitur & iniurioſe habetur prædones diro viſcerum dolore corripiuntur, duo millia eo cruciatu pereunt, cęteri accepto pane benedicto liberantur. Sanati liberatorem iterum vinculis ſtringunt & torquent, pecuniam exquirunt, & à quo vitam acceperunt, occidunt, mox omnibus inuiſi, fugiunt omnes, claſſis eorum centum ſexaginta nauium periit, qui fluctibus emerſerunt, ab incolis occiſi, & ad iudicem miſſi ſunt. Opprimuntur iuſti, & in poteſtatem impiorum veniunt, ſæuientibus parantur iudicia. Judex qui Metrodoram, & Nymphodoram occiderat, & fornaci corpora iniecerat, obambulans cum ſuis fulmine in fauillas redigitur, ad pœnas æternas olim redintegrandus. Presbyter Sidonium Epiſcopum templo prohibere aggreſſus, Arij morte conſumptus eſt. Nantinus comes ſub rege Childerico in Epiſcopum Hermelinem iniurioſus, rapax, homicida, poſtquam præſul fato ceſſit, ab eo citari ſe dixit, & continuo cum horribili clamore exſpirauit, at pœnæ genus in corpore Deus ſignari voluit, carbonis inſtar atrum apparuit, vt [s] Turonenſis refert. Multa ſimilia exempla habemus, quæ adferre nihil eſt neceſſe, cum peccatores quotidie ad iudicium vocentur. Joannes vidit animas interfectorum ſub altari, vltionem exposcentium. [t] *Et vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium, quod habebant.* Clamauit ſanguis Abel de terra, clamat quotidie innocentium ſanguis, clamat in prædonum, & raptorum æratiis pecunia vindictā. quam nunquam aſpicere poſſunt, quin ſimul cogitent, propter has ardebo. citiſſima ac proinde facilima mors, quæ ictu triſulci fulminis infertur, ſenſum enim præuenit velocitate, in ictu oculi occidit. Adeo, vt qui dormientes fulminantur apertis oculis, qui vigilantes, clauſis eſſe dicantur, quod illi ictu euigilent & ante moriantur, quam clau-

s l. 5. c. 35.

t Apoc. 6. 9.

claudere poſſint, hi territi claudant, nec vita extorta aperire valeant. Mors igitur Frontonis, id iudici nomen erat, celeritate mitis, euentu horribilis fuit, nam velut ſummi iudicis apparitor ac ſatelles fulmen momento ad tribunal in ipſo crimine deprehenſum abripuit, tam citato curſu, quam fulmen fertur. Omnia illa ad iudicem vocant. Ferdinandus IV. cum duos maieſtatis damnatos è turri præcipitaſſet, ab illis ad trigeſimum diem citatus ad cauſam dicendam, eodem die abiit, & ſine priuilegio principatus cauſam dixit, ſententia nobis in vltimo die nota erit. Nunc vero ſi quis iudicia tribunalium, lictores, carnifices, carceres, inſtrumenta cruciatuum, legum executiones videat, nonne expreſſa ſigna, & typos magni iudicij animo concipit? Pingitur ad memoriam vbiq; ſupremi diei iudicium, ſed efficacius animos percellunt illa, quæ peraguntur. Ignis ipſe, fornaces, foci, faces, candelæ, ſcintillæ, nos ignis illius admonet, qui nunquam extinguetur. Sale quotidie vtimur, [u] *omnis enim, in igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur*, futurum, ait Dominus, vt quemadmodum ſalis acrimonia carnes penetrat, nec ſolam ſuperficiem imbuit, introrſum rapitur, & naturam ipſius conſeruat, ita inferorum ſcimus buſtuarios torquendos non leui flamma cuticulam lambente, ſed foris intusq; totos igniet, & velut ſaliet, dum intima quæq; vrit, & cruciabilem immortalitatem ad miſeriam tribuit. Concludo cum Salomone, [x] *finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, & mandata eius obſerua: hoc eſt enim omnis homo: & cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, ſiue bonum ſiue malum illud ſit.* Et cum Daniele, qui vſu ſapientiæ ſuperauit Salomonem, [y] *iudicium ſedit & libri aperti ſunt.* [z] *Et multi de his qui dormiunt in terra puluere euigilabunt: alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, vt videant ſemper.* Atque his valedico cunctis hæc lecturis, non in longum tempus, breui enim videbimus nos ante Dei tribunal, vt recipiat vnusquisque prout geſſit in

u *Marc.* c.9.4.8.

x c.12.13.14.

y c.7.10.

z c.12.2.

Digitized by Google

ſit in corpore ſiue bonum, ſiue malum. Hoc omnibus opto ex animo, omnibus votis, vt dealbentur, & eligantur, vt ſcribantur in libro vitæ. Audiant à Deo, quod Daniel: [a] *Tu autem vade ad præfinitum: & requieſces, & ſtabis in ſorte tua in finem dierum.* a c.12.13.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google